SCRIPTA PVBLICE PROPOsita a Professoribus in Academia Vuitebergensi ab anno 1540. usqꝫ ad annum 1553.

VVITEBERGAE
EXCVDEBANT HAEREDES
PETRI SEITZII.
1553.

Bayerische Staatsbibliothek München

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Maius, Michael

Scripta publice proposita a professoribus in Academia Witebergensi

Witebergae (1553)

H.lit.p. 344 i-1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10178692-2

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

CLARISSIMO VI-
RO PRVDENTIA ET
VIRTVTE PRAESTANTI
VVILELMO REIFEN-
STEIN PAVLVS EBE-
RVS. S. D.

OPPIDVM est in ea Germaniæ ora, quam Franci ueteres tenent, non procul a Me-no, quod nomi-nant Regium Montem, quod clarum est perpetuis monumentis uiri doctissimi Iohan-nis Regiomontani, qui cum suo præceptore Georgio Purbachio an-te annos octoginta & restituit & il-lustrauit Mathematum doctrinam. In eo oppido Franciæ natus est & Iohannes Marcellus, qui in Acade-mia nostra multos fœliciter in Lati-na & Græca lingua erudiit, & in tota gubernatione Academiæ fidem &

adſiduitatem omnibus honeſtis & doctis uiris probauit. Hic Marcellus cum alia utilia ſcripta edidit, tum uero & has pagellas publice proſ positas, aliquot annis ante ſuam morſ tem haud dubie bono ſtudio colleſ git, ſiue quod formam harum comſ monefactionum prodeſſe alijs exiſtiſ mabat, ſiue quod extare uolebat teſ ſtimonia laborum noſtrorum.

Has cum rurſus ederemus, reſ cordatio mortis ipſius & multorum aliorum amicorum, quos hic nobis annus eripuit, magnum dolorem mihi attulit. Nam ut multos prætes ream tibi Guielme ignotos, amiſiſ mus anni ſuperioris initio Marcelſ lum, deinde mox Ciglerum, poſtea Baſileæ Monſterum, Argentorati Hedionem, In Academia Ingolſtaſ diana Apianum, In Academia Franſ cofordiana uirum doctiſſimum Ioſ docum Vuilichium, In Dania Peſ trum Suauenium, Et nuper hoc anſ no Eraſ

no Erasmum Rheinholdum, cuius laboribus Mathematum doctrina late propagata est in his terris.

Possunt autem omnes docti iudicare, magnis ornamentis orbatam esse Ecclesiam, & Rempublicam, postquam hos uiros amisimus, quorum alij pie & fœliciter Ecclesiam erudiebant, alij mathemata & ueram philosophiam illustrabant, alij cum ad Regum consilia adhiberentur, sententijs suis & autoritate, Ecclesiæ & reipublicæ multum proderant. Ac excepto Suauenio cæteri quos nominaui, noti sunt doctis uiris in tota Germania, quia extant eorum scripta.

Suauenius cum propter prudentiam & fidem Inclyto Regi Danico Christiano carus fuerit, sæpe missus est ad Imperatorem Carolum, & ad Regem Gallicum Franciscum, ubi summi uiri eius integritatem, & in

omni officio diligentiam ualde probarunt. Nos etiam eruditionem & pietatem eius celebrare possumus. Nam Latinam & Græcam linguam dedicerat apud Petrum Mosellanum, postea multum operæ tribuit philosophiæ apud Casparum Bornerum, & simul discebat Ecclesiæ doctrinam, ac a Luthero propter eruditionem & optimos mores ita diligebatur, ut in itinere ad conuentum, qui fuit in urbe Vangionum anno 1521. hunc sibi comitem unicum ex scholasticis adiungeret.

Postea in aulam Danicam accersitus interfuit præcipuis Regum negocijs. Qua in militia annis triginta cum alia multa negocia sustineret, tamen curam Ecclesię iuuandæ nunquam abiecit, ac plurimum apud Regem sapientem & pium autoritas eius studijs literarum & Ecclesiasticæ concordiæ profuit. Etsi autem curriculum uitæ non longum fuit,

attigit

attigit enim climatericum annum Sextum & quinquagesimum, qui climatericus fatalis fuit Scipioni iuniori & Iulio Cæsari, & Alberto Durero, tamen salutare fuit Reipublicæ. Nec dubito, eum fuisse in eorum numero, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Etsi uero multa philosophi de beata uita disputant, tamen nos scimus ex doctrina filij Dei, summa bona in hac uita esse, ueram Dei agnitionem, & ueram inuocationem, & labores Ecclesiæ utiles. Talis cursus aditus est ad æternam consuetudinem Ecclesiæ cœlestis, in qua Deus clara luce sapientiam, iusticiam & læticiam suam nobis communicabit.

Quanto fœlicior hic cursus est, quam fuit uita Periclis, Demosthenis, Ciceronis, aut similium, qui cum excellerent sapientia, tamen cum certamina ambitiosa, & non necessa-

ria ſuſciperent, mole ipſa rerum, quas ſine neceſſitate mouerunt, oppreſſi ſunt, & ſibi & ſuis ciuitatibus perniciem acceſſuerunt. Eccleſiæ quidem nihil profuerunt, ad quam fouendam, tuendam, & ornandam præcipue referendi ſunt noſtri labores, ut ſcriptum eſt: Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem, & fœlicitas diligentibus eam.

Fuit breuius curriculum Eraſmi Saluelденſis & Marcelli, quorum utrunq; annus climatericus 42. nobis abſtulit. Fuit autem utriuſq; labor in docendo fœlix, & uterq; ad cætera ſtudia ueram agnitionem Dei addidit, & uera eum inuocatione coluit, fuitq; placidus utriuſq; exitus. Extant autem Eraſmi Saluelденſis opera aliquanto plura, quam Marcelli. Sed multi docti uiri, qui nunc reſpublicas gubernant, teſtes eſſe poſſunt de induſtria, & fide Marcelli in docendo. Hoc quantum decus ſit, norunt prudentes.

Audierat

Audierat adolescens Camerarium & Eobanum in Academia Erfordiensi, ubi Camerarius eum initio propter communem patriam complexus, postea semper propter uirtutem ualde dilexit.

Deinde apud nos philosophiam & Artem Medicam didicit, & cum alijs bonis uiris omnibus, tum uero & clarissimo uiro, sapientia & uirtute præstanti Gregorio Pontano Iurisconsulto admodum carus fuit. Regebat autem officia omnia, non solum philosophica moderatione, sed etiam Diuina norma, ut adpareret eum gubernari non tantum humana diligentia, sed etiam diuinitus.

Et quanquam comis erat, tamen disciplinæ seuerus custos fuit. Et dicta Pauli sibi & alijs sæpe recitabat. λατρεύωμεν εὐαρέσως τῷ θεῷ, μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας, καὶ γὰρ ὁ θεὸς ἡμῶν πῦρ κατανάλισκον ἐστί. Et his commonefactio-

nibus, quæ in hoc libro continentur, eo delectabatur, quia conciones de disciplina multas proponunt.

In congressibus autem doctorum suauitas sermonum erat, condita multiplici eruditione. Meminimus quam uenuste discernebat gradus pœnarum apud inferos, quæ in poematibus describuntur. Has ad tres Animæ uires accommodabat.

Peccant in hominibus, τὸ ἡγεμονικόν, τὸ θυμικόν, καὶ τὸ ἐπιθυμητικόν.

Superbia, contemptus Dei, & πολυπραγμοσύνη uicia sunt proprie in ἡγεμονικῷ. Huius gradus imagines sunt Salmoneus, imitator fulminum Iouis, & Sisyphus, qui frustra saxum uoluens & reuoluens exemplum est plurimorum, qui negocia inutilia instituunt.

Deinde peccat θυμικὸν ira & crudelitate, ut Ixion socerum interfecit.

Quare

Quare Pindarus eum in rota clamare inquit: Discite iusticiam moniti & non temnere diuos.

In ἐπιθυμηζικῶ sunt auaricia, quam significat Tantali pœna, Item libidines, propter quas Tityj iecur laceratur a uolucribus. Huc & βελιμίαι coniunctæ cum profusionibus pertinent, quas significant Danaidum dolia. Talibus Socraticis sermonibus delectabatur.

Cum autem & ipse uirum honestissimum patrem tuum & te & fratres ualde dilexerit, & tua fuerit erga ipsum eximia beneuolentia & liberalitas, ad te præcipue hanc de ipsius morte commemorationem scripsi, tibiq; publico Academiæ nomine gratias ago, pro patris tui & tuis erga ipsum beneficijs, ac oro filium Dei, ut uicissim tibi & tuis benefaciat, & in his regionibus sibi perpetuo Ecclesiam colligat.

colligat, & hoſpitia eius protegat, quod ueris gemitibus & uotis Marcellus etiam precabatur, & precari cum in cœleſti Eccleſia credimus.

Bene & fœliciter uale. Calendis Martijs. 1553.

CLARISSIMO VIRO ARTIS MEDICAE DOCTORI IOANNI PLACOTOMO PHYSICO GEDANENSI HENRICVS MOLLERVS. S.

Immatura pio Marcelli fata dolore,
Placotome, ô medica nobilis arte gemis.
Ah quis non iſtis ignoſcat queſtibus ultro?
Quis, niſi qui ſacro pectoris igne uacat?
Ah eſt iuſta nimis miſeræ tibi cauſa querelæ,
Nec fruſtra tremulis fletibus ora rigas.
Nam tibi fraterno iunctus Marcellus amore
Occidit, heu iuſtos occidit ante dies.
Conſpicuus celebri uitam uirtute per omnem
Et clarus ſtudijs & pietate iacet.

Quàm

Quàm merito tanti iacturam plangis amici,
Cui posthac similem uix tibi fata dabunt.
At sicut pietas tales probat ipsa querelas,
Sic illis ratio suadet adesse modum.
Scis quæ naturæ stabilis lex cunq; creauit,
Quod rursus finem sint habitura suum.
Ergo graues posito moderare dolore querelas,
Flere uoluntatem ne uideare Dei.
Quod mutare nequis, prodest mollire ferendo.
Non uinci lacrymis fortia corda decet.
Nec totus Marcelle iaces, sed in æthere puro,
Conspectu fruitur Mens tua læta Dei.

EPITAPHIVM EIVSDEM.

Tempora Marcellus discrimine plena relinquēs,
In cœlo æternæ gaudia pacis habet.
At desyderio lugent ipsius, Amici,
Gymnasium, ciues, patria, & orbs domus.
Optima pars & terreni mens ponderis expers
Visit cœlestis summa theatra scholæ.
Nomina uirtutum nullis obitura diebus,
Et clarum memori liquit in orbe decus.
Ast huc relliquias posuit, quibus excitus olim,
Viua sub extremo uestiat ossa die.

Decessit die Natali Domini nostri Iesu Christi, inchoante annum M. D. LII.

Epitha-

EPITAPHIVM BERNHARDI CIGLERI DOCTORIS THEOLOgiæ, Authore M. Ioanne Villenbrochio Dantiſcano.

QVi fuit inſigni Ciglerus ſtirpe creatus,
Illius hoc tumulo cõdita mẽbra cubãt.
Lipſia quo Solymos interprete docta Prophetas,
Audijt Hebræa Carmina uoce loqui.
Ac fera mendacis quanquam per iurgia linguæ,
Ipſius iniuſte fama petita fuit.
Solatus uerbo tamen ille Deoq́; dolorem,
Perſtitit ut medio petra ſtat alta mari.
At ſimul infœlix triſti Germania bello
Horrida iam dominis intulit arma ſuis.
Hinc placido ſuperas letho transfertur in oras,
Gaudet ubi tuta pace Deoq; frui.

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA A PROFESSORIBVS IN ACADEmia VVitebergensi, Ab Anno M. D. XL. & deinceps.

RECTOR ACADEMIAE VVitebergensis.

NVLLVM EST MAius ac admirabilius opus Dei, quàm copulatio diuinæ & humanæ naturæ in filio Dei, qua Deus æternum & immutabile fœdus cum humano genere fecit, & clarè testatus est, se uerè curare & diligere humanum genus. Colligunt anxiæ mentes signa prouidentiæ ex legibus motuum cœlestium, ex pœnis atrocium scelerum, ex discrimine honestorum & turpium insito mentibus humanis. Deniq; ex multis rebus alijs, quibus agnoscimus impressa naturæ uestigia Diuinitatis. Et laudanda est hæc diligentia. Ideo enim omnia condita sunt, ut autor & opifex Deus agnoscatur, ac celebretur.

Sed omnia cætera testimonia longè sunt infe-
riora & obscuriora hac copulatione diuinæ
& humanæ naturæ. In hoc fœdus intueamur.
Hîc discamus uerè genus humanum curæ esse
Deo, uerè ab eo diligi.

Rerum creatio, & hæc pulcherrima mundi
corpora distincta iucundissima uarietate, incur-
runt in oculos, & admirationem meritò exci-
tant. Sed hoc opus longè maius est, quòd se Deus
deijcit in hanc ærumnosam naturam, eamq; ad-
sumit immutabili fœdere, & collocat supra An-
gelos, ut regnet diuina potentia, ac mortem abo-
leat, & restituat uitã æternam. Non potest qui-
dem magnitudo huius mirandæ societatis per-
spici ab ulla mente humana uel Angelica. Sed
tamen uult Deus hæc in Ecclesia celebrari, &
addidit tot testimonia, mortuorum resuscitatio-
nes, & alia. Ideoq; certis temporibus publicè
hæc proponit Ecclesia.

Ad hanc cogitationem excitate animos, ut
piè Festum diem celebretis. Non sunt hæc Bac-
chi Orgia. Non sunt Lupercalia, quæ diabolus,
ut opera Dei obrueret, mundo offudit. Vos ue-
rò, qui estis membra Ecclesiæ Dei, oculos, au-
res, pectora, mentes conuertite ad hunc æter-
num Deum, conditorem omnium rerum, qui se

patefecit

patefecit in filio suo Domino nostro Iesu Christo. Hunc filium, in quo diuinam & humanam naturam mirando fœdere copulauit, agnoscite, & ut Paulus inquit, Osculamini filium, amplectimini cum pia meditatione, & gratias ei agite, ac beneficia quæ offert accipite, Omittite tumultus barbaricos ac helluationes, & cogitate diuersa exempla.

Agmina cœlestia Angelorum & Prophetarum qui familiaritate Dei fruuntur, iam hoc ipso tempore de hoc tanto opere cum Christo colloquuntur, deq; causis arcanis tanti consilij. Angeli etiam solliciti, passim disponunt excubias pro Ecclesijs, quæ toto orbe terrarum de hoc opere uerè concionantur, meminerunt se fuisse nuncios huius tantæ rei, & hymnum cecinisse, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus lætitia.

Pij uerò toto orbe terrarum cogitatione huius diuini operis, agnoscunt misericordiam Dei erga nos, fiducia huius filij inuocant Deum, se regi, defendi, seruari petunt, & agunt gratias pro omnibus beneficijs.

Econtra diaboli furenter hæc cœlestia studia ubiq; interturbare conantur, alibi inutilia

bella, alibi alios furores impiorum incendunt. Iam quisq; statuat, utrum societatem studiorum in Ecclesia Dei, aut furorum diabolicorum malit. Profecto cogitatio utilis est, & accendit pietatem, sicut in his historijs de Maria legitur. Maria hæc omnia conferebat in corde suo. Idem nos faciamus. Et Nazianzenus in hodierna concione inquit, admiratione accendi pectora, etiamsi penitus perspici opus tam arcanum non potest. Θαυμαζόμεν δὲ ὁ θεός, σοφὸν τὸ πλέον, ποθοῦμεν δὲ καθαίρεσι, καθαίρων δὲ, θεοειδῆς ἐργάζεται, τοιοῦτοις δὲ ὡς οἰκείοις ἤδη καὶ συνομιλῶν γνωρίζόμεν.

Illud etiam præcipimus, ut iuxtà morem Ecclesiæ omnium temporum singuli scholastici suum munus deferant ad aram. Nam Deus adsuefieri uult honestis exemplis iuuentutem, ut discat uenerari Euangelij ministros.

Etiam Ethnici grassantes in plateis, & inuerecundè incedentes, detestati sunt, ut sunt ueteres uersiculi poëtæ Alexidis.

Ἐμ γαρ νομίζω τοῦτο τ' ἀνελευθέρων
Εἶναι τὸ βαδίζειν ἀρρύθμως ἐν ταῖς ὁδοῖς.
ἐξ ὧν καλῶς οὐ μή ποτε σφάλεται τέλος.

Id est,

Existiment hoc esse liberi probrum,

Negligere

Negligere in inceſſu decus modeſtiæ.
In talibus uirtutis haud ſunt ſemina.

Ergo ille ethnicus experientia comperit, ali & confirmari petulantiam neglectione diſciplinæ in inceſſu. Quid nos in Eccleſia dicemus? ubi uereri oculos Dei, Chriſti, Angelorum debebamus, deinde ubi nos ad modeſtiam, multo plures cauſæ, ignotæ ethnicis hortantur? Eccleſia monet calamitatibus publicis & priuatis, diſſipationibus & ruinis imperiorũ & alijs ærumnis tragicis puniri hominum delicta, ſed mitigari pœnas ijs, qui ſe emendant. Cogitemus igitur de impendentibus periculis, & Deum precemur, propter fœdus, quod cum genere humano fecit, cum filius humanam naturam ſibi reipſa copulauit, ne nos perire ſinat, qui hoc diuinum beneficium celebramus, qui doctrinæ in qua Deus ſe patefecit, cuſtodes ſumus, nec deleri hos cœtus permittat, qui nomen Chriſti inuocant, & eius doctrinam colunt, & conſeruare ſtudent, ne inſontem turbam infantum, puellas, & honeſtas matronas trucidari aut rapi ad libidinem à barbaris militibus ſinat. Conuenire Eccleſia ſolet his diebus, ut Dei beneficia, & iram, ut noſtra pericula cogitet, ac ut ardentibus uotis à Deo petat defenſionem & gubernationem. Nolumus autem interturbari piorum ſtudia,

preces, ac meditationes. Quare nocturnas nocifferationes & tumultus seuerè prohibemus. Fortassis aliqui plus sibi licentiæ sumunt, quia uident non puniri hæc delicta tanta seueritate, quanta opus erat. Etsi autem non defuturi sumus officio nostro, tamen nunc uos magis moueri uolumus reuerentia filij Dei, Angelorũ & Ecclesiæ in cœlo, & toto orbe terrarum, quàm metu Magistratuum.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

NON sine graui causa sub hoc tempus prohibentur discursationes personatorum, qui noctu militari quadam ferocia irrumpentes in alienas ædes, mutum quendam ludum tesserarum exercent. Cum enim multæ & magnæ causæ sint, cur hoc tempore attentiores ad cauenda pericula, & uel tuta omnia timenda esse debeamus, non est ferendum, ut penetrent in domos aliorum, præsertim noctu, tales, qui sese agnosci nolint. Vult autem Illustrissimus Princeps Elector, nunc maximè, cum à nobis longius abest, curæ esse Magistratui tranquillitatem ac securitatem urbis, maximè propter numerosum istum cœtum Scholasticorum, in quo sunt tot nobilium & præcipuorum hominum

num

num liberi, quem paterno quodam amore, fide & sollicitudine optimus Princeps complectitur. Itaq; propter pericula insidiarum, & ut scholasticorum honesto ocio consultum sit, repetitur edictum, ne qui discurrant personati.

Deinde ludus ille tesserarum mutus meritò reprehenditur, qui ne in castris quidem inter milites olim notus fuit, sed cum reliquis morbis, qui corpus reipublicæ corripientes, ueterem quoq; disciplinam militarem inuaserunt, nescio quomodo, latius, quàm oportuit, serpere cœpit. Per sese illiberale est, & alienum ab humanitate, inuolare in aliorum conuiuia, & ingerere se inuitis, ac tali aucupio aliquid prædæ uenari. Et constat sæpè tales colluſiones abire in pugnas & tumultus. Porro quid est deformius illa mußitatione, cum homo natus sis, in morem bouis, aut alterius beluæ ἄφωνον καὶ ἄλογον fieri? Et hæc mußitatio eò magis odium meretur, quia est imago diſſimulationum, occultationum & insidiarum, quibus nunc uita turpissimè contaminatur, & quidem à multis pro sapientia habentur talia artificia, occultè & uelut ex insidijs omnia agendi. Allatum est hoc genus ludi à Caribus illis conductitijs, quorum est tanta licentia, ut minimum absint à latronibus. Nam

horum barbaries etiam in multis alijs rebus longißimè distat ab honestißima disciplina uetcrum bellatorum, quorum castra (præ ut horum est immanis rabies) cœnobia & scholas dixisses. Talibus sanè permittatur hoc modo captare prædas, certè scholasticis hæc indigna sunt, quorum lusus debent esse sine insidijs honesti & ingenui. Quare hos ludos, qui exercentur à personatis & mutis, aut ursorum more murmurantibus, prorsus prohibemus.

Sunt etiam querelæ, à scholasticis fieri immoderatos sumptus & profusiones in comessationes & conuiuia. Scitis autem ab Illustrißimo Principe propositas esse leges, de moderandis sumptibus scholasticorum. Quare de eius sententia uetamus, ne, qui cibum scholasticis præbent, sinant eos suo arbitrio publicè agitare conuiuia, nisi id fiat præceptorum aut eorum, quibus commendati sunt, grauium & honestorum uirorum uoluntate & permissu, ac ita, ut hi ipsorum moderatis conuiuijs intersint inspectores ac gubernatores, & curent, ne producantur conuiuia ultra legitimum tempus.

Admonemus etiam aliarum legum Illustrißimi Principis, ne quis gerat arma aut tela, cuius-

cunq;

cunq; generis, comparata ad lædendum. Item ne noctu uagentur scholastici uociferantes, aut quouis modo perturbent aliorum quietem. Quòd si qui deprehensi fuerint toties admoniti, contra leges & autoritatem publicam deliquisse, à nobis seuerè punientur. Nec deerit suo officio Magistratus urbanus, in excubando & inspectione nocturna. Ac adolescentes etiam sui periculi causa admonitos uolumus, ut sint quieti. Nam si quis contemnens monitorum postea malo afficietur, non habebit, nisi sese, quem accuset.

Audistis & pro concione totius Ecclesiæ sententiam, cuius autoritatem tanquam parentis, quæ uestræ omnium salutis curam gerit, ex animo uenerari debetis, & eius sententiæ tanquam Dei de cœlo sonanti uoci parere. Nos etiam & urbanus Magistratus optamus scholasticis omni genere officij esse parentum loco, & imperio minimè sæuo, sed paterno & liberali regere & flectere animos ad pietatem & uirtutem. Quare decet & uos libentius obsequi edictis publicis. Debebant & tempora hortari omnes ad modestiam & studium pietatis, quæ si unquam aliàs, nunc certè plena sunt periculorum omnis generis, & propter illam effrenatam licentiam iuuentutis, & propè publicum contemptum

omnium legum & honestatis, horribiles pœnas minantur. Hæc mala nostra pœnitentia & assiduis lachrimis deprecanda erant, nunc maxima pars sic uiuimus, quasi delectet nos accersere pœnas. Aduersus hæc exempla opus est seueritate Magistratuum, ne propter impunitatem malorum Respublica plectatur.

VIrgilius de Aenea intuente celaturã clypei continentem uaticinia rerum futurarum, quas nondum Aeneas intelligebat, inquit:

Miratur, rerumq; ignarus imagine gaudet.

Ita quilibet homo sanus quasi procul contemplatur animam, rerumq; ignarus imagine gaudet. Etsi perspicere animæ naturam non possumus, tamen iuuat uidere imaginem, quam ex actionibus & uiribus utcunq; delineamus. Et omnibus uitæ partibus, omnibus disciplinis seruit qualiscunq; agnitio animæ, ut distinctio uirium atq; actionum. Nemo rudis huius doctrinæ theologica dextrè uel intelligere, uel explicare potest. Quàm prodigiosi errores sequentur, si non discernes partem cognoscentem, à uoluntate, & ab appetitionibus, ac rursus λόγου & ὁρμὰς, Item σοργὰς & ἀταξίας appetitionum. Deniq; multa alia occurrunt, in quorum explicatione opus est Physicorum doctrina de

anima.

ænima. Quare laudanda est uoluntas omnium, qui hoc studium uobis commendant. Cum autem me quidam studiosi rogauerint, ut libellum de Anima hîc editum enarrem, duxi eis gratificandum esse, & imitare plures cupio. Nam & frequentia excitat Lectorem, & eius libelli cognitio multum utilitatis adfert omnibus discentibus. Polliceor etiam, me ita enarraturum, ut meam operam sentiant auditores sibi prodesse. Exordiar autem, DEO iuuante, enarrationem proxima die Mercurij hora duodecima, in maiori auditorio.

Erasmus Flock
Noribergensis.

EXemplum Dei quisq; est in imagine parua.

Sic poëta de hominis natura, ac præcipuè de parte præstantissima, de anima inquit, circumferre singulos paruam quidem imaginem Dei, Sed tamen imaginem, quam certè Deus impressit nobis, ut speculum esset, in quo ipsum contueremur, ac disceremus tum naturam eius, tum uoluntatem. Hanc sui effigiem nobis Magistram esse uoluit, indicantem & quid sit Deus, & quibus officijs coli uelit.

In hac effigie discimus esse Deum, naturam intelligentem seu sapientem, iustam, ueracem, amantem castitatis, bonam & beneficam,

iustis

iuſtis amicam. Diſcimus item, flagitari à nobis hæc officia, ut hanc ipſam mentem æternam architectatricem rerum agnoſcamus, & ei obtempercmus, iuxta hoc ipſum diſcrimen honeſtorum & turpium, quod indidit mentibus noſtris, & ceu uallum ac ſeptum, ut ita dicam, extruxit in omnium animis, ut limites certi nobis ſint rerum expetendarum, ſeu actionum humanarum.

Lucet ergo in mentibus imago Dei, quam aſpici uult & conſiderari Deus. Eòq; barbaræ gentes magnam in moribus immanitatem, magnos furores receperunt & exercuerunt, quia hanc imaginem nec intueri, nec euoluere ſtuduerunt, non ſeſe aſpexerunt, nec qualis ſit humana natura, quid diſcet à belluis, ad quem finem, ad quas actiones naſcatur, conſiderauerunt. Plato admonet nos oraculi γνῶθι σεαυτὸν, idq; ſic interpretatur, præcipi nobis, ut quantum fieri poteſt, animæ noſtræ naturam conſideremus.

Sed nos, qui populus Dei haud dubiè ſumus, propterea quòd Prophetarum & Apoſtolorum doctrinam amplectimur, multò magis hoc ſtudium cognoſcendæ animæ decet, quia mandata diuina ſæpè præcipiunt de imagine renouanda. Quomodo autem renouabunt eam, qui ne quidem cogitant, ubi ſit, aut qualis ſit?

Deinde

Deinde quàm multa sunt in disputationibus Ecclesiæ, quæ sine doctrina de Anima explicari non possunt? Mansit in homine quædam de Deo notitia, & tamen uoluntas auersa est. Idcoq; Paulus eruditissimè inquit, homines ueritatem in iniusticia captiuam detinere. Hîc certè opus est discere uires animæ, & ostendere discrimen inter cognoscentem & appetentem, inter noticias & adfectus. Postea & adfectus discernendi, alij sunt σοφγαὶ ac res bonæ, alij simpliciter uicioſi.

Videnda est & societas partium, quomodo tum mente sensus coniuncti sint, quomodo cor cum uoluntate congruat, & quomodo inferiores uires, θυμικὴ & ἐπιθυμητικὴ ab ἡγεμονικῇ regantur, quæ cuiusq; sit sedes, quæ instrumenta. Harum rerum cognitio non solum per sese dulcis est, & ad uirtutem utilis, sed etiam delectat, quia ordo testatur, hominem non casu ortum esse, sed à mente architectatrice conditum.

Cum igitur in explicatione doctrinæ Ecclesiasticæ multa ex his partitionibus sumenda sint, hæc pars philosophiæ de Anima non negligenda est. Si delectat cognoscere gemmam aliquam aut plantam, & quærere uires in medicatione, cur non iuuat etiam animam humanam aspicere, quantum

quantum conceditur, & uidere, quàm uariæ sint eius uires, quo ordine iunctæ, quomodo regendæ sint, præsertim cum multa nos de Deo moneat hæc ipsa consideratio? In Euangelio nominatur filius Dei λόγος, & imago æterni patris. Etsi hæc sententia procul supra & extra humanum captum posita est, tamen cum uerbis humanis descriptio utatur, umbræ aliquæ in nobis quærendæ sunt, quarum similitudo uocabula utcunq; declaret. In homine mens cum cogitat quidpiam, eius rei subitam imaginem sibi quasi gignit. Mira est celeritas, miranda pictura, nec in nobis ipsis penitus causas huius picturæ perspicimus. Sed tamen cum filius Dei dicatur λόγος & imago patris, uerba significant, filium nasci cogitando, & ea cogitatione gigni imaginem patris, ut in nostra cogitatione lucet imago rei cogitatæ.

Possem alia multa recitare, quæ ostendunt, in multis materijs grauissimis sumi explicationem ex his riuulis doctrinæ de anima.

Quare scholasticos adhortor, ut hanc philosophiæ partem ament, & diligenter cognoscant. Nec dubito, quin omnes, qui eam mediocriter degustârunt, fateantur ipsi, hanc doctrinam adeo dulcem esse, ut auidissimè hauriatur.

riatur. Arbitror etiam multos hac ipsa auiditate accendi ad amorem & spem futuræ uitæ, in qua uelut in alia eruditiore Academia, propius tantas res aspiciemus. Sed interea discamus ea, quæ prudenter obseruârunt homines ingeniosissimi, & posteritati tradiderunt, ut aliquam qualemcunq; effigiem animæ, pene ut umbræ pinguntur, spectandam proponerent.

Decreui igitur enarrare librum de anima hîc editum, ac polliceor auditoribus diligentiam & fidem. Inchoabo autem enarrationem die Mercurij post nondinas Lipsicas. Videlicet die 10. Octobris, hora duodecima, in auditorio maiore.

Erasmus Flock.

MIRatur, rerumq; ignarus imagine gaudet.

Sic de Aenea Virgilius inquit, intuente seriem Romanarum rerum in clypeo sculptam, quas etsi non intelligebat Aeneas, quia adhuc futuræ erant, tamen lætus contemplabatur, tanquam ex signis diuinans de posteritatis uirtute, & futura magnitudine & gloria. Ita nos etiamsi humanæ animæ naturam penitus agnoscere non possumus, tamen de uarietate uirium, organorum, actionum, de origine nostra, de imagine Dei, de æternitate cogitantes,

mirari

mirari eam decet, & hac qualicunq; consideratione delectari.

Magnum quiddam est, nec aliud in toto naturæ opificio admirabilius est, hominem circumferre Dei imaginem, quæ nobis insita est, ut in ea uelut in effigie contueamur Deum, & ut uitæ hominis præcipua, sit quoddam perpetuum studium cogitandi de Deo in consideratione animæ, atq; celebrandi autoris atq; opificis. Ergo & scholam nobiscum singuli circumferimus, in qua fulgere & celebrari noticia Dei debet. Et hæc schola erat futura multò studiosior & eruditior, si humana natura mansisset integra, nec ipsa se mersisset in tenebras. Sed tamen ex his quoq; Deus nos eluctari uult, uult aspici naturam, & adiuuat studium.

Sunt igitur cognoscenda ea, quæ de animæ uiribus & officijs rectè & piè scripta sunt. Et quia libellus de anima Clarissimi præceptoris nostri D. Philippi Melanthonis, uidetur conducere scholasticorum studijs, decreui eum enarrare. Ac hortor scholasticos, ut hanc partem Philosophiæ imprimis & ament & colant. Aristoteles inquit, doctrinam de Anima inter præcipua bona, καλὰ καὶ τίμια ducendam esse.

Multo magis ita sentiendum est nobis in Ecclesia,

clesia, qui scimus hanc doctrinam prodesse pie-
tati, & illustrare disputationes de summis re-
bus. An cogitari potest aliquo modo, cur filius
Dei λόγος uocetur, si non ab ijs imaginibus,
quas mens format, exemplum sumatur? Vt mens
imagines gignit, ita æternus pater genuit cha-
racterem suæ substantiæ, ut ait Epistola ad E-
breos, qui λόγος dicitur. Deinde an non neces-
saria est partium animæ distinctio? Deus indidit
menti æternum & immutabile iudicium, quo
honesta discernuntur ac diuelluntur à turpibus.
Id manet in parte cognoscente. Sed pars altera,
uidelicet appetens, auersa á Deo, quàm est con-
tumax illi æternæ legi? Quàm ægrè patitur
frenum? Quare Paulus inquit, homines uerita-
tem in iniusticia captiuam detinere. Est in men-
te lumen diuinitus nobis additum: Sed potentia
appetens, auersa est à Deo, & quasi carcer lu-
men illud impedit. Hic certè opus est distinctio-
ne uirium animæ, & officiorum.

Item cum de adfectibus dicitur, necesse est
σοφρὰς discernere à uitiosis motibus. Quanta
certamina fuerunt cum Manichæis, qui conten-
derunt, uoluntates prauas ortas esse ab Hyle, nec
posse flecti ad bonum? Ad hos furores refutan-
dos certè utile est adolescentiam rectè institui in
his Elementis de Anima.

Fateri omnes neceſſe eſt, Ethicam doctrinam utilem eſſe uitæ, ac moribus. At fontes ſunt in doctrina de Anima. Continet autem hic libellus, quem enarrare decreui, & Anatomica multa, quorum cognitionem Galenus etiam dixit eſſe aditum ad Theologiam, quia conuincit nos, ut non caſu hanc hominum naturam, ſed à mente architectatrice conditam eſſe, ſtatuamus. Sunt autem & aliæ multæ utilitates Anatomices in tuenda ualetudine, & regendis multis functionibus corporis. Ac profecto totius huius doctrinæ multò plures ſunt utilitates, in multis uitæ partibus, quàm ut numerari omnes poßint. Et ſubinde quotidiana uitæ conſuetudo de aliquibus ſtudioſos admonet.

Sed hæc ſemper in conſpectu eſſe debet, quòd ipſa anima certum & illuſtre teſtimonium eſt, genus humanum non eſſe caſu ortum, ſed uerè ab æterna mente, ſapiente, bona, iuſta, conditum. Impoßibile eſt enim, fortuitum eſſe diſcrimen honeſtorum & turpium, quod in omnibus hominibus immutabiliter lucet. Vel ſi rumpantur omnes Cyclopes & omnes Epicurei, tamen hæc ipſa uox naturæ reclamat ipſorum furori, & cogit eos apud ſeſe fateri, eſſe mentem æternam conditricem rerum, ſapientem, iuſtam, bonam.

Iam

Iam hinc alia multa sequuntur de nostra obedientia, & de iudicio. Non enim frustra Deus has noticias nobis indidit, uult esse uitæ regulas, uult esse uincula societatis humanæ, quæ si quis uiolat, contumaciam puniturum se esse significat, & hanc suam uoluntatem quotidianis exemplis declarat in exemplis homicidarum & incestorum.

Sed in ipsa enarratione copiosius de hoc argumento disseremus. Nunc ea tantum recitaui, ut studium accenderem. Quis enim non amet hoc studium, si cogitet, hanc doctrinam adeo certum de Deo testimonium esse? Et prodest animos confirmari talibus argumentis. Perficiam autem diligentia & assiduitate, ut intelligant auditores, sibi meam operam prodesse.

Andreas Aurifaber, proxima die Mercurij, hora 9.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

VTinam studiosi literarum considerarent suæ uocationis magnitudinem. Nam profecto hæc nostra militia maximè ad rem publicam pertinet. Ideo propter communem salutem maiori cura in literis uersari eos oporte-

bat,& regere mores diligentius,ut Deus aſpira=
ret diſcentibus. Præterea ſingulorum mores
pertinent primum ad gloriam Dei, deinde ad
conſeruationem publicæ pacis , poſtremo ad
exemplum & conſeruationem diſciplinæ.

Hæ tantæ cauſæ meritò debebant ſtudioſos
mouere,ut modeſtiſſimè uiuerent ,& ut gloriam
Dei ornarent,& ut ſuo officio tuerentur com=
munem pacem, & exemplo iuuarent conſerua=
tionem diſciplinæ. Veriſſimum eſt enim,homines
non ſibi,ſed Deo & reipublicæ naſci.

Hæc ut cogitent ſtudioſi , magnoperè hortа=
mur,& propter illas honeſtiſſimas & ſanctiſſi=
mas cauſas præcipimus, ut ſint modeſti , nec no=
ctурnis diſcurſationibus aut tumultibus pertur=
bent ciuitatis tranquillitatem. Hac de re non
modo ſcitis ſcriptas leges, ſed etiam Dei uocem,
naturæ, mentibuſq; ueſtris impreſſam , concio=
nari.

Sed quoniam officij noſtri eſt , quantum poſ=
ſumus,diſciplinam tueri,eadem de re ſæpius edi=
cta proponimus. Decreuimus autem ſeueré exe=
qui pœnas,quibus illa conſtitutio , quæ ſolet re=
citari in lectione Statutorum, punit nocturnas
diſcurſationes & tumultus. Hac de re Scholaſti=
cos præ=

cos præmonere uoluimus. Senatus etiam urbis pollicetur, se non defuturum suo officio, & prohibebit noctu produci conuiuia ultra constitutum tempus. Et si quos ministri publici deprehendent deliquentes contra Edictum, ducent in carcerẽ custodiendos donec lucescat. Nos quoq; illis, qui ad iurisdictionem nostram pertinent, mandamus, qui habent conuiuas, aut excipiunt hospites, ne patiantur noctu conuiuia produci ultra nonam horam. Multum ad alios cohercendos, & ad ipsam iuuentutem flectendam ad modestiam, conducunt nostrorum exempla.

Tertio. Videmus passim incedere Scholasticos amictos uestitu adeo scurrili, ut grauium uirorum oculos mirum in modum offendat, & hospitum animos alienet. Quantum illi dolorem parentibus adferrent, si in eorum conspectum cum tali uestitu uenirent? Et sub his curtis penulis exerunt pugiones, quos gestare uetat constitutio Principis. Sciant igitur deinceps nos non passuros esse, ut pugiones gerant. Sed in constitutione de non gerendis armis excepti sunt, Magistratus & hi, qui sunt in consilio Academiæ, aut urbis, item, ministri publici.

Si qui etiam sunt, quorum nomina nondum

ſunt perſcripta in matricula, hi primo quoque tempore ueniant ad Rectorem nomina daturi.

Quarto Magiſtris, qui habent domeſticas ſcholas, præcipimus, ut ſuæ fidei commiſſos maiore diligentia & ſeueritate contineant in officio. Vident nocturnas diſcurſationes non ſolum moribus, & ualetudini adoleſcentum nocere, ſed etiam propter alios multos caſus periculi plenas eſſe. Etſi autem uidemus, qualis ſit contumacia iuuentutis in hac quaſi fatali diſſolutione diſciplinæ, tamen non excuſant tempora Præceptores. Imo nos pugnare cum uicijs temporum oportet. Quare poſtulamus, ut ſint acriores & uigilantiores. Quia ſi uerè uolumus æſtimare, hæc pædagogia non minus ad Rempubli. cam pertinet, quàm Magiſtratus & imperia. In ſcholis ſeminaria ſunt Eccleſiæ & imperiorum. Et Deo reddenda erit ratio, an præſtiterimus diligentiam, quam potuimus.

Poſtremo. Quia, ut Iohannes inquit, Chriſtus uenit, ut diſſoluat opera Diaboli, Eſtq; præcipuũ diaboli opus, diſſolutio diſciplinæ: Rogamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut ipſe conſeruet diſciplinam, & reprimat diaboli conatus, ne diſſoluta diſciplina, ſequatur infinita morum barbaries, & inſcitia. Nam illa licentia, quam

deploramus

deploramus, non tantum oritur ab humana imbecillitate, sed magis à diabolo. Sed Christianos decet intelligere, & caucre diaboli insidias, & Christus iuuabit pios, & magnis præmijs ornabit, qui propter ipsum amant disciplinam, modestiam, & artes utiles uitæ.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM.

MVlti in disputationibus, ut præripiant alijs locum argumentandi, assident Cathedræ intra proximos cancellos. Eam deformitatem corrigere cupimus. Nam indecorum est, ipsos ibi quasi ex specu aut latebris argumenta sua recitare, ubi neq; conspici, neq; exaudiri possunt, ac propemodum accidit, ut allaturi frigidissimas nænias maximè se in illum angulum abdant, unde tanquam examen fucorum ex alueolis non uocem, sed stridorem edunt.

Vt pugnanti ab exercitu conspici glorioſum est, ita decet disputantem uelle conspici & exaudiri, præsertim cum disputationes non solum studijs prodesse debeant, sed etiam ad formandam actionem in illa sedata ac mutua collocutione, quæ & ipsa requirit aptam uocis moderationem, & ne uultus atq; oculi aberrent,

ac ne qua manibus inepta gesticulatio edatur. Est quædám humanitas in disputando intueri respondentem, ut quasi cum amico, amanter confabulari uelle uidearis, aut ipsum sedatè docere, aut ab eo discere. Ideo uellem memoriter pronunciari argumenta. Sed nunc de loco præcipimus. Accedit enim & illud incommodum. Cum illud murmur in angulo exaudiri non possit, surgunt reliqui, & ad Cathedram accedunt, ac multiplici strepitu impediunt, ut minus etiam audiri disputantes possint. Hæc in ludis aut Theatris fieri solent, ubi ineptorum stultitiæ ignoscitur, qui certant occupare loca commodiora. Scholam decet εὐταξία & tranquillitas, ut templa.

Ideo mandamus, primum, ut Scholastici teneant superiorem sedem ad sinistram extra cancellos Cathedræ adiunctos. Si qui intra cancellos se abdent, mulctabuntur præmio, quod dari solet disputantibus.

Inprimis inconcinnum est, quòd alij alios interpellant initio, in proponendis argumentis, ut anteuertant, & dissonum clamorum edunt. Ideo ordinè ut locus postulat, singuli sua argumenta proponant, nec priores interpellent.

Illud magnoperè petimus & mandamus, ut

sedeant

ſedeant adoleſcentes, ne fiant ſtrepitus, dum alij ſurgunt, alij procedunt, alij proximos elidunt. Hæc ualdè deformant noſtros congreſſus, qui debebant ſimiles eſſe ueterum congreſſuum in templis, ubi ſedebant taciti auditores, ut Paulus inquit, Si fuerit reuelatum ſedenti. Et Chriſtus in cœtu lecturus Eſaiæ uaticinium, dicitur ſurrexiſſe, ac poſtea rurſus aſſediſſe. Noſtræ ſcholæ imagines eſſe debent illorum honeſtiſſimorum cœtuum in templis. Ideo auditores ſedeant tranquilli, ne ſibi & alijs excutiant attentionem.

Apud Homerum exercitus in concione ſedet, etſi tanta fuit multitudo, ut terræ motui comparetur ſtrepitus uenientis turbæ. De hac tamen inquit Homerus, ὣς ἄρ' ἕζετο λαὸς, & deinde παυσάμενοι κλαγγῆς. Nec dubium eſt poëtam retuliſſe morem urbanarum concionum. Talium morum ueſtigia adhuc in Scholis fuerunt. Et ad diſciplinam conducit, ac modeſtiam alit talis tranquillitas. Ideo ualdè petimus, ne hos honeſtos ritus Scholarum illa ἀταξία mutetis.

Volumus & locum diſputandi dari Magiſtris per uices, ut cum duo aut tres ſcholaſtici ſua argumenta abſoluerunt, petat præſidens à Magiſtris, ut diſputent, quibus in tempore lo-

eus dandus est, ut materiæ possint explicari & illustrari.

Cumq; disputationes institutæ sint ad eruendos adolescentes, petimus ut plures Magistri disputent, qui propositas materias diligentius exeutere possunt, quàm reliqui tyrones.

Postremo magnoperè obtestamur omnes studiosos, ut omni officio has disputationes adiuuare & ornare studeant, ut honestißimus mos facilius conseruari possit. Multas enim utilitates adfert hoc exercitium, ac non solum acuit ingenia, sed etiam pronunciationem & actionem format, & quandam moderationem adfert utilem moribus.

Non obscurum est ingenia acui, cum illustrantur materiæ sumptæ ex optimis artibus, & conferunt inter se docti suas cogitationes. Plurimum enim ualet in studijs, ut inquit Cicero, συζήτησις, quæ fit accuratißimè in his publicis congreßibus. Deinde iuuenes adsuefiunt ad dialecticam, & celeritatem in sententijs aliorum repetendis & explicandis. Alitur & extemporalis facundia, quæ est magnum decus. Postremo hæc moribus prosunt, quòd disputantes actionem regere discunt, & assuefiunt, ut motus animi reprimant, frenent iracundiam, confusionem

nem

nem animi discutiant. Et adsuefacti in his con-
gressibus in omni uita fiunt magis ἐυτευτικοί,
& quadam comitate inuitare homines ad collo-
quendum & respondere possunt. Hæc pars est
humanitatis, quæ sæpè magnas utilitates
adfert. Anno M. D. XL I.

ALma ueni nostris pax optatissima Musis,
Da studijs pacem maxime Christe pijs.
Turcicus Argolica quondam de sede Tyrannus
Expulit Aonij numina docta chori.
Non sacer his Helicon, nec dulci carmine clarus
Parnassus, tutos exhibuere locos.
Ergo sub occiduis petierunt finibus oras,
Hospitiumq; ipsis Itala terra dedit.
Inde per Harcinij saltus, horrentia saxa,
Huc sua Germanis dona tulere uiris.
Sæpè igitur, quamuis properantia flumina Rhe-
Facundo noster Sturmius ore tenet. (ni,
Et Mogani ripas illustrat Musa Mycilli.
Edit ad Viadrum scripta diserta Logus.
O utinam sic Lane tuus nunc uiueret Hessus,
Vt fuit Aonij gloria prima chori.
Sed postquã uicit fatum, nunc forsan ad Albim
Stigelio palmam Calliopea dabit.
Carmina Pierides dictant cui græca Camœnæ,
Illiricum officijs Necchare flaue tenes.

Cæruleasq;

Cæruleasq; undas mulcens septemplicis Istri,
Non Leoberge mihi prætereundus eris.
Et qui Cæsaribus posuisti æterna trophœa
Germanis, laudem iure Sabine refers.
Quin & ad exigui ripas qui natus Ilyßi,
Carmina grata Deo docte Philippe facis.
Quiq; refers ueterẽ eloquij grauitate Periclem,
Istius es studij non leue Iona decus.
Quid memorem Ioachime tuas in carmine dotes,
Græca tibi libeat siue Latina loqui?
Ergo tibi Philyram faciles ante omnia Musæ
Conciliant, quæ nunc te studiosa uocat.
Pacem igitur Musis cœlestia numina donent,
Turcica ne trepidas hinc etiam arma fugent.
Cura sit & nobis ipsarum dona tueri,
Artibus ut magnis hîc quoq; duret honos.
Ergo quò prosit studiosis nostra uoluntas,
Ordiar Iliados grande Maronis opus.
De quo pauca suo dicentur tempore, si cras
Lector amice uoles dexter adesse, potes.

M. Marcellus. Anno 1541.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IACOBVS MILICHIVS MEDICAE ARTIS DOCTOR.

ETsi existimamus aliqua esse modesta ingenia, quæ adficiuntur cogitatione periculorum, quæ impendent Germaniæ, & student pietate morum lenire iram Dei, tamen uidemus alios quosdam duriores esse Caucasi rupibus, ac prorsus nihil adfici publica mœsticia, Sed quærere belluinas uoluptates, grassari ebrios totis noctibus, tumultus excitare. Ac sæpè iam accidit, ut etiam modestiores pertrahantur in sodalicia dissimilia.

Nos, quod nostri officij est, disciplinam tueri cupimus, & cohercere petulantiam. Ideo prohibemus nocturnos clamores & tumultus, item personatorum discursationes, ac ludum tesserarum, qui à mussitatione nomen habet. Quid aliud quàm insidias in hac tanta morum corruptione suspicari prudentes possunt, si uideant in alienas ædes irrumpere ignotos personatos, tacentes, nutibus loquentes?

Hæc aliena sunt & ab humanitate & ab ingenuitate. Speramus autem, apud bonos & modestos

destos ualituram edicti nostri autoritatem, quos quidem decet aliarum honestarum ciuitatum exemplis moueri.

Noriberga, Vratislauia, Lipsia, & plerǽ; aliæ, etiam concessos ludos iam prohibuerunt, ut populus admoneatur exemplo aliquo de impendentibus periculis.

Quàm est indecorum, in Schola Christiana contraria exempla conspici, quæ ut est præcipua pars Ecclesiæ, Sic præcipuè lugere publicas Ecclesiæ clades debebat, & ueris ac assiduis gemitibus orare Deum, ne deleri nomen Christi, pios cœtus, politias et recta studia sinat. Sic pro Israelitis lachrymæ ualuerunt Samuelis, Eliæ, Elisei, Esaiæ, Ieremiæ, Danielis, Iohannis Baptistæ, Christi & Apostolorum.

Nunquam Ecclesia foris est uicta armis, nisi domesticis sceleribus prius horribiliter deformata esset. Ergo qui non emendant mores, non sunt in Ecclesiæ, sed in hostium castris. Fuit Isennaci ante annos quinquaginta, uir pius & doctus Iohannes Hilten, qui cum alia multa prædixit, quæ euenerunt, (Nam disertè scripsit, Anno 1516. Initium fore emendationis doctrinæ Ecclesiasticæ) tum etiam de Turcici regni successibus & inclinatione uaticinatus est, qui & Pannonijs potiturum

potiturum Turcam, & uicinas regiones uastaturum esse scripsit. Postea uerò inclinationem regni Turcici secuturam esse existimauit. Audimus & in urbe Bizantio, Leonis ænei magnam molem saxo impositam & immotam, qui antea spectauit orientem, ante paucos annos sponte, sine ulla ui humana conuersam esse, ad occidentem, quo bella in occidente significari putatur. Et commemorari alia multa possent. Sed fortasis est ineptum uaticinia & prodigia recitare, præsertim cum hostis sit in conspectu.

Et tristißima signa sunt in moribus, qui si mediocriter emendarentur, Deus arceret hostem. Verum cogitate ipsi. Si tantum eò pacem expetimus, ut obscœnis uoluptatibus fruamur, quid preces piorum, quid arma uirorum fortium proficere possunt? An putatis pios hoc precari Deum, ut det ocium alijs explendæ tyrannidi, ambitioni, libidinibus & alijs prauis cupiditatibus? An ideo uultis Deum præliari in nostra acie, ne stupra, ne adulteria, ne alia flagitia impediantur?

Nolite hanc dementiam aut pijs precantibus, aut uiris fortibus dimicantibus tribuere. Ne quidem exaudiret Deus Samuelem aut Ieremiam hæc precantes,

Alius

Álius eſt finis, quem & pij in precibus, & uiri fortes in acie intuentur, uidelicet, ut Deus rectè colatur, ut Eccleſia, diſciplina, pia & utilia ſtudia, honeſtæ politiæ conſeruentur. Ergo ut preces, ut arma ualeant, mores noſtros emendemus. De his qui mores emendant, ait Samuel: Ne ſic delinquam aduerſus Deum, ne orem pro uobis, neue doceam uos uiam bonam & certam: Ideo timete Deum, & ſeruite ei uero & toto corde, ne pereatis. Die XVIII. Februarij.

Anno 1542.

IOannes Regiomontanus, qui diuina quadam ui ingenij præditus, tantum lucis attulit Mathematis, ut ueteribus artificibus præſtantiſſimis in hoc genere conferri poſſit. Is cum in Italiam ductus eſſet à Beſſarione Græco, Cardinale, aliquantiſper hæſit Patauij, ubi in Academia florentiſſima, & inter doctiſſimos homines enarrauit Alfragani libellum. Nam cum propter imperitiores non ſtatim prolixas demonſtrationes Ptolomei proponendas eſſe iudicaret, ſed conſulere uellet utilitati diſcentium, nec tamen prorſus uulgaria & tenuia elementa artifex tantus traditurus eſſet, delegit Alfragani commentarium, iudicans uberiorem eſſe

Iohanne

Iohanne de Sacro Busto & similibus libellis, qui continent initia Astronomiæ.

Hæc eò præfatus sum, ut scholastici, iudicio & autoritate summi artificis Iohannis de Regiomonte inuitentur ad lectionem Alfragani. Neq; enim putaui ullam futuram grauiorem commendationem huius autoris, quàm testimonium eius uiri, cui doctißimi omnes in Germania atq; Italia libenter principatum in his artibus tribuerunt, & qui, ut posset suos autores perfectè intelligere, & explicare, etiam Græcæ linguæ se dedidit, ut fontes doctrinæ uideret.

Itaq; moueat studiosos autoritas Regiomontani, ut Alfraganum ament & diligenter cognoscant. Erit utilis etiam rudioribus, quia elementa proponit. Quare & in hac ipsa prælectione habebimus occasionem repetendi illa, quæ in libello Iohannis de Sacro Busto tradidi. Accedent & alia, quæ prouehent eos, qui elementa cognouerunt, & profutura sunt doctioribus. Etsi enim meo me pede metior, & agnosco me in his disciplinis tyronem esse, tamen Deo dante, perficiam, ut pro mea mediocritate, hunc commentarium dilucidè explicem.

In his artibus summa laus est perspicuitatis,

& ſimplicitatis. Ideò earum tractatio aſſuefacit ingenia, ut etiam in alijs diſciplinis ament ſimplicitatem & perſpicuitatem. Poſtremo incendat auditores ad hunc commentarium cognoſcendum, rerum utilitas & ſuauitas. Conſtat enim, doctrinam de motibus cœleſtibus in multis uitæ partibus prodeſſe, ut aliàs ſæpè dictum eſt. Et naturæ non monſtroſæ fatentur, nihil hac philoſophia dulcius ac iucundius eſſe. Quia enim traducit nos ad agnitionem Dei, ad aſpiciendas res perpetuas, & ad cauſas mutationum in natura, quarum cognitionem uehementiſſimè expetit humana mens, adfert mirificas uoluptates. Sed hæc aliàs ſæpè dicuntur.

Georgius Ioach. Rheticus.

IN ENARRATIONEM METAMORPHOSEOS OVIDII.

FAbula narratur ſcriptis celebrata uetuſtis,
Non credenda licet, moribus apta tamen.
In porcos Circe comites mutârat Vlyſſis,
Viribus herbarum, carminibuſq; potens.
Reddidit ablatas ijſdem quoq; deinde figuras,
Quod fuerat primo, quilibet eſſe cupit.
Vnus erat Gryllus, cui mens diuerſa uolebat,
Huic plus humana uita ſuilla placet.

Virtutem

Virtutem ſic pars hominũ quoq; maxima ridet,
Brutorumq; magis uiuere more iuuat.
Non amor eſt recti, uirtutis nulla cupido,
Et ſua uirtuti gloria rara datur.
Vita, uoluptateſq; placent, moreſq; ferini,
Et quod præterea turpe parumq; decens.
Sint procul à noſtro cœtu, qui talia quærunt,
Sint procul à ſtudijs talia monſtra bonis.
Sed Circen quærant, Gryllũ, ſimileſq; magiſtros,
Et lutulenta colant turpiaq; antra ſuũm.
At quibus eſt melior, nec tam peruerſa uoluntas,
Qui pecudum ritu uiuere turpe putant,
Illis ingenuas animum excoluiſſe per artes
Cura ſit, & ſtudijs incubuiſſe pijs.
Humano generi Deus hæc ſua munera donat,
Et pietas hæc eſt diſcere grata Deo.

HAec inter ſibi iure locum quoq; ſacra Poëſis
Vendicat, extremum non tenet illa locum.
Ergo Poëtarum quoq; carmina docta legamus,
Vtilitas etenim non leuis inde uenit.
Naturam rerum ſic effinxere Poëtæ,
Vt ſpeculum formas fingere leue ſolet.
Pulchraq; uirtutum nobis exempla recenſent,
Inclyta dum priſci temporis acta canunt.
Proponunt noſtræ præcepta ſalubria uitæ,
Et morum quæ ſit regula certa docent.

Turpe quid oſtendunt, et quid ſcelerata ſequatur
Facta monent, & quod ſit probitatis opus.
Ardua ſiderei referunt faſtigia cœli,
Demonſtrant geminos eſſe ſub axe polos.
Errantemq; canunt lunam ſoliſq; labores,
Quòdq; tenent certas ſydera clara uices.
Auferat hybernis quare de noctibus æſtas,
Cur minuat longas frigida bruma dies.
Irruat in ſedem cur tardi Cynthia fratris,
Obiecto rapidas fuſcet & orbe faces.
Cur nõ Parrhaſides tingantur in æquore ſtellæ,
Quæ ſunt Arctoo proxima ſigna polo.
Quæ res incendant diros moueantq; Cometas,
Et tantas flammas contrahat unde uapor,
Fiat ut interdum quòd cœlo ſtella ſereno,
Quam cecidiſſe putes non tamen illa cadat.
Aeolus inſanos ut frenet carcere uentos,
Aduerſa quando prælia fronte gerunt.
Vt triſtes Hyades, nymbiſq; ſuperbus Orion,
Dant uires pluuiæ materiamq; cient.
Nec cauſas rerum tantum docuere poëtæ,
Verum etiam nobis fata præeſſe monent.
Iſtaq; ſeruari non caſu corpora mundi,
Mente ſed æterna conſilioq; regi.
Quos non tantarum iuuat inquiſitio rerum,
Hos ego non homines, ſed reor eſſe feras.

Vt uã

VT uates igitur ſtudiumq; colamus honeſtum,
Et laus ſit Muſis quantulacunq; bonis.
Ordiar egregium Naſonis & utile carmen,
In non credendos corpora uerſa modos.
Hoc opus(ut uerbis complectar plurima paucis)
Illud præcipuè commoditatis habet,
Hiſtoriæ ſeriem quòd prima ab origine mundi,
Tempus ad Auguſti Cæſaris uſq; docet.
Ac tibi ne uanis credas modo tempora ſcriptis
Ludi, ſub fictis plurima uera latent.
Si cui igitur ſtudium placet hoc, & noſtra uolun
Ad ſolitum ſe cras conferat ille locum. (tas.

Iohannes Marcellus
Regiomontanus.

PAx optima rerum,
Quas homini nouiſſe datum eſt, Pax una
Innumeris potior. (triumphis

Sed tanto bono uti homines debebant ad eru=diendas & ornandas Eccleſias, ad docendam iu=uentutem, ad mores regendos. Hoc cum non fiat ac ocium inuitet uoluptates, ignauiam & multa uicia, nihil miremur exoriri bella. Sic igitur à Deo pacem petamus, ut hanc etiam benè collo=cemus, gubernatores ſint in tuenda diſciplinæ ſeueriores, erudiantur Eccleſiæ, nos literas & artes uitæ neceſſarias acerrimo ſtudio colamus.

Hæc si faciemus, facilius à Deo pacem impetrabimus, quam & petere maiore cura debemus, quòd apparet præcipuè Turcicis bellis delecta esse studia doctrinæ in ijs locis, ubi maximè quondam floruerunt, in Aegypto, Asia, & Græcia. Illa ipsa ciuitas Attica, quæ nutrix fuit artium, ita concidit, uix ut locus ubi quondam fuit, monstrari iam posit.

Vt igitur excitemus studia ingeniosorum, enarrabimus (Deo iuuante) scriptum, quod penè ausim dicere, omnium humanorum operum longè pulcherrimum esse, τήν μεγάλην σύνταξιν Ptolemæi, quæ complexa est doctrinam de motibus cœlestibus integram. Agnoscunt omnes sani suauem & dulcem esse cognitionem eius doctrinæ: Nam mens humana orta è cœlo, cognitione rerum cœlestium, uelut conspectu patriæ, delectatur.

Sed aliæ multæ causæ etiam nos ad hæc studia hortantur. Cum Deus ait, condita esse sydera, ut sint signa, & metiantur annum, & uices temporum, certè aspici sydera, & motus obseruari uoluit. Frustra enim constituuntur metæ anni non obseruantibus. Iam illud cogitate, quanta esset uitæ confusio, si ignota esset anni ratio, si spacia præteritorum seculorum & se-

riem historiarum retro animis legere & comprehendere non possemus? Quæ tenebræ essent religionum, & maximarum rerum?

Sunt & aliæ utilitates Physicarum significationum non leues. Quàm est enim absurdum, putare, hanc miram et certissimam motuum uaricatem frustra à Deo architecto institutam esse?

Expetenda est igitur motuum doctrina, quam pro mediocritate mea diligenter explicabo, in Ptolemæi enarratione. Deus umbras dedit humano generi harum rerum doctrices, dedit numeros & mensuras, ut agnoscamus & mentem esse opificem tam mirandæ machinæ, & se à nobis inquiri & coli uelle. Incipiam autem enarrationem Ptolemæi die proxima Iouis.

M. Ioachimus Rheticus.

IN LECTIONEM THEORICARVM PVRCBACHII.

NEcesse est in scholis retineri libellos, qui tradunt elementa artium, quibus benè cognitis, aditus patet ad reliquas partes disciplinarum obscuriores. Est enim ἀρχὴ, ἡμισυ τοῦ παντός, seu, ut Plato inquit, plus quàm dimidium.

Quare iterum inchoabo Theoricas planetarum, eaq; in re non tantum meum iudicium sequor, sed etiam collegij nostri. Sed cum totiens repetantur Theoricæ, uisum est interim adiungere Euclidis enarrationem, distribuamq; horas ita, ut diem Lunæ & Martis tribuam Theoricis, reliquum biduum Euclidi. Miscebo & Theoricis, ut antea feci, tabulas resolutas, quæ lumen addunt Theoricis, & ostendunt computationem motuum cœlestium multorum seculorum. Quid est autem admirabilius, quàm tenere rationem & retro, & in posterum multorum annorum curriculis siderum positus considerare?

Absolutis Theoricis, Deo dante, adijciam præcepta, de figuris geneseon constituendis, ut siderum positus in qualibet genesi rectè computare studiosi possint. Ea exercitatio, si nihil aliud, certè hanc parit utilitatem, ut in exemplis illis motuum computatio fiat illustrior & familiarior. Sed si uerè iudicare uolumus, sunt aliæ quoq; magnæ utilitates.

Siderum positus, ingeniorum inclinationes, & multos casus uitæ, & interdum reipublicæ mutationes monstrat. Estq; uel maximè illustre argumentum, quod testatur, hunc mundum non

extitisse

extitisse casu, quòd signa mutationum uenturarum in cœlo picta sunt. Nec enim casu & sine mente poterant ordinari signa futurorum euentuum. Cumq; manifestum sit, dissimillimas esse qualitates planetarum, absurdum fuerit cogitare, nullius usus causa hanc dissimilitudinem conditam esse.

Præclarè Aristoteles ait: τὸ μὴ τυχόντως, ἀλλ' ἕνεκά τινος ἐν τοῖς φύσεως ἔργοις ὅτι μάλιστα. Hoc cum manifestè uerum sit in minutissimis rebus in hac inferiore natura, ubi uidemus singulas ad usum aliquem nasci, cur non & illa ingentia & perpetua corpora ad mirificos usus existimemus condita esse? Incendia corporum atq; aëris & motus rubræ bilis in animantibus excitari Martis lumine, manifestum est. Econtra frigescere & arescere corpora Saturni lumine, & atram bilem in animantibus augeri constat. Ac uenturi ueris calor & intemperies, testabuntur, magnam efficaciam esse stellarum in uariandis tempestatibus, cum & Mars in Arietem ueniet, & erit oppositus Saturno, & accedet Eclipsis. Hæc signa minacia, ut Deus mitiget, orandus est.

Quare doctrina, & de motibus, & de significationibus consideranda est, qua quidem ut

rectè utamur, etiam studiosos adhortari debe-
mus, uidelicet, quòd & motus & significationes
de Deo opifice nos admoneant, ut cogitemus,
nos ad agnitionem Dei, & ad immortalitatem
conditos esse. Significationes uerò etiam horten-
tur nos, ut mores diligentius regamus, & Deum
inuocemus, ut euentus gubernet, qui præcipuè
sunt in potestate Dei.

Erasmus Reinholdus
Saluelden sis.

TAnta est perspicuitas demonstrationum
Geometricarum, ut confessus sit Galenus,
se penè errorem ac dubitationem Acade-
micorum comprobaturum fuisse, nisi reuocatus
fuisset in uiam, consideratione Geometricarum
demonstrationum, in quibus uiderat esse tan-
tam certitudinem, & tantum consensum, ani-
maduertit & corpora omnia ita condita esse, ut
certas metas ac mensuras inter se habeant, &
humanæ menti insitas esse certas noticias, quibus
metiri corpora potest, propter ingentes utilita-
tes. Nisi enim hæ noticiæ essent certæ, nullum
discrimen conspiceretur finiti & infiniti.

Porro in studijs magnoperè prodest, intelli-
gere

gere ueram uim demonſtrationum, quæ cum in Geometricis exemplis maximè conſpiciatur, omnibus utile eſt attingere principia Geome= triæ. Sed aliæ ſunt utilitates maiores & illu= ſtriores, quare in ſcholis neceſſe eſt tradi Geo= metriam. Nam illa pars Philoſophiæ, quæ uoca= tur Phyſica, ſumit initium à Geometria, & ue= lut extruitur ex Geometria. Hinc oſtendit Ari= ſtoteles, hunc mundum finitum eſſe. Hinc mo= tuum differentias certas ſumit, circularem mo= tum & rectum. Item poſitus corporum cœle= ſtium & elementorum, deniq; alia multa.

Quare Geometria multum lucis adfert Phy= ſicæ. Deinde tota doctrina de motibus cœleſti= bus, de obſeruatione æquinoctiorum, & Eclip= ſium, orta eſt ex Geometria. Ingentem cumu= lum utilitatum adfert certa anni deſcriptio. At hæc neq; tradi neq; intelligi poteſt, ſine Geome= tria. Nam umbrarum menſuræ, adhibita hac arte, oſtenderunt motus cœleſtium corporum. Ita Deus nobis Magiſtram huius artis ac mon= ſtratricem multarum admirabilium rerum, dedit umbram, Fortaſſis, ut meminerimus ad= huc nos rerum umbras uidere, ipſas uerò res penitus in illa æterna luce perſpecturos eſſe.

Cum

Cum igitur tanta ſit utilitas Geometriæ, decreui aliquot libros Euclidis explicare, & inchoabo primum librum die Iouis proxima. Hoc abſoluto, poſtea per interualla ſingulis ſeptimanis tribuam aliquos dies Euclidi, aliquos Theoricis. Nam has quoq; ſubinde repeti in ſcholis neceſſe eſt. Adhortor autem ſcholaſticos, ut hanc artem ament & cupidè diſcant, inuitati magnitudine utilitatis. Meminiſtis Platonis præcepta, qui arcebat à reliqua Philoſophia eos, qui non norant Geometriæ elementa, μή τις ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, Quare cogitabitis Geometriam diſcendam eſſe, ut ad reliquam Philoſophiam magis idonei ſimus.

Eraſmus Reinholdus.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

MAgnum & admirandum opus Dei eſt, cœli ac totius huius machinæ & rerum creatio, ſed longè maius eſt, quòd filius Dei carnem induit, ut æterni patris arcanam voluntatem nobis patefaceret, & pro nobis victima fieret.

Hoc ingens opus & beneficium Dei, cum Eccleſia Chriſti iam celebret, præcipimus ſcholaſticis,

sticis, ut tranquilli & modesti sint in his feriis, ac se ad pias meditationes excuscitent. Angeli cœlestes denunciârunt, & celebrauerunt Christi natiuitatem. Huius chori socios esse nos conuenit, Nec enim desierunt Angeli canere illas laudes Deo. Adhuc sunt inspectores Ecclesiæ, & nobis præcinunt pias laudes. Has interturbare scandalis, nec cogitare magnitudinem diuini operis, nec iram Dei aduersus eos, qui contemnunt uenientem dominum, diabolicus furor est.

Psalmus iubet osculari filium Dei. At illi, qui memoriam aduentus ipsius non ornant, non oscu-lo, sed colaphis eum excipiunt. Ideo uos propter dominum nostrum Iesum Christum obtestamur, ut pijs moribus & officijs, Ecclesiæ uota & preces nunc adiuuetis, præsertim cum tanta pericula rerum publicarũ impendeant, Id est σύμφωνον esse choro Angelico.

Admoneo etiam uos edicti principis, quod prohibet gerere arma. Quidam noctu tumultuantur, et lapidibus petunt publicos ministros, qui sunt in excubijs pro toto oppido. Hæc petulantia nequaquam ferenda est in societate ciuili. Quare cum omnes nocturnos tumultus prohibemus, tum præcipuè mandamus, ne quis la-

cessat

ceſſat publicos miniſtros. Illuſtriſſimus princeps ſi authoritatem magiſtratuum contemni ſentiet, ſeueris exemplis iuuenum petulantiam cohercebit.

ILlud etiam mandamus, ut eras de more quiſq; ſuum munus ad aram offerat. Nam hunc morem propter multas cauſas honeſtas conſeruari cupimus. Exemplum imitat iuuentutem, ut cogitet, ſe reuerentiam & alia officia debere Euangelij miniſtris. Et iuſtum eſt, ſingulos aliqua ſignificatione gratitudinem ſuam erga miniſtros Eccleſiarum declarare.

IN Eccleſijs benedicite Deo domino de fontibus Iſrael, inquit Pſalmus, uocans nos & in Eccleſiam Dei, & ad fontes Iſrael, hoc eſt, iubens, ut Deum in Eccleſia quæramus, & Eccleſiam ibi eſſe ſciamus, ubi ſunt fontes Iſrael, id eſt, doctrina Prophetica & Apoſtolica. Ex his fontibus uera & certa de Deo doctrina haurienda eſt. Ad eam rem neceſſaria eſt linguæ Ebraicæ cognitio, ut genus ſermonis Prophetici & Apoſtolici rectè intelligi poßit, & ſententiæ certæ in ſingulis ſcriptis retineri. Etſi enim uerſiones ueteres & recentes præclaræ extant, tamen ut uerſiones iudicentur, & rectè tranſlata non corrumpantur, neceſſe eſt fontes noſſe.

Deinde

Deinde phrasis intelligi non potest, nisi uocum & figurarum uis collatione testimoniorum inquiratur, ad quam rem necesse est linguam ipsam & uocum proprietatem & metaphoras discere. Deniq; non dubium est, mediocriter intelligenti linguam, passim lectionem illustriorem esse. Omnibus igitur ætatibus inde usq; ab Apostolis donum linguarum in Ecclesia Deus seruauit. Semper fuerunt uiri aliás alibi, qui uersiones ad fontes conferebant, & nativas sententias ostendebant. Pro hoc munere gratias Deo agere debemus, hoc est, celebrare Dei bonitatem, quòd non sinit extingui Euangelij lucem, sed uerè accendit studia doctrinæ & uirtutis in multorum mentibus, ut colligatur Ecclesia æterna, & multi salui fiant. Hanc autem significationem gratitudinis præcipuam requirit Deus, ut nostra cura datum munus tueamur & amemus. Accendit Deus nunc quoq; mediocrem linguarum cognitionem, & hanc ali & propagari uult discendo. Studia igitur necessaria sunt, & seruatur donum apud discentes, ut filius Dei inquit, Habenti dabitur. Et congruunt sententiæ multæ, quæ significant iuuari á Deo, non cessantes & prorsus nihil agentes, sed diligentia & labore ornantes Dei munera, ut dicitur, φιλῶ δὲ τὸν κάμινον συσπεύδοντα θεόν.

Discere

Discere igitur necesse est, si linguarum donum seruari in Ecclesia uolumus. Multi ignari linguæ Ebreæ cum instituũt enarrationes, nihilo dexterius explicant sententias, quàm si quis, ut dicitur, claue ligna findere, & securi seras aperire conetur.

Moueamur igitur publica Ecclesiæ necessitate, & nostra salute, ut literas Ebraicas amemus & discamus, ut doctrinam de Deo magis perspicuam & firmam teneamus. Hoc bono nullum maius in hac uita cogitari potest. In docendo quidem adseuerare certius potest interpres eruditus & pius, si fontes didicit, & quasi mente ipsum Prophetæ aut Apostoli archetypum intuetur, quàm qui umbram in uersionibus utcunq; redditam sequitur.

Propter has grauissimas causas & literæ Ebraicæ in Academia traduntur, & Grammaticis præceptis additur enarratio alicuius partis sacrorum uoluminum, ut ex ipso sermone Prophetarum lingua, phrases, figuræ discantur. Et ego iam decreui Isagogen Ebreæ grammaticæ Pauli Phagij tradere, quam ut emant, audiant & ediscant, magnoperè studiosos adhortor. Totumq; hoc studium eò libentius colant, quia sciant, gloriam Dei & Euangelium Domini nostri

Iesu

Iesu Christi hoc labore illustrari, & iuuari uniuersam Ecclesiam, & priuatim confirmari pias mentes, quia fontes cœlestis doctrinæ patefacit.

M. Lucas Edenbergius.

IN ARITHMETICAM.

Constat in omni uita multas & infinitas esse utilitates Arithmetices. Nam quotidianæ uitæ usus docet, non solum in mercatu, aut metallicis rebus opus esse scientia numerorum, uerum etiam in multis alijs publicis & priuatis rebus, quæ ritè explicari & computari sine arte nequeunt, ut maximè ualeas ingenio.

Deinde cum deceat eos, qui in studijs uersantur, perfectam doctrinam expetere & propagare ad posteros, certè ad doctrinam de rebus cœlestibus, opus est his ducibus, seu alis potius, Arithmetica inquam & Geometria. Et quanquam ad perfectam cognitionem motuum cœlestium omnino necessaria est Geometria, tamen hæc ipsa quoq; mutila est sine numerorum scientia.

Accedit illud etiam, quòd qui Arithmeticen mediocriter callent, etiamsi Geometriam non-

dum teneant, tamen ad Astronomiam discendam maximum aditum habent, eamq; ad usum transferre possunt. Sed quid opus est omnes numerorum utilitates persequi, quæ quidem infinitæ sunt? Ac scio Arithmeticen magni fieri à studiosis, qui uel primis labris eam degustârunt. Nam & mirè uim ingenij excitat, acuitq; ad Dialecticam & cæteras artes facilius perdiscendas.

Deinde passim in præstantissimis autoribus multi loci occurrunt, qui absq; subsidio Arithmetices nequaquam possunt intelligi. Iam diu etiam quidam optimi adolescentes flagitârunt meam operam in docenda Arithmetica, quorum uoluntati hactenus ob inopiam exemplarium, quæ enarrare cupiebam, minus potui gratificari.

Nunc postquam mea opera hîc recusus est libellus Arithmeticus Gemmæ Phrysij, qui maximo compendio præcipuas regulas uulgaris arithmetices complexus est, ut apparet, itemq; Geometrica quædam exempla adiecit, decreui eum priuatim prælegere. Idq; publicè hoc loco significandum duxi. De loco & precio facilè conueniam cum meis auditoribus.

Fidem certè & diligentiam præstabo in tra-

dendis

dendis præceptis & exemplis, legamq; singulis diebus, aliàs quidem hora xij, seu prima, aliàs uerò XI. quando reliquæ horæ publicis lectionibus sunt occupatæ, sicut etiam hac de re conueniemus.

Hac uerò septimana nondum inchoabo, sed Deo uolente, proxima Dominica hora XII. in auditorio ueteris collegij, ut Exemplaria possint interea comparari, quæ quidem cras, ut puto edentur, & apud Mauricium reperientur. Huic porro libello adiungant studiosi Epitomen Arithmeticam Glareani, & si qui alij uidebuntur.

Erasmus Reinholdus.

PHILIPPVS MELANTHON.

Mulæ Asinæq; duos imponit seruulus utres
Impletos uino, segnemq; ut uidit Asellam
Pondere defessam uestigia figere tarda,
Mula rogat. Quid cara parens contare, gemisq;,
Vnam ex utre tuo mensuram si mihi reddas,
Duplum oneris tunc ipsa feram, Sed si tibi tradã
Vnam mensuram, fient æqualia utriq;
Pondera, Mensuras dic docte Geometer istas.

IN GEOGRAPHIAM PTOLEMAEI.

OMnia conando docilis solertia uincit, inquit Manilius, ac studiosos excuscitat, ut progredi in artibus ausint, & ex primis fundamentis extruere reliquas partes. Cum igitur sæpè in hac schola tradita sint elementa de circulis cœlestibus, climatibus, de diuersitate dierum, non hæreamus in his initijs, sed aliquando progrediamur ad utiliora.

Decreui igitur, Deo iuuante, hoc semestri explicare Geographiam Ptolemæi, ut discant studiosi locorum interualla dijudicare, & comtemplectantur animo regiones omnes habitati orbis, quod ad intelligendas historias utilissimum est. Lustrare uarias regiones, & comtemplari opiniones, studia, relligiones, mores hominum, & conferre inter se, inquisitis ueris causis, conducit ad excitanda ingenia, & ad prudentiam.

Hæc fuit causa Platoni, Galeno, Iohanni Regiomontano, & alijs multis doctissimis uiris peruagandi exteras nationes. Sed uerissimum est, quod dicitur: Non omnibus contingit adire Corinthum. Retinemur in patria alij alijs difficultatibus.

Quare

Quare proximum est, ut regionum descriptiones ex libris cognoscamus. Ac ne ipsa quidem erratio prodesset sine doctrina. In libris causæ monstrantur, non solum, cur alia dierum spacia sint in alijs regionibus, sed etiam cur soli natura uariet, unde ingeniorum ac morũ dißimilitudo oriatur, quæ profecto in consuetudine uitæ diligenter considerandæ est. Germani, præter quosdam deprauatos peregrinis moribus, sunt amantes ueritatis, inimici crudelitati, fœdis libidinibus, simulare nescij, & ut titulus sonat, γνήσιον ac germanum quiddam ipsa ingenuitate morum retinentes. Econtra Iberi occultatores, fallaces, crudeles, libidinosi. Vnde hæc tanta ingeniorum diuersitas? Causa quæritur in scriptis eruditorum.

Quare non satis est adijsse multas regiones, nisi animo hanc doctrinam de totius terræ ambitu, spacijs, locorum interuallis, causis diuersitatis dierum & naturarum cognoueris. Certè lumen est historiarum omnium Geographia, ut locus ipse ostendit in Genesi de paradiso.

Cum enim significaret ferè totam terram fore Paradisum quaqua uersus, fluminibus distinxit, ortum, occasum, meridiem & septentrionem. Ad ortum longitudo ingens panditur,

qua fluit Phiſon, id eſt, Ganges, qui perlabitur Indiam. Ad occaſum erat Euphrates. Ad meridiem Nilus, ingenti ſpacio inde uſq; à circulo æquinoctiali ueniens, qui quia ſtatis temporibus in ſummo æſtu contra naturam aliorum fluminum intumeſcit, ac exundat, Gihon dictus eſt. Septentrionem ambit Tigris, qui à celeritate nomen habet. Tantus autem ambitus eſt, quem hæc quatuor flumina continent, ut appareat, Moiſen ferè totum orientem complexum eſſe.

Hæc & ſimilia in hiſtorijs nihil habent lucis ſine Geographiæ cognitione. Ideo adhortor ſcholaſticos, ut emant Ptolemæi libellos, qui iam paruo precio uenduntur, & paruos typos uniuerſales. Exordiar autem enarrationem breui. Nam prius tradam partem Arithmetices, quam nondum abſoluit D. Doctor Milichius præceptor meus, uidelicet præcepta de extractione radicum, quæ maximos uſus habent, cum in his artibus, tum etiam in cæteris computationibus. Incipiam autem præcepta de extractione radicum cras hora duodecima in nouo collegio.

Eraſmus Reinholdus.

In libros

IN LIBROS FASTO-
RVM.

CRas postquã æquoreis adsurget Lucifer undis
Septenæq; horæ Sol tibi signa dabit.
Tempora cum causis Latium digesta per annũ,
Lapsaq; sub terras ortaq; signa legam.
Hinc cœli uarias cognosces ordine leges,
Distinguunt anni quæ referuntq; uices,
Phœbus ubi exorsus fugientes inchoet annos,
Et metam tacito quam petat ille gradu.
Vtq; anni certo numerentur in ordine partes,
Pars habeat nomen quælibet unde suum.
Vt Ver purpureum florentes proferat herbas,
Fundat ut autumnus dulcia musta lacu.
Hybernis feruens de noctibus auferat æstas,
Reddat & angustos frigida bruma dies.
Sydera in obliquo quot Phœbus permeet orbe,
Quot menses anni rosida Luna notet.
Quilibet & certo quare sit nomine mensis,
Et quot continuos compleat ille dies.
Cognosces etiam uariorum iura dierum,
Namq; dies munus non habet omnis idem.
Ortaq; quas teneant metas animalia cœli,
Et qua descendant tramite tincta mari.
Tantarum, credas mihi, contemplatio rerum,
Digna est ingenij cognitione boni.

Ipſe opifex rerum labentia ſydera cœlo,
Ipſorumq; iubet mente notare uices.
Ne cæco caſu naſci ferriq; putemus,
Et nulla mundi corpora ab arte trahi.
Eſſe ſed æternam mentem, quæ cuncta gubernet,
Ordine tam pulchro condita cuncta monent.
Continet hic etiam uirtutum exempla libellus,
Nullaq; non priſci temporis acta refert.
Illa nec in uita modicum prodeſſe putabis,
Nam faciunt mores hæc monumenta bonos.
Hæc quanquam nobis per ſe diſcenda uidentur,
Attamen in uerſu gratia maior ineſt.
Vtq; author poſſet nos delectare docendo,
Inſeruit grauibus multa iocoſa locis.
Has magno ſtudio ſi non urgebimus artes,
Et ſi Muſarum deſtituemus opes,
Hei iterum inuoluet Chriſtumq; araſq; tenebris
Barbaries, ſtudijs perniciosa bonis.
Huc adſis igitur Muſis addicta iuuentus,
Si ſtudijs optas conſuluiſſe tuis.
Hinc quia uerborum tibi lumina clara parabis,
Implebunt aures aurea dicta tuas.
Hæc ſi quis ſtultè nobis diſcenda negabit,
Quæ uitæ humanæ munera iuſta regunt,
Natus hic eſt ſcopulis, admouit & ubera Tygris,
Illius & ſilices pectus habere feram.

Iohannes Marcellus Regiomonta.

Fœlix

Foelix qui potuit rerum cognoscere causas, inquit poëta.

Quanquam autem uerum est, non omnium causas posse erui ac cerni, & magnam esse caligi-nem humanæ mentis, tamen aliqua ex parte rerum naturam conspici Deus uoluit, ut quasi monstratrix nobis esset ad ipsius agnitionem. Etsi igitur pauca deprehensa & peruestigata sunt, tamen hæc ipsa nosse, ingens est utilitas, quæ quidem per se considerata nec pauca, nec exigua sunt, sed magnam uitæ partem regunt, ut non falsò beatum uocârit poëta, eum, qui potuit rerum cognoscere causas. Has cum Physica doctrina collegerit, ualdè conducit adolescentes in ea exerceri. Ac cæteras partes hactenus tradidi. Nunc inchoabo librum de Anima, in quo non solum usitatas partitiones ac definitiones tractabimus, sed in descriptione potentiarum organa, & totius humani corporis ἀνατομὴν, humorum species, & alia multa complectemur.

Nec ulla pars Physices utilior est, aut ingenijs liberalibus iucundior. Nam ad tuendam ualetudinem, & ad mores regendos, membrorum atq; organorum cognitione opus est. Deinde si uoluptas est gemmas, aut metalla, aut herbarum uarietatem & uires, aut cœlestes motus consi-

derare, quanto magis iuuet nos ipſos intueri, & mirificam uarietatem opificij in humana natura contemplari, quod cum ſumma arte factum ſit, non obſcurè teſtatur, hanc naturam non extitiſſe caſu.

Deinde cum mens ſit imago Dei, condita, ut in ea luceat certa Dei noticia, non obſcurè teſtatur, eſſe Deum, & admonet, qualis ſit Deus, uidelicet incorporeus, intelligens, diſcernens honeſta & turpia. Plurima ſunt in tota rerum mole ueſtigia Dei, ſed nulla res euidentius teſtatur, mundum non extitiſſe caſu, quàm quòd impreſſa eſt mentibus noticia diſcernens honeſta & turpia. Id caſu accidere non potuit.

Eſt igitur æterna mens, & ſapiens, & iuſta, architectatrix cæterarum rerum omnium. Sed hæc præconia requirunt ampliorem diſputationem. Illud tantum adijciam. Cæteræ diſciplinæ non poſſunt hac arte Phyſices carere. Præbet enim aditum ad medicinam. Ac Theologis magnoperè opus eſt diſcernere potentias animæ, & earum actiones, quæ agant liberè, quæ non, ad quam partem noticiæ, ad quam adfectus pertineant, quas habeant ſingulæ potentiæ metas actionum, quid poſſint agere.

Hæc ſine Phyſicis non poſſunt explicari. Ideo

ſtudioſos

ſtudioſos adhortor, ut hanc partem de Anima frequentes audiant: Hic *uerè uſurpari poteſt illud* Demoſthenis, *non quæri de Aſini umbra,* ἀλλὰ πρὶ ὀικείω καὶ ἀναγκαιοτάτω, *ut ipſe loquitur.*

Erit mihi curæ, ut tradam de rebus tantis, utiles & diligenter electas ex optimis autoribus diſputationes.

Iacobus Milichius D.

IN PRAELECTIONEM EVCLIDIS.

VIdeo magnum decus eſſe mediocrem cognitionem puerilium artium, quæ rationem rectè loquendi tradunt. Sed generoſæ naturæ non tantum in his initijs conſeneſcere debent. Cœlo mentes in corpora demiſſæ, quæ ſunt admirandæ imagines Dei, *recordatione originis, & ad* Archetypi, *& ad patriæ cœleſtis agnitionem aſpectionemq; erigendæ & excitandæ ſunt. Et ex hac ſuperiore doctrina bonæ mentes percipiunt ueros & durabiles fructus. Hîc cum cernunt ueſtigia diuinitatis impreſſa naturæ, agnoſcunt* Dei *præſentiam, hîc uitæ leges, cauſas uariorum euentuum, & gubernationem eorum animaduertunt. Quare* Virgilius *non temerè dixit.*

Fœlix

Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atq; metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus.

Videntur hæc præconia plus tribuere his artibus, quàm præſtare poſſunt. Nec ualdè impugno. Sed tamen præclarum eſt partem aſſequi, quod ſi non eſſet utile, hæ artes non eſſent diuinitus monſtratæ. Nihil eſt enim tam minutum in natura conditum, quod non ad certas utilitates deſtinatum ſit, tantum abeſt, ut hoc pulcherrimum munus, uidelicet doctrina de natura rerum, de motibus cœleſtibus, de terræ magnitudine, locorum ac regionum ſitu, nullius utilitatis cauſa generi humano donatum ſit.

Quanta eſt utilitas, cum in hiſtoria animo peragras omnes gentes, regionum ſpacia, & interualla locorum ita mente intueri, notare, diſtinguere & complecti, acſi totum terrarum ambitum oculis luſtraſſes, & certas regionum metas ſaxeis monumentis conſtituiſſes? Nulli enim magis conſpicui limites conſtitui poſſunt, quàm qui proponuntur in doctrina de longitudine & latitudine locorum, & de ſpacijs dierum.

Venuſtiſſimè autem Plato dixit, animæ, ut uolitans

litans ſurſum ad cœli contemplationem aſcendere poßit, alas additas eſſe, uidelicet Arithmeticen & Geometriam, quæ cum alios in uita uſus innumerabiles habent, tum uerò nobis eò diſcendæ ſunt, quia aditum patefaciunt ad doctrinam de motibus cœleſtibus, & de terræ magnitudine, & regionibus ad cœlum conferendis.

Verè igitur ſine pennis uolare conabitur, ſi quis putabit, ſe adſecuturum Ptolemæi demonſtrationes ſine Euclide, ſine quo adeo intelligi non poſſunt, ut totus Ptolemæus ignoranti Euclidem nihil ſit, niſi denſißimæ tenebræ. Ideo ut artes illæ natura coniunctæ, ſimul tradantur, ego rurſus deinceps Euclidem prælegam, & bona ingenia, quæ ſolidam eruditionem adpetunt, adhortor, ut & diſcant & ament Euclidem. Magno is uſui eſt ingenioſis, non ſolum in Aſtronomia, ſed etiã in multis alijs negocijs. Nuſquam enim carere numerorum ſcientia poſſumus, ſæpè etiam ſpacia, interualla, menſuræ corporum quærendæ ac iudicandæ ſunt. Inuitet igitur magnitudo utilitatis ingenioſos ad Euclidem, quem ubi delibabunt, ſuauitas doctrinæ eos detinebit. Ariſtippum aiunt cum fracta naui & amißis ſuis rebus ad littus Rhodium eiectus eſſet, uidiſſe in littore figuras Geometricas, forte

in ſaxis

in ſaxis & parietibus pictas ab artificibus. Ibi quanquam adhuc loci ignarus, ait, ſe recipere animum, quòd agnoſceret hominum ueſtigia, uidelicet has figuras Geometricas. Non defuturum ſibi hoſpicium eo loco, ubi honos eſſet his artibus. Vtinam & Scholaſtici cogitent, hæc uerè eſſe hominum ueſtigia, hoc eſt, indicia ingeniorum colentium artes honeſtas & uitæ utiles. Inchoabo autem die Lunæ proxima in Collegio hora octaua. Eraſmus Reinholdus.

IN PRAELECTIONEM ARCHIMEDIS, DE METIENdo circulo, & in libros Arithmeticos Euclidis.

NObiliſſimus & ingenioſiſſimus pictor Apelles, ſi quando impeditus negocijs uno aliquo die nullum artis ſuæ opus fecerat, tanquam diem perdidiſſet, queri ſolebat his uerbis, τήμερον οὐδεμίαν γραμμὴν ἤγαγον, Hodie nullam lineam duxi. Adeo & ſtudio ac amore artis flagrabat, & ſtatuebat aſſiduitate opus eſſe ad retinendam eam dexteritatem, quam conſecutus erat. Non eſt autem opus hoc ardore diſcendi, & hac aſſiduitate in graphica, & non eſt opus in noſtris artibus, quæ longius à populari iudicio recedunt, & ip-

& ipſos fontes ueritatis ſingulari conſilio ſcru-
tantur. Si autem exigui temporis ceſſatio nocet,
ut ille ſignificabat dicens: Nullam lineam hodie
duxi, quanto magis inertia reprehendenda eſt
eorum, qui dicati ſtudijs Philoſophiæ, aut neſci-
unt, quid ſit linea, aut toto anno uix tres lineas
aut circulos pingunt? Ex hac noſtra doctrina
linearum, bona pars Philoſophiæ, ac præſertim
Phyſica extructa eſt. Hæc aditum ad motuum
cœleſtium cognitionem & ad Geographiam pa-
tefacit. Ideo magnopere adhortor & obteſtor
Scholaſticos, ut has artes ament & colant, quæ
& uitæ ciuili, & Eccleſiæ, ad retinendas anni
metas & ſeriem temporum, neceſſariæ ſunt, &
iudicium formant in inquiſitione ueritatis, eti-
am in alijs artibus. Apud Homerum homines fe-
ri & ſæuientes in hoſpites, negant ſe ſcire, ubi
ſit ortus aut occaſus.

ὦ φίλοι ἦ ου γαρ ἴδμεν ὅπη ζόφος, οὐδ' ὅπη ἠώς.

Hoc eſt neſcire lineas, & talis inſcitia, & ui-
tæ barbaries ex harum noſtrarum artium ne-
glectione oritur. Quare ut retineamus præcipua
uitæ ornamenta, propter communem & poſte-
ritatis ſalutem, harum artium ſtudia colenda
ſunt. Vt autem exercitium Geometriæ habea-
tis, decreui iam enarrare Archimedis θεωρίαν,
de metien-

de metienda area circuli, Vbi locuples & dulcis doctrina traditur de lineæ rectæ proportione ad curuam. Tantum fuit ingenium Archimedis Syracusani, ut diu patriam, cum Marcelli exercitu obsideretur, defenderit. Autoris igitur præstantia studiosos inuitet ad earũ rerum considerationem, quas tantus artifex tradidit. Cicero glorioſum sibi duxit instaurasse sepulchrum Archimedis. Multo honestius est nobis & utilius, eius scripta cognoscere, & posteritati illustrata tradere.

Tribuam autem enarrationi Archimedis singulis septimanis diem Martis. Cæteris diebus enarrabo librum Euclidis septimum, ac deinde sequentes, in quibus fontes continentur totius Arithmetices.

Scio magnam diuersitatem esse iudiciorum & uoluntatum, & alia alijs placere. Et Simonides uerè dixit, τὸ δοκεῖν βιάζεται ἀλήθειαν. Opinio uim adfert ueritati, ut uulgus pluris facit auari fœneratoris calliditatem, quàm uniuersam Platonis aut Aristotelis Philosophiam. Sed si uolumus uerè iudicare, hæc uera doctrina, quæ uitam regit, & tuetur, longè opibus antecellit, & experiundo cognoscetis, omnes partes huius Philosophiæ, quam mediocri diligentia & sedulitate trado, uitæ humanæ utilissi-

mas

mas esse. Deum oro, ut mentes multorum ad hæc studia flectat, nec sinat extingui has artes, quæ sunt ornamenta uitæ humanæ præcipua.

Erasmus Reinholdus.

DEcreui enarrare Quintum librum Euclidis, qui continet doctrinam de proportionibus, maximè necessariam in plurimis artibus. Ex hac ortæ sunt Regulæ diuisionis & multiplicationis, quæ sine his fontibus nec intelligi, nec exerceri possunt. Hinc certitudo & celeritas est in computatione, quæ traditur in Regulis, de Tri, & Cos. Hinc & Geometræ plurima præcepta, & mensurarum instrumenta petunt. Hinc medici collationes plurimas sumunt corporum & pharmacorum. Hinc Architecti plurimas machinas fabricant. Est & musicarum Harmoniarum fons, proportio. Deniq; ut de cæteris artificibus non dicam, Celebratissimi iaculatores, qui Bombardis fulmina imitantur, præcipuam artis partem ex his præceptis proportionum sumunt.

Sed nos de nostris studijs cogitemus. Multiplex est usus Arithmetices in uita. Porro ad eius artis cognitionem, opus est proportionum doctrina. Deinde est quædam digna bonis ingenijs uirtus, metiri artes non ex quæstu, sed uera

& communi utilitate in uita. Si carerent homines certa anni descriptione, quantæ essent in religione, in historijs, in contractibus, in iudicijs, denicq; in omnibus negocijs tenebræ? Quæ confusio esset annorum, religionum, ac historiarum, Si retro tempora quærentes & rerum seriem, nihilo plus inuenire possemus certas metas, certa interualla, quàm beluæ? Ideo Deus singulari consilio & instituit annorum rationem, & iussit eos ad syderum cursus metiri, & in sacris literis accuratè recensuit annos inde usq; à mundi initio ad hæc recentia secula, nota ex Græcis historijs. Cum igitur uitæ necessaria sit obseruatio motuum, & temporum descriptio, facilè intelligi potest, optimè mereri de genere humano Mathematicen, quæ sola annorum descriptionem conseruat. Sed homines multò magis adficiuntur cura opum quærendarum, aut tuendarum. Ideo cæteræ artes, quæ uel parant uel defendunt opes, sunt in maiore precio & admiratione. Præcipuè autem oportuit Reges & religionem & cæteras artes, quæ communi uitæ necessariæ sunt, prouehere. Sed peruersis horũ iudicijs deterrentur multi à rectis studijs. Despicitur hæc Philosophia in aulis, tanquam inutilis.

Est igitur studiosis quadam celsitudine animorum opus, ut spretis popularibus opinionibus,

virtutis

uirtutis causa bonas artes ament, colant, conser-
uent, illustrent. Hic impetus in bonis ingenijs
Dei donum est, excitantis aliquos ad artium con-
seruationem.

Adhortor igitur studiosos, ut hunc locum de
proportionibus diligenter discant, quæ postea
usui futuræ sunt in omnibus partibus Mathe-
matices, & in alijs artibus. Aristoteles cum sum-
ma uenustate, proportionum exempla ad mores
transtulit, ut diuersas æqualitates declararet,
quibus Deus mirabiliter consociauit humanum
genus.

Nec aliud est uinculum societatis in omnibus
commercijs, in omni cœtu, in familijs, in impe-
rijs, nisi æqualitas, seu proportio, ut concentum
seu harmoniam efficit sola proportio. Nec est
æqualitas illa unius modi, altera est Arithmeti-
ca in omni rerum & damnorum compensatio-
ne, ubi simpliciter tantum recipitur, quantum
datur, ut 3.5.7.9. distant æqualibus differentijs,
sic in infinitum distare æqualiter debent emptor
& uenditor.

Hanc æqualitatem iubet nos Deus in contra-
ctibus tueri, cum ait. Non concupisces rem alie-
nam. Item, Quod tibi non uis fieri, alteri ne
feceris. Quærunt hanc æqualitatẽ leges magna
arte, ex hac ipsa proportionum doctrina.

Sed quare hac Arithmetica æqualitate opus est in contractibus? Vt durabilis esset communicatio in perpetuum. Hinc enim existunt seditiones, cum inæqualiter exhausta plebe, usuris seu alijs fraudibus, desinit mutua communicatio.

Altera æqualitas proportione Geometrica constituitur, quæ personis tribuit diuersos gradus in omni cœtu, aptas functiones idoneis in Imperijs. Huius proportionis tantam uim esse dicit Plato, ut cum exigua ex parte hominibus contingit, ingentia bona pariat, ac quantum est in uita boni, oriri ab hac proportione, ut uidetis misceri res humanas conturbata hac proportione, ubi Ecclesijs præsunt indocti, Tyranni, ubi regunt Imperia mali, qui suis cupiditatibus seruiunt. Econtra beata est ciuitas, in qua Ecclesiæ à pijs & doctis reguntur, imperia à sapientibus, iustis, incensis studio iuuandi publica commoda, Religionem, bonas artes, pacem, amantibus ueritatem. Hæc proportio salutaris est uitæ.

Sic Plato & Aristoteles totam uitæ societatem gubernari proportionibus uolunt. Sic Aristoteles mediocritates constituit in omnibus uirtutibus proportione. Fabius & Scipio dissimili modo uterq; fortitudinis laudem tuebatur, alter uitandis

uitandis dimicationibus, alter dimicando. Et in quinto Politicorum ὅλως τὸ ἴσον ζητοῦντες, σασιάζουσιν. ὅτι δὲ οὐπόμ ἐ ἴσον, *sicut nunc Ecclesia non poterit quiescere, nisi inuenta æqualitate Geometrica.*

Dum enim Pontifices rapiunt dominationem, & sine doctrina, sine ueritate, constituunt ea, quæ arbitrantur ad opes tuendas prodesse, aduersandum est eis, & quærenda æqualitas, non quidem Arithmetica, qua singuli pariter docti & indocti sibi sumant autoritatem fingendi dogmata, sed æqualitas Geometrica, in qua præsint pij & docti, reliqui his auscultent.

Hæ uenustißimæ sententiæ sine cognitione horum elementorũ Euclidis intelligi non possunt, quæ quidem præcipuè ideo nunc prælegere decreui, ut studiosis uia sternatur ad magnam Ptolemæi constructionem, quam absolutis his duobus libris Euclidis, quinto & sexto, Deo dante, inchoabo, uerè ingressurus, ut ille ait, res antiquæ laudis & artis. Nam illud opus uniuersæ Philosophiæ fastigium est, ad quod ut præparent animos studiosi, magnopere eos adhortor.

Si non sunt uenales codices, plures uno codice

uti possunt. Maximè in studijs ualeat, quod dicitur, τὰ φίλων κοινὰ, nec opinor grauatim studiosos alijs præbere inspiciendos aut utendos libros. Cumq; sint paucæ & breues propositiones horum librorum, quos enarrabo, ac prosit eas habere in numerato, ut sæpè inspici ac repeti cogitatione possint, ualde conducit eas describere. Exiguo labore magnum operæ precium facient, qui describent. Qui græcè sciunt, potius græcas describant. Inuenient enim codices apud me & Philippum. Dulcius enim ex ipso fonte bibuntur aquæ. Et cum græca legimus, uidemur quasi in illis ipsis auditorijs Eudoxi & Euclidis adsidere, ubi sedebant Plato, Aristoteles, & alij, qui illustrârunt Philosophiam, & posterorum studia præclarè adiuuerunt. Nec Iohannes Regiomontanus existimauit se posse satis adsequi doctrinam ueterum, sine græcis literis. Ideo magnam operam impendit græcæ linguæ.

M. Erasmus.

IN LIBROS TRISTIVM OVIDII, ET DE PONTO.

ERrat in ambiguo fortuna uolubilis orbe,
Vtq; manum uertis flectit & ipsa rotas.

Quas

Quas circum tenui pendent mortalia filo,
Iam ruit, in ſummo quod fuit ante loco.
Oedipus ad magnos rerum eſt euectus honores,
Vix ultra quò iam progrederetur erat.
Imperijq; bonis & claris floruit actis,
Sæua ſed hunc florem quàm cito lædit hyems?
Illius ambo cadunt per mutua uulnera nati,
Inter quos coniunx ſe quoq; mœſta necat.
Ipſe ſibiq; miſer uexatus Erinnye ſæua
Eruit effoßis lumen utrunq; genis.
Inde ſenex alium detruditur exul in orbem,
Qui patria excedens talia dicta dedit:
En ego quem regni ſolio fortuna locârat,
Quodq; decus regno pulchrius eſſe puto:
Laudibus Ingenij præſtans, uirtute iuuante,
Florentis regni creditus autor eram.
Nunc miſer eiectus regno, pollutus & exul,
Deploro uitæ triſtia fata meæ.
Vmbra uiritanti, nec iam tamẽ umbra, ſuperſum
Verum umbra ſi quid uanius eſſe poteſt.
O cuicunq; animos fortuna benigna ſuperbos
Tollit, & in tumido pectore faſtus ineſt,
Florenti nimium fortunæ credere noli,
Exemploq; modum diſce tenere meo.
Deſine fortunæ, dum blando uitrea uultu,
Lumine fallaci ſplendet, habere fidem.

Vita modeſta tibi ducatur, & exue faſtus,
Exitio multis faſtus & ira fuit.
Talia multa ſuis conſcripſit Naſo libellis,
Ad maris Euximi dum fuit exul aquas.
Carmine quæ dulci crebro recitata legamus,
Mens ne quando petens non moderata ruat.
Fortunæ ſapiens ſe credat nemo ſecundæ,
Nam fugit, ut ſparſis flamma recedit aquis.
Quem tulit ad cœlũ, mox præcipitabit in Orcũ,
Irus erit ſubito, qui modo Cræſus erat.
Inijcias igitur menti tu frena ſuperbæ,
Menſuram ſupra nec pete celſa tuam.
Ergo hæc cum proſit Naſonis ſcripta tenere,
Quæ linguam & mores expoliſſe queunt,
Cras ſol Eoo cum paulum à cardine currum
Traxerit, auditor dexter adeſſe uelis.

Iohannes Marcellus
Regiomontanus.

CRas Deo dante hora ſexta inchoabo enarrationem Tragœdiæ Euripidis, cui fecit titulum Phœniſſas, in qua deſcribit duos fratres de regno Thebanorũ dimicantes, quibus ambobus ambitio attulit exitium.

Duæ ſunt autem præcipuæ peſtes Rerum publicarum, luxus & ambitio. Hinc orta diſcordia cuertit

euertit plærasq; omnia imperia, ut Claudianus inquit: Nam cætera regna Luxuries uicijs odijsq; superbia uertit.

Eius rei illustre exemplum proponit hæc Tragædia, continet egregias conciones, quæ hortantur ad modestiam, & docent, ut in commune consulamus saluti ciuium, non adducamus Rempublicam in discrimen, incitati cupiditate gloriæ, aut alijs priuatis adfectibus.

Horum præceptorum cognitio utilis est moribus, præsertim his miserrimis temporibus. Ideo hortor studiosos, ut hanc Tragœdiam audiant.
28. Maij 1537.

Philippus Melan.

CVm Oresten Euripidis audiret Socrates in Theatro, primos uersus tanta cum admiratione excepit, ut interpellauerit actorem, ac iusserit uersus illos repetere, cum quidem ille stans uelut attonitus interea, in cogitatione eius sententiæ defixum animum haberet. Hanc fabulam Euripidis (Deo dante) interpretabor, quam cum Socrates cum summa admiratione audiuerit, uelim eam nos quoq; in manibus habere, qui certè magis egemus bonis monitoribus, quàm ille.

Habet autem illustres locos, prima pars est δικανικὴ, licuerit ne Oresti matrem sine iudicio interficere. Deinde sunt ἠθικὰ, de amici, de cognati officio, de moribus popularibus sedandis non ui, sed ratione, & arte cedendo, quales sint in ciuitatibus seditionum autores. Deniq; imago est hæc fabula multarum rerum huius temporis. Propterea hortor scholasticos, ut eam diligenter audiant.

Philippus Melanthon.

PRæbui gustum, seu ut dicitur δεῖγμα fabularum Euripidis, & opinor lectionem duarum Tragœdiarum, quas interpretatus sum, studiosis gratam fuisse, propter rerum grauissimarum exempla, & locos communes, qui de multis uitæ partibus nos admonent, & suppeditant egregia lumina scribentibus.

Cras Deo uolente inchoabo enarrationem fabulæ, cui titulus est ἱκετίδες, quæ & ipsa referta est locis communibus, & est apta his temporibus. Principale enim argumentum est, quòd ciuitates se mutuis auxilijs iuuare debeant. Ita hoc tempore Respublica aduersus Turcam coniungi, optandum est.

Disputat etiam de optimo statu reipublicæ, præstet

præstet ne monarchia, an aristocratia? Harum materiarum consideratio utilis est studiosis. Sed cras Deo dante copiosius dicam de argumento.

Philippus Melanthon.

DElegi hactenus in enarratione Euripidis præcipuas fabulas, quæ exempla & sententias continent, quæ ad nostrum usum in scribendo, aut etiam in cogitatione de Republica maximè accommodari possunt. Elaborandum est enim in his studijs, ut præparentur ingenia ad rerum magnarum cogitationem & explicationem.

Hoc consilio delegi modo & Iphigeniam in Aulide, quæ multa monet utilia in uita, & pingit mirificas imagines principum in republica. Nam ut de cæteris hîc non dicam, quid est honestius ac uerius Heroicum, quàm quod Achilles inquit, ita se obtemperaturum Atridis, si honesta præcepturi sint. Verba hæc sunt.

Καὶ τοῖς Αὐλείδαις ἦν μοὶ ἥγονται καλῶς, πεισόμεθ', ὅταν δὲ μὴ καλῶς, οὐ πεισόμεθα.

Sed omitto hîc recitationem exemplorum. Cras uerò hora sexta, Deo dante, inchoabo enarrationem eius fabulæ Euripidis, uidelicet Iphigeniæ in Aulide. Et rogo scholasticos,

sticos, ut eam audiant. Non enim dubito, quin magnam uoluptatem & utilitatem auditoribus allatura sit.

Philippus Melanthon.

DE PVDICITIA PHILIPPVS MELANTHON.

MArcellinus cum laudat Iuliani Imperatoris pudicitiam, scribit eum crebro recitasse uersiculos Bachylidæ Lyrici, qui ait. Vt in picto corpore summum decus est facies pulchrè expressa: ita in hominum moribus pulcherrimũ decus esse, pudicitiam. Ac profecto ita est, quamuis pulchra statua sine aptis lineamentis faciei truncus est deformis: ita in homine sine pudicitia, etiamsi quæ sunt alia bona, tamen sunt deformia & spreta, quia naturæ mediocres oderunt & abominantur impudicitiam. Versiculi sic sunt redditi.

Vt cum de statua facies formosa remota est,
Non decus in reliquo corpore truncus habet.
Sic reliqui mores spreti & sine honore iacebunt,
Ni sint ornati laude pudicitiæ.

In

IN PRAELECTIONEM SPHAERAE.

IVssus sum iterum enarrare libellum de sphæra, propter adolescentes, qui hæc elementa nondum audierunt. Multæ autem graues causæ sunt, quare hæc elementa prosit notissima & familiarissima esse omnibus liberaliter institutis.

Etsi enim non possunt omnes immorari doctrinæ de motibus cœlestibus, & nonnullos fortunæ iniquitas, aut moles negociorum abducit ab his studijs: tamen liberalis ingenij est, hæc prima elementa cognoscere, ut cœlum suspicientes, non prorsus ignoremus hanc nostram domum, quæ non modo hospitium nobis præbet, sed etiam fouet nos sua luce, & gratissimas uices efficit temporum.

Quæ est barbaries, prorsus nescire, quæ sit Solis uia, quibus interuallis dierum discrimina efficiat, ubi ad nos accedat, quò recedat, quæ cœli regiones discernant nobis terræ partes, ut distantium locorum positus animo intueri possimus?

Reges & principes in tantis occupationibus tamen dant operam huic doctrinæ, ut Cæsar de sese inquit apud Lucanum.

Media

Media inter prælia ſemper
Stellarum, cœliq; plagis, ſuperiſq; uacaui.

Rex Pannoniæ Matthias, & Maximilianus, adeo erant eruditi in hac doctrina, ut artifices prouocare poſſent.

Scio & hoc tempore Carolum Imperatorem, Regem Ferdinandum, Regem Galliæ, Regem Angliæ, non ſolum delectari hac Philoſophia, ſed etiam bonam eius partem tenere. Tantorum principum iudicijs & exemplis moueantur adoleſcentes liberali natura præditi, ut ipſi quoq; expetant has dulciſſimas artes.

Apud Plutarchum, cum Circe reddituræ eſt hominum figuram ſocijs Vlyſſis, Gryllus in porcum uerſus rogat, ne ſibi reſtituatur humana ſpecies, ac diſputat, porcorum uitam multo eſſe iucundiorem humana. Sic fortaſſis aliqui luxum, uoluptates aut alias ſordes anteferunt his optimis artibus.

Sed bona ingenia, non ſolum magnoperè adhortor, ſed etiam obteſtor, ut hæc elementa diſcant, præſertim, cum perfacilia ſint, etſi monſtratore opus habent. Et tamen ſi quid eſt laboris, ſuauitas arcet moleſtiam, & compenſat laborem magnitudo utilitatis. Anno 1540.

Ioachimus Rheticus.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

SAepè in edictis propositæ sunt honestæ causæ, cur scholastici singuli certis diebus sua munera ad Aram adferre debeant, quia & à ciuibus domesticatim poscitur similis pensio. Est autem iniquum, præsertim in Ecclesia, communes collationes defugere scholasticos. Nullum est maius beneficium Dei in terris, quàm publicum Euangelij ministerium. Nulla pars in tota societate humana præstantior. Quare omnes decet conferre operam, & facultates, ad huius tanti muneris conseruationem. Hinc mos offerendi ortus est. Eaq; in re prælucere exempla literatorum, cæteris debebant. Quare nuper in quadam concione iustè reprehensa est negligentia scholasticorum, qui nostris edictis de hac publica significatione gratitudinis erga huius Ecclesiæ gubernatores, non obtemperant, cum uix pauci ad Aram accedant, defraudantur ministri Euangelij parte mercedis. Hæc cum sit iniusticia indigna ijs, qui in societate Ecclesiæ esse uolunt, seuerè præcipimus, ut singuli scholastici suum munus ad aram adferant. Si hoc officium prætermittitur contemptu huius honesti moris, magna barbaries est animorum. Si putant solos

scholasticos

ſcholaſticos conferre, errant. Nam, ut dixi, à ci=
uibus domeſticatim poſcitur hæc penſio. Teſte=
mur autem & nos eſſe huius Eccleſiæ membra.
Oſtendamus ſignificationem gratitudinis, præ=
ſertim cum in hac Eccleſia, tota doctrina Chri=
ſtiana tanta puritate, fide, & perſpicuitate tra=
datur, ut ex animo doctores, tanquam parentes
amandi & colendi ſint. Facilè eſt imperium in
bonis, inquit Plautus. Pij qui de miniſterij publi=
ci dignitate reuerenter ſentiunt, & doctores
amant, libenter obtemperabunt. Sed cæteros eti=
am adhortamur, ne hunc honeſtum morem con=
temnant, ne offendant uoluntates eorum, qui
præſunt Eccleſiæ, ſed moueantur Pauli præcepto
ad Ebreos, qui iubet nos ita morigeros eſſe do=
ctoribus Eccleſiæ, ut noſtra obſequia leniant illis
grauiſſimas curas & ærumnas, quas pro Eccleſia
ſuſtinent. Sic enim inquit, ut præſint μετὰ χα=
ρᾶς, καὶ μὴ στενάζοντες. Quando enim gu=
bernatori ad cætera pericula accedit etiam do=
meſtica contumacia, duplicatur miſeria. Scimus
noſtros doctores ſuſtinere ingens onus in hac di=
micatione de Religione. Quare demus operam,
ut domi noſtra obſequia eis leuent moleſtiam,
ut præſint, μετὰ χαρᾶς, καὶ μὴ στενά=
ζοντες. Certè enim hic honos debe=
tur pijs doctoribus.

Decanus

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM M. HEINRICVS LVNEBVR= GENSIS.

EXistimamus non inani ambitione gradus esse factos in scholis, sed bono & utili consilio, partim ut iuuentus distincta gradibus ceu classibus, ordinem in discendo seruaret, partim ne sine publicis testimonijs homines inexplorati munus docendi inuaderent: Quid enim in Republica tam necessarium est, quàm cauere, ne homines fascinati prauis opinionibus, præficiantur Ecclesijs? Itaq; gradus retinemus, non ut in iuuenilibus ingenijs ambitionem alamus, sed propter alias honestas & probabiles causas. Certè examina sunt utilia iuuentuti, & apud nos multum profuerunt studijs. Arbitramur autem & illos, qui gradus non amant, tamen examina laudare, quæ & discendi curam acuunt, & formant iudicium. Nec nos de titulis odiosè rixamur, sed tamen humanitas quædam est, ordines in uita institutos, alicuius utilitatis causa, non aspernari. Si qui igitur sunt, qui hoc tempore gradum Magisterij in Philosophia petituri sunt, hi sciant meum officium eis non defuturum esse. Volo autem, ut intra hos dies sex,

me conueniant, ac nomina dent, ut cætera, quæ res poscit, ordinè instituí queant Vigesima nona Augusti.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS MEDICAE.

ETsi in conspectu est artis Medicæ utilitas, tamen adeo ingrata est hominum natura, ut hoc tantum uitæ præsidium non satis amet, aut ueneretur. Deinde qualis animorum feritas est, non admirari hoc tam uarium naturæ spectaculum, in quo pariter lucent Dei sapientia, & bonitas erga nos? Proposuit enim Deus certa & efficacia remedia plurimorum morborum. Hæc tam uariè sparsit in natura, ut nulla tam minuta res sit, cui non addiderit aliquam uim medicam contra certos morbos. Hæc fuit uetus & Heroica Philosophia, inquirere & considerare naturam rerum, tum utilitatis causa, tum uerò propter admirationem Dei. Quare & uos decet hoc genus doctrinæ amare, & uestris officijs ornare. Petimus igitur, ut proximo die Martis conueniatis ad Pompam, in qua, quod faustum fœlixq; sit, gradus Doctorum in Medicina decernetur duobus uiris egregia eruditione & uirtute præditis, Medicinæ Licentiatis,

tiatis, domino Iohanni Catsch Hallensi, & domino Friderico Lohr Magdeburgensi. Secunda Maij. Anno M. D. XL.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS M. VITVS VVINSHEMIVS.

AVdio aduenisse plæroſq; ſcholasticos, qui fortaſsis ignari noſtræ conſuetudinis, nondum ediderunt nomina apud Rectorem Academiæ. Non eſt autem ciuile, in aliena urbe ſine imperio, & ſine legibus uiuere uelle. Ideo mando, ut hoſpites illi ad me accedant, ac promittant, ſe legibus noſtris obtemperaturos eſſe. Erit & ipſis honeſtum, initio hoc ſpecimen iuſticiæ & modeſtiæ præbere, in declarando ſtudio erga magiſtratus & leges. Nutrix eſt enim omnium uirtutum, reuerentia, ſeu amor legum, quem hæc ferrea ætas, inimica diſciplinæ, multo minus tueri ſtudet, quàm oportuit. Sed fatum eſt diuina & immutabili lege ſancitum, laxata diſciplina ſequi pœnas publicas, quas ut Deus mitiget, precemur. Quidam etiam nunc intertur= bant operas in ponte, & aſſeres in Albim petulanter deijciunt. Etſi ineptũ eſt hæc uerbis potius caſtigari, quàm in re præſenti ſeueritate aliqua

puniri, quod fieret in alijs locis: tamen & edicto censui prohibendam esse hanc petulantiam, ac præmoneo scholasticos, ne lenitatem Magistratuum nimis irritent.

RECTOR ACADEMIÆ
M. VITVS VVINSHEMIVS.

QVesti sunt Architecti Illustrissimi Ducis Saxoniæ Electoris, impediri operas in aggere petulantia quorundam scholasticorum. Itaq; iussimus ea de re edictum proponere, & mandata præsidi Saxoniæ data sunt, ut si qui oberrantes in aggere rixas excitabunt, inde ad carcerem, qui est in arce, abducantur. Quare duximus commonefaciendos esse scholasticos, & petulantiam illam seuerè prohibemus, quæ propter multas causas odio digna est. Non enim decet hospites in aliena ciuitate, præsertim publicè conductas operas interturbare. Deinde ingratitudo est, iniustè offendere uoluntatem principis benemerentis de Ecclesia & de studijs. Verè enim prædicare hoc nomine principem possumus, sine ulla adulatione, eius labores prodesse ad pacem publicam, & ad piæ doctrinæ propagationem. Cumq; interior eius uita plena sit officij, pia, & casta, cumq; in administratione

iustus

iuſtus ſit, & ſine ſæuicia, has tantas laudes cumulat hac uirtute, quòd honeſtis artibus ſtudet ornare Eccleſiam & Rempublicam, ac multis ſuppeditat ſumptus ad diſcendum, qua in re etiam exemplum eius prodeſt apud alios quoſdam. Decet igitur ſcholaſticos reuerentia talis principis, libenter eius uoluntati parere. Si qui autem obtemperare non uolent, hi ſciant præſidem & nos non defuturos noſtro officio. Quidam etiam his proximis noctibus atroces tumultus ad multorum ædes excitârunt. Tales graſſationes ſub pœna Relegationis prohibemus. Temporum pericula uos ad modeſtiam & ad precandum hortari debebant. Ac indigniſsimum eſt ſtudioſis, ſic uiuere, ut non uideantur affici communibus Eccleſiæ & Reipublicæ difficultatibus. Sexta Maij. Anno XL.

RECTOR ACADEMIAE
M. VITVS YVINSHEMIVS.

NAtationes in Albi quotannis prohibentur: Ac mirum eſt, cum tot funeſtis exemplis compertũ ſit, quàm ſit infidum flumen Albis, non deterreri iuuenes magnitudine periculi, quo minus ſe committant tam uadoſo flumini. Rurſus igitur præcipimus, ne ſcholaſtici

lastici lauent in Albi, nec nauigent, nec in ripa ludentes petulanter rixas excitent cum piscatoribus, aut alijs. Nec ducant leuem esse autoritatem horum edictorum, sed cogitent cum nostris edictis suorum parentum sententias & mandata congruere. Odit Deus temeritatem & contumaciam, & sui iudicij exempla interdum proponit ad alios commonefaciendos. Idco pereunt interdū, qui temerè, aut etiam contempta præceptorum autoritate, flumen ingrediuntur, qua in re & illud cogitandum est, non leue peccatum hærere in percuntibus, quòd temere, quòd spreta autoritate parentum & Magistratuum, sibi periculum non necessarium accersierunt. Hæc scelera etiam mentibus exitium adferunt, si subito oppressi casu, non agant pœnitentiam. Quare & pericula corporum uos dehortentur ab his natationibus, & pœnæ, quibus Deus temeritatem & contumaciam punire solet. Postremo etiam diaboli insidias metuite, qui grassari in gregem nostrum præcipuè studet. Aduersus tam uigilantem & sæuum hostem, decet nos esse diligentiores. Ideoq; pollicetur Deus auxilium, uidelicet Spiritum sanctum, sed hunc dat petentibus, ut inquit Christus, non securis & contemnentibus ipsius mandata.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS M. VITVS VVINSHEMIVS.

VTinam Deus depellat morbos, qui iam grassantur, & seruet studiosam iuuentutem, quæ seminarium est Ecclesiæ Christi. Cum autem & nostram diligentiam in curandis ægrotis flagitet, duximus admonendos esse scholasticos de re necessaria. Audimus quibusdã decumbentibus deesse officia contubernalium, & familiarium, qua ex re accidit, ut nec remedia eis, nec cibi adferantur. Concurrunt & multa pericula, si in paroxysmis relinquantur ægroti soli, cum uidelicet aut auidius bibunt, aut accidunt λειποθυμίαι. Etsi autem scimus quosdam præstare hac in re fidem & pietatem, dignam bonis & humanis ingenijs, tamen cæteri negligentiores meritò reprehenduntur. Qualis est enim ἀσοργία, tali tempore deesse amicis, quos propter patriam communem, aut ius hospitij, aut familiaritatem, arctius complexi estis, & amare debetis? In acie scelus est, periclitantem manipularem, seu ut Aristoteles uocat παρασάτην nõ tueri. Quanto turpius est uobis in schola pietatis, uestros cõmilitones deserere? Quàm multos possemus magnos Duces recitare, qui ipsi mi-

litibus uulnera obligarunt. Et uidetis hîc non deesse ullis medicorum, optimorum uirorum & doctißimorum, auxilia. Vos interea negligitis eos, qui multis uinculis honestis uobis deuincti sunt. Hoc quid aliud est, quàm quod inquit Cain, Ego ne custos sum fratris mei? Et si quid esset contagij, excusaremus nos ipsi. Sed cum uobis nihil sit periculi, inhumanitas iurè reprehenditur. Itaq; mandamus primum Magistris, quibus priuatim scholastici commendati sunt, ut quisque suis curet adiungi ministros, qui præstent assiduitatem. Deinde omnibus scholasticis, ut suo quisq; conturbernali aut familiari, ubi opus est, hoc tempore seruiat. Hæc pietas Deo grata erit, qui nos uult affici cura salutis aliorum, & ut speramus, seruabit plærosq;, quorum militia Ecclesiæ aliquando profutura est. Decima quinta Augusti, Anno M. D. XL.

Scripta

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA ANNO POST NATVM CHRISTVM 1541.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORGIVS MAIOR.

ECclesia hac postrema ætate oppressa undiq; multis ærumnis, difficulter & magno cum dolore parturit, & ut Iohannes scripsit eiulat parturiens, & inter ingentes cruciatus fœtum edens. Cumq; natura ipsa corporum, quasi sensu parturientis Ecclesiæ adficiatur, res ostendit, maiora esse puerperarum hoc tempore pericula, quàm fuerunt antea. Decessit autem heri superata labore partus honestissima matrona, nata in familia nobili, optimis ornata moribus, pudicicia & pietate eximia prædita N. coniunx uiri clarissimi & doctissimi D. Melchioris Kling doctoris Iurisconsulti, qui cum ingenio & uirtute excellat, ac de schola & de Republica benè mereatur, maximè decet nos eius luctu adfici. Tenet is quidem hanc consolationem, quòd coniunx in statione, in qua diuinitus collocata

Fuit, magnitudine laboris superata, & commen-
dans se filio Dei, qui pro nobis uictima factus
est, ex hac uita in meliorem euocata est, Sicut
scriptum est. Beati qui in Domino moriuntur.
Sed tamen non potest non sentiri uulneris tanti
dolor, & lugere pium est, modo non lugeamus
ut gentes, Sed cogitemus nec nasci nec occidere
homines casu, sed Dei uoluntate, & Deo paren-
dum esse, & non esse amissos pios, quos lugemus.
Rursus illorum familiaritate fruemur dulciore
in illa æterna sede in consuetudine Dei, Christi,
Patrum, Prophetarum, Apostolorum, & totius
Ecclesiæ. Eius consuetudinis umbram fuisse hanc
domesticam societatem in hac mortali uita, sen-
tiamus. Fiet autem mortuæ funus hora quarta,
ad quod, ut conueniant scholastici, mandamus.
Die xiij. Februarij. M. D. XLI.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR.

HAc nocte uir optimus & egregia doctri-
na præditus, Magister Ambrosius Bernt,
Iuterbocensis decessit, & in confessione
ac inuocatione filij Dei, qui est autor & donator
immortalitatis, transijt in uitam æternam ad
Christum, & illam diuinam scholam Propheta-
rum &

rum & Apoſtolorum, cum quibus iam de illis ingentibus bonis diſſerit, quorum expectatione hic mores ſanctiſſimè rexit, & alijs doctrina & exemplo præiuit. Cum autem eius fides, aſſiduitas, induſtria, & diligentia magno uſui fuerit Reipublicæ, decet omnes bonos interitu eius adfici. Mandamus igitur ſcholaſticis, ut ad funus hora quarta conueniant, in quo & de immortalitate animorum, & de iudicio uenturo cogitandum eſt, & conſideranda huius temporis ingentia pericula. Cum enim paſſim multi boni homines hoc tempore moriantur, paulo poſt, etiamſi tranquilla eſſet futura Germania, tamen orbata talibus hominibus, hæc uulnera ſentiet. Deinde ille ipſe interitus piorum, eſt ſignum impendentium calamitatum, ut inquit Eſaias, Iuſti præripiuntur, ne uideant uentura mala, diſcedunt in pace, ut quieſcant in cubili ſuo. Quare his admoniti exemplis, poſt tritici meſſem, de noſtro periculo, & de pœnis reliquarum palearum cogitemus, ac mores emendemus, ut ira Dei nobis mitigetur. Anno M. D. XLI.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR.

EDictum de moneta huc miſſum eſt ab illuſtriſſimo Principe Duce Saxoniæ Electore etc.

re &c. Id ipſius iuſſu publicè proponimus, ac mandamus omnibus, qui ad Iuris dictionem noſtram pertinent, ut fideliter obtemperent. Nam pœnæ adſcriptæ ſunt quibus contumaces punire neceſſe erit. Obtemperabitis autem eò æquioribus animis, quia in hac re communi utilitati harum gentium conſulitur, quarum facultates prorſus exhaurientur, niſi Nummulariorum auariciæ & rapacitati his conſilijs obſiſteretur. Vt cætera uicia in hac mundi ſenecta: ita maximè prauæ artes quærendæ pecuniæ creſcunt. Hinc corruptelæ in moneta, & uaria aucupia nummulariorum orta ſunt. Ex his fontibus difficultates oeconomicæ ſequũtur ubiq;. Eſt autem moderati animi, arte ferre, & ratione lenire temporum incommoda, nec reſtare uentis. Iußi ſumus etiam ſcolaſticis ſignificare uoluntatem Illuſtriſſimi Principis Ducis Saxoniæ Electoris &c. De nocturnis tumultibus. Primum ſeueriſſimè excubijs ciuium mandatum eſt, non ſolum ne modeſtos, tranquillos, & inermes armis adoriantur, ſed etiam ne quid in cæteros uiolenter aut atrociter faciant. Ita uult Illuſtriſſimus Princeps ſeruirè excubias tranquillitati ciuitatis, ut ſimul etiam honeſtæ iuuentutis incolumitati ſeruiat. Si qui igitur tumultuabuntur, erunt ſine atrocitate prehendendi. Viciſſim

autem

autem præcipit ſcholaſticis, ut ſint modeſti, nec aut uociferationibus barbaricis, aut tumultibus alijs turbent tranquillitatem, nec noctu armati uagentur. Deinde ne excubiæ prouocatæ aliquid faciant durius, uos admonemus, ut placidè eis reſpondeatis, neue armis eos prouocetis. Nam ſi quem prehendent, cuius petulantia aut atrocitas cognita fuerit, is deinde non tantum noſtris legibus, ſed etiam de ſententia Illuſtriſſimi Principis punietur. Suam etiam inſpectionem & cognitionem in hac re eſſe uult, ut communi omnium ordinum tranquillitati conſulat. Et quia nonnulli iuſſi conſiſtere, mox ſtringunt pugiones, & id genus teli merito formidatur, mandamus pugiones deponi. Videtis ſcholaſtici, quaſi communem eſſe luctum totius Europæ, propter multarum regionum multiplices clades. Decebat autem & uos affici communi luctu & mœrore, & à Deo petere mitigationem publicarum calamitatum, quæ profecto ad uos quoq; pertinent. Sicut de publicis malis ſcriptum eſt in Elegia Solonis.

Sic partem fert quiſq; ſuam, cum publica clades
Incidit, & prohibet ianua nulla malum,
Nõ latebræ quenquã fugientem abſcõdere poſſũt
In thalamos penetrant publica damna tuos.

Hæc

Hæc cogitanda uobis sunt, & Deus orandus, ut uos ipsos & Rempublicam seruet & gubernet in tantis Europæ miserijs, & omnium gentium periculis, sicut Niniuen seruauit, cum se ad modestiam reuocari sineret. Anno M. D. XLI.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORGIVS MAIOR.

ANgelus cœlestis cum significaret pastoribus natum esse filium Dei, iußit eos quærere infantem collocatum in præsepi, significans in Ecclesia quærendum esse. Deus nobis Ecclesiam hoc Symbolo, & alijs multis dulcißimis significationibus commendauit. Quare omnes, qui uocem Angeli magnificiunt, omnes qui & credunt & gaudent, Filium Dei nobis missum & donatum esse, ut fieret uictima pro nobis, adhortamur, ut Ecclesiam ament, & ibi Christum quærant, doctrinæ auscultent, & expectent in Ecclesia æternam uitam. Ideo & doctores Ecclesiæ honore adficiendi sunt, & ut extet significatio nostræ uoluntatis, præcipimus, ut cras omnes Doctores, Magistri & Scholastici, ad Aram accedant, & suo muncre reuerentiã erga Ecclesiam declarent, in qua uobis certè fi-

deliter

deliter monſtratur filius Dei, & eius beneficia. Propter hoc præſepe Deus ſeruat Reſpublicas, & nos ſeruabit, ſi has Filij ſui cunas fouebimus & cõlemus. Nec leue ducatis hoc genus officij, quod Deus haud dubiè magnis præmijs compenſat. Illud etiam magnoperè petimus, ut cogitetis, eoſdem Angelos, qui tunc ſpectatores fuerunt naſcentis filij Dei, & nuncij ad paſtores, nobis etiam adeſſe, cuſtodes eſſe noſtræ Eccleſiæ, & nobiſcum canere, gloriam Deo in excelſis, & in terra pacem, & hominibus gaudium. Ad huius chori ſocietatem, ut uos adiungatis ueſtra uota & preces, mandamus, ut ſitis modeſti in his feriijs. Quomodo poteſt mens humana non contremiſcere, cogitans Dei filium ſic ſe demittere, ſi ſerio hæc credit? Si quis non credit, is in noſtro cœtu certè ferendus non eſt. Ac ſi autor erit his diebus alicuius tumultus, ſentiet nos uerè tantæ impietati ſuccenſere. Pij canant cum cœleſtibus Angelis, gloriam Deo, hoc eſt, uerè Deum eſſe ſentiant, qui curet humana, eo quòd Filium miſerit, & iudicet hominum facta, canant pacem in terra, & gaudium hominibus, hoc eſt, ſeruiant ſuæ & alienæ ſaluti ad ornandam gloriam Dei. Hunc hymnum angelicum his diebus meditentur, et magnitudinem miſericordiæ Dei modeſtè cogitent. Hæc ſunt officia digna pijs, præſertim

hoc

hoc lugubri tempore totius Europæ. Iam magnitudo publicarum miseriarum cogit nos implorare opem à Filio Dei, cuius nomen Turci & alij impij delere conantur. Sed nõ dubitamus adfuturum nobis ipsum, ut de eo scriptum est. Illo tempore stabit Dux magnus pro filijs populi sui, si mores nostri erunt modestiores. Die uigesima quarta Decembris, Anno M.D.XLI.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS MATTHAEVS AVROGALLVS.

FOrtitudo uirtus est eximia, & propter magnas utilitates generi humano data, uidelicet ut certo ordine ac modo iuxta leges dimicemus pro nobis & alijs, nec est petulantia, qualis est grassatorum. Sed utrunq; est celsi & bene compositi animi, dimicare cum opus est, & cohibere motus animi ruentes sine ordine & contra leges. Sicut uir fortißimus Achilles, cum ardens ira gladium stringeret: tamen admonitus à Pallade, se repreßit. Hæc officia intelligere discamus, & discernamus à uiris fortibus petulantes, turbulentos, θρασυδείλους, grassatores, Latrones.

Cum autem intellexerimus quosdam scholasticos

ſticos ex prouocatione priuata, quæ nihil eſt, niſi mera petulantia, & periculoſa ipſis & Reipublicæ, inter ſe confligere, Prohibemus omnes tales prouocationes & dimicationes, ſiue intra mœnia, ſiue extra oppidum fiant. Non leuiter commoti ſumus auditis his nouæ immanitatis exemplis. Hæ prouocationes quid differunt à ueteri gladiatorum conſuetudine, aut à furore Diabolico eorum, qui in Italia Monomachijs priuatis ſe conficiunt? Pugnant hæc cum lege Diuina, cum legibus imperatorum, cum communi fœdere naturæ humanæ: Deinde ſemper à Germanicæ gentis humanitate aliena fuerunt.

Meminimus, cum Chriſtophorus comes nobiliſſimus de Frangepanibus & Hiſpanus quidam in Aula Maximiliani imperatoris ex prouocatione certaturi eſſent, Maximilianum ipſum uenire in locum conſtitutum ſeuerè prohibentem hunc furorem, & utrunq; præhenſum domum reducere, penitus abolita mentione iniuriarum & prouocationis. Arma legibus ſeruiant, non priuato furori. Quare & nos hæc exempla ſeuerè prohibemus, & pœnam Relegationis omnibus prouocantibus & adſentientibus denunciamus.

Mandamus etiam ſcholaſticis, ne bombardas

gerant. Nihil his armis in Republica tranquilla ipsis opus est. Publicarum calamitatum consideratio homines sanos ad modestiam flectere debebat. Turci uiciniam tenent. In Belgico exarsit bellum, quod mutationem insignem adferet toti Germaniæ. Nostræ regiones premuntur alijs malis, sed crescentibus pœnis furor etiam crescere uidetur his, qui ad æternum exitium destinati sunt. Sed ubiq; sunt aliqui sanabiles, bi admoniti Dei iram agnoscant, & mores regant diligentius, ut mitigentur pœnæ. 1542.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS THEOLOGICAE.

QVàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, inquit uox cœlestis, commendans nobis Euangelij ministros, ac significans, summum esse beneficium Dei, lucem in Ecclesia per idoneos doctores accendere, qui quidem ingens onus & acerrimos agones sustinere coguntur. Ideo Paulus iubet & uenerari eos, & eximia beneuolentia colere. Nota enim sunt ipsius uerba ad Thessalonicenses scripta cap. 5. ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ ἐν ἀγάπῃ, διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν.

Cum

Cum igitur ad ministerium Euangelij ab inclyto & pietate & fortitudine præstanti Rege Daniæ, Christiano, uocatus Ioannes Machabeus, testimonio Ecclesiæ nostræ commendari uoluerit, eras ornabitur gradu Doctoris. Quare petimus ut Doctores, Magistri & scholastici, qui ministros Euangelij uenerantur, & pedes eorum speciosos esse ducunt, hoc est salutarem & dulcem cursum ac ministerium, conueniant ad eius testimonij publicationem, eaq; in re etiam uiri pietate & gentis beneficijs moueantur. Nam Machabei pietas & eruditio tanta est, ut appareat non humano consilio, sed Dei benignitate uocatum esse ad munus docendi Euangelium, inter eos, de quibus Ephe. 4. dicitur, à Christo dari alios pastores, alios Doctores.

Aliquid etiam Scotorum genti debemus. Etsi enim Apostolorum discipuli statim initio uagantibus in orbe Apostolis intulerant Euangelium etiam in Germaniam, Nam Maternus Petri auditor, docuit Argentinæ. Lucius Cyrencus in Augusta Tiberia, quæ nunc est Regenspurg. Crescens Moguntiæ, Clemens Meti, Marcus Pauli comes in Passau: Tamen postea Ecclesiæ, Henetorum & Hunnorum armis deletæ sunt. Has Scoti utcunq; magno labore

 instaura-

instaurarunt. Quapropter Machabeo & propter suam uirtutem, & propter gentis beneficium fauere æquum est.

RECTOR ACADEMIAE.

ILlustrissimus princeps dux Saxoniæ Elector, pio & utili consilio transtulit reditus certorum Sacerdotiorum ad scholasticos, & his frui bona ingenia cupit, quæ olim usui Reipublicæ esse queant. Hæc cura pertinet ad principes, ut Ioseph in Aegypto Sacerdotibus & discentibus constituit certos reditus. Et Daniel & eius collegæ regis liberalitate instituti sunt. Et Paulus inquiens: Nemo militat suis stipendijs, præcipit Ecclesiæ, ut de publico curet ali Doctores & pauperes discipulos, præparandos ad hanc togatam militiam. Itaq; ut Apes suos alueolos ad mella facienda tenent, ita scholasticis frui opibus scholasticis conueniebat, depulsis ignauis fucis, propagandorum studiorum causa. Vt autem hæc beneficia bene collocentur, uult illustrissimus Princeps explorari studia & mores omnium, qui uel ducum Saxoniæ, uel ciuitatum ditionis ipsius, stipendijs fruuntur. Quare mandamus omnibus illis sub pœna amissionis stipendij, ut die xij. Septembris conueniant hora duodecima in

domo

domo publica Academiæ, in qua Iurisconsulto-rum est auditorium.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM.

SVnt quidam honesti scholastici, qui testimonium publicum suorum studiorum, & gradum Magisterij Philosophici decerni sibi petunt, & sui consilij probabiles causas habent. His si qui se adiungi uolent, intra dies septem apud me nomina sua edant.

Nos quo consilio ueterem scholarum consuetudinem in hac re censeamus retinendam esse, hoc loco sæpè commemoratum est. Quia enim animaduertimus, hunc morem profuisse ad inuitandos scholasticos ad Philosophiæ studia, nequaquam abolendum esse duximus. Quid est enim utilius Ecclesiæ, moribus & uniuersæ uitæ, quàm excitare & tueri Philosophiæ studia, quæ superioribus artibus, quibus uita gubernatur, quantum lucis addant res ipsa testatur?

Quare bonos hortamur, ut candorem in iudicando adhibeant. Foueamus mutuis officijs scholas & hæc literarum studia, sint uolun-

tates συμβιβασικαὶ & amantes concordiæ, propter utilitatem Ecclesiæ. Nam hac ratione & reliquiæ literarum in his tumultibus seruari poterunt, & officium nostrum Deo gratum erit, qui nos utilitatibus Ecclesiæ seruientes teget in publicis periculis. Promisit enim, se ne non deserturum esse Ecclesiam.

ALIA.

CVm propheta Ionas denunciaret exitium regiæ ciuitati, quæ à Nino condita fuerat, consternata cœlestibus minis uniuersa ciuitas, non solum egit pœnitentiam, sed etiam publica exempla modestiæ proposuit, ut priorem luxum detrectare, & reuocare disciplinam intelligeretur. Ita cum in uicinia grassentur Turcici exercitus, & excidium Germaniæ minitentur, oportet nos quoq; exemplum urbis Niniuæ imitari, agere pœnitentiam, & restituere disciplinam, ut Deus placatus arceat à nostris cerui-cibus crudelissimam gentem, seruet Ecclesiam, leges, literas, defendat uitam nostram, & omnia uitæ ornamenta.

Nec uerò existimate inane terriculamentum esse Turcicas expeditiones. Nec arbitramini ullas politias seruari posse contra furorem Diaboli, nisi

li, niſi Deus eas defendat. Sed cum creſcant uitia omnium ordinum, impendere uidetur ingens mutatio rerum humanarum Nec leue ſignum eſt, uenturarum calamitatum, petulantia, contumacia & ἀδιατρεψία iuuentutis.

Poſſunt autem uel arceri uel mitigari pœnæ emendatione morum, ut Chriſtus ipſe Eccleſiam monet, Vigilate omni tempore, precantes, ut poßitis effugere uentura mala. Ita & Prophetа Iohel præcipit Sacerdotibus, ut populum conuocent, & ſuis lachrymis & commonefactione reuocent ad pietatem.

Hoc præceptum ſequutus paſtor Eccleſiæ noſtræ, gràuiſſimam concionem de pœnitentiа & de modeſtia iuuentutis habuit, præcepit hoc ipſum nobis, quod præcipit uox cœleſtis ſonans per Prophetas, & quod mandauit filius Dei. Quare ſcitote huic concioni paſtoris parendum eſſe, ac Deum fore iudicem contumaciæ, ſi non obtemperabitis.

Nos quoq; quibus Diſciplinæ gubernatio diuinitus mandata eſt, præcipimus ſcholaſticis, ut uicinam Panoniam animis intueantur, & modeſtia ſua declarent, ſe alienis ærumnis adfici, ac pœnas impendentes Germaniæ metuere.

Prohibemus igitur nocturnas uociferationes

similes ululatuum, quos olim bacchantes in Orgijs edebant, qui turbant tranquillitatem ciuitatis. Prohibemus & tumultus, qui ipsorum etiam scholasticorum uitæ pericula adferunt.

Et quanquam tempora satis mœsta sunt: Tamen interim iuuentuti tutos & honestos consessus non interdicimus. Sed in his luceat modestia, ut exemplum cæteris prosit. Quare morem circumducendi puellas in gyrum in choreis prohibemus, ac sciant scholastici, magistratus non defuturos suo officio in cohercenda petulantia.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM.

HOdie spectauimus minacem congressum Saturni & Martis in Scorpio, qui malis ingenijs nouum uirus, nouas flammas ad turbandam communem generis humani tranquillitatem addet, crescet rabies Turcica, crescent & certamina Ecclesiastica. Nos igitur moniti cœlestibus signis Deum inuocemus, ut Ecclesiæ parcat, eamq; seruet, & ipsi diligentius ac moderatius omnia faciamus, ut arte leniamus incommoda quædam. Quare & honesta studia

nobis

nobis diligentius colenda erunt, quæ animos ad moderationem flectunt.

Et ut hæc studia iuuentus magis amet, inuitanda est à maioribus natu & eruditioribus. Ideo cum hodie publicè simus exploraturi doctrinam eorum, qui petunt gradum Magisterij, rogamus Doctores, Magistros, ac præcipuè eos, qui profitentur Philosophiam, ut ad id examen ueniant. Sciunt enim hæc officia & hos honestissimos congressus prodesse ad excitanda bonarum artium studia. Inchoabitur autem examen publicum hodie hora prima.

ALIA.

HOdie decessit honestißima puella agnitione filij Dei & optimis moribus prædita, Magdalena filia clarißimi & optimi uiri Domini Marti. Luth. Doctoris Theologiæ. Mandamus igitur scholasticis, ut hora quarta ad funus conueniant, ut pij ritus conseruationem adiuuent in condendo corpore, quod & fuit & erit rursus domiciliũ animæ, in qua fulget noticia & imago Dei, quæ quidem interim in gremium Christi recepta est, & glorioſam resurrectionem expectat, in qua iterum dulciſsimo complexu parentum fruetur, ut scriptum est. Non

est uoluntas patris, ut pereat unus de pariulis istis.

Et hæc puella quia & rectè norat filium Dei *propitiatorem, & Euangelij doctrinam probè tenebat, toto morbi tempore clara professione fidei se filio* Dei *commendauit, cum quidem patri diceret, se, si* Deus *uellet, libenter mansuram apud ipsum, sed si aliud uellet, etiam se patri cœlesti obtemperaturam esse, apud quem deinceps tanquam apud uerum patrem futura esset.*
Die XX. *Septemb.* Anno M. D. XLII.

ALIA.

HEri decessit uir doctrina, pietate & uirtute eximia præditus M. *Caspar Sumannus Boleslauiensis Silesius, cui funus fiet hora duodecima.*

Mandamus igitur, ut scholastici conueniant paulum infra collegium, ut pius funerum ritus conseruetur. Et recordatio uirtutis huius Caspari exemplas suppeditat iuuentuti, digna memoria & imitatione. Mater prædicat tantam eius à prima pueritia fuisse modestiam, ut nullæ in re unquam offenderit parentes. Et ut erat in eo singularis pudor, ita castitatem ac puritatem corporis tueri acerrimo studio solebat.

Hæc eò recitaui, ut & exemplum iuuentus imitetur, & doleat ereptum esse nobis uirum talem, qui Ecclesiæ magno usui futurus erat. Etsi ipse quidem nunc consuetudine Dei lætus fruitur, ut certò statuere nos iubet hæc uox: Beati mortui, qui in domino moriuntur. Sed nos Reipublicæ detrimento moueamur, ac Deum oremus, ne Ecclesiæ reliquias deleri funditus sinat, sed seruet aliquem cœtum piorum & studiosorum ad propagationem cœlestis doctrinæ, ut Deus uerè celebretur & inuocetur. Quid tristius & terribilius cogitari potest, quàm si extincta luce Euangelij, amissis literis, totum genus humanum sine agnitione Dei more Impiorum in uoluptatibus obscœnis ac beluinis uiueret, ut nunc uiuunt Turci & multi impij?

Hæc mala deprecanda sunt, & excitandum studium uirtutis, ut Deus flectatur ad misericordiam, & nos adiuuet. Datæ XII. Octobris.

ALIA.

SAepè inquit Deus ad tribum Leuiticam, Ego ero possessio tua, ego ero fundus tuus, ut testaretur, se uelle docentes & discentes alere, quia plærunq; negliguntur à summis gubernatoribus, qui propter conseruationem

conſeruationem doctrinæ cœleſtis debebant ſcholaſticis proſpicere.

Credamus igitur & nunc nobis non defuturum eſſe Deum, qui tamen interdum excitat principum animos, ut aliquantulum etiam opitulentur nobis.

Scripſit nunc illuſtriſſimus princeps Dux Saxoniæ Elector etc. & Burggrauius Magdeburgenſis de ſtipendis, quæ ſolet attribuere ſcholaſticis, ut nomenclaturas & teſtimonia ad Aulam mittamus.

Quare mandamus omnibus, qui fruuntur ſtipendijs, quæ penduntur ex collegijs Aldeburgenſi, Gothano, & Iſennacenſi, ut die Martis proxima, hora xij. in domo Academiæ noua (in qua eſt auditorium Iuriſconſultorum) conueniant, ſi commendationem noſtram expetunt. Die 26. Nouembris.

ALIA.

DEceßit hac nocte uir honeſtus Iohannes VVeimman Noribergenſis Organiſta, qui ſeruiuit Eccleſiæ noſtræ, & multos in muſica erudijt. Hortamur igitur ſcholaſticos, ut ante eius ædes conueniant hora tertia, pio more funeris ceremonias ſeruaturi.

Erat

Erat artifex non contemnendus, & Musicam ad cum finem conferebat, propter quem data est generi humano, uidelicet ad celebrandas cantiones in templis. Ideo enim præcipuè Musica diuinitus hominibus data est, ut seruiat propagationi Religionis. Est enim & iucunda, & diutur na memoria suauium & bonarum cantilenarum.

Adiunxerat autem ad suam artem & cognitionem Germanicarum historiarum tantam, quam uix in alio uidimus. Significat autem cogitatio historiarum animum amantem uirtutis. Itaq; & mores ita regebat, ut appareret eum reuereri Deum, eumq; in fide filij Dei inuocare. Quare nostris officijs declaremus eius coniugi & liberis iudicium nostrum, & beneuolentiam erga ipsum. Die XXIX. Nouembris.

ALIA.

VAgatus est in hac schola aliquandiu Adolescens N. quem tumultuantem hi, qui præfuerunt, aliquoties hortati sunt, ut modestius uiueret, & frenaret naturam ferocem, ne diabolo obsequens, tandem incideret in graue periculum.

Sed aliquanto post atrox facinus fecit, armatus fuit in insidijs noctu ante ædes cuiusdam ci-

uis, expe-

uis, expectans alium quendam egressurum ex ea domo, sed alij egressi extorserunt isti θρασυδέλφῳ tumultuanti gladium. Res delata est ad nos, monstratus & gladius. Cumq; conuinceretur perspicuis testimonijs, & fateretur ipse N. tum facinus, tum consilium suum, iussus est in carcerem ire, aut discedere tanquam relegatus. Promisit igitur se iturum in carcerem, neq; tamen fecit quod promiserat, sed clam hinc discessit.

Quare publicandam sententiam esse censuimus, ut hunc N. sciant omnes ex hac Academia propter contumaciam & facinus atrox relegatum esse triennio. Conuentus scholarum est pars Ecclesiæ, & hæc nostra iudicia sunt Ecclesiæ iudicia. Quid enim aliud spectamus aut agimus in hac laboriosa gubernatione, nisi ut seminaria Ecclesiæ exolamus?

Hanc ob causam tenera ingenia erudire optima doctrina & ad bonos mores adsuefacere cupimus, ut Deus rectè inuocetur & celebretur, & Ecclesia conseruetur, nec sunt inania Ecclesiæ iudicia. Hærebit in pœnis iste θρασύδειλος, & fugitiuus. Quare boni sciant uitandum esse.

Postremo & hoc monebimus, quod aliàs publicè significatum est, cum Rector aliquem Arc-

sto (ut

sto (ut uocant) retinet, eam uim habet mos ille, ut intelligatur mandatum esse, ne hinc inscio Rectore usquam discedat is, qui in Aresto seu decreto retinetur. Si non paruerit, iudicatur contempta autoritas magistratus, & punitur is, qui deliquit, exclusione uel relegatione. Præcipuus neruus est iurisdictionis Aresti reuerentia. Quare tueri eam necesse est.

Si quis autem cyclopico more, sine legibus, sine cura iustorum officiorum uiuere cupit, is discedat hinc uel ἐς κόρακας. Non est Cyclopum conuentus Ecclesia, sed Dei sedes, in qua agnoscitur & inuocatur Deus, celebratur doctrina salutaris hominum uitæ, mores reguntur uoce Dei, accenduntur animi ad honesta officia Spiritu sancto, depellitur diabolus, ne triumphos agat aduersus Deum. Nec dubium est, daturos esse Deo pœnas hos, quibus ludus & uoluptas est deformare & perturbare cœtus scholasticos, qui sunt Ecclesia Dei.

Datæ calendis Decemb. Anno
M. D. XLII.

Scripta

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA IN ACADEMIA VVITEBERGENSI, ANNO M. D. XLIII.

RECTOR ACADEMIAE CASPAR CRVCIGER DOCTOR THEOLOGIAE.

SEmper Ecclesia Dei doctrinam tenuit de iustima, qua irâ Dei placatur. Nam hac ipsâ uoce condita est Ecclesia, nec alio modo accendi fides & inuocatio possunt, nisi huius immensi muneris cogitatione. Fuerunt igitur inde usq; ab initio mense uerno ueri Pascatis imagines & ceremoniæ. Certum est enim mactatione agni, significatam esse mortem Christi, manducatione uerò significatam beneficij adplicationem. Ac multi existimant, eodem anni tempore immolatum esse Isaac. Arbitrantur & Abel eodem anni tempore interfectum esse.

Tandem filius Dei perspicuis testimonijs mundo exhibitus, sacrificium suum fecit, in quo simul & iram Dei aduersus nostram immundiciem, & immensam misericordiam erga genus humanum

humanum conſpicimus. Et quidem ferunt ſcriptores ueteres, Chriſtum crucifixum eſſe die 25. Martij, quo creatum & Adam, & Chriſtum conceptum eſſe traditur.

Hodie hic annus celebrat reſurrectionis feſtum. Ac tempora nos de huius admirandi beneficij magnitudine admoneant. Adiungamus noſtra uota & gratam prædicationem ad omnium temporum Eccleſiam, imo ad cœtum, qui iam coràm agit gratias filio Dei in cœlo, & modeſtia noſtra oſtendamus, nos affici rebus tantis, & uerſari in earum meditatione.

Mandamus etiam, ut cras ſinguli ſcholaſtici offerant ſua munera ad aram, ut declarent ſuum ſtudium erga miniſtros Euangelij. Videtis quæ ſint tempora, cogitemus magnum Dei beneficium eſſe, in pace conuenire pios cœtus ad audiendam Euangelij uocem.

Quantus luctus nunc eſt piorum, ubi Turcica arma impediunt congreſſus, contionem, diſciplinam? Quare ut diu nobis concedat tranquillitatem Deus, referamus eam ad gloriam Dei, non abutamur ea. Ac de ſcholis quidem hoc uerè dici poteſt, ſingulare Dei beneficium eſſe, quòd aliquantiſper in Germania, quædam literarum

rarum domicilia tranquilla fuerunt, quorum tranquillitas ut sit diuturna, faciat Filius Dei, suæ Ecclesiæ custos & defensor. Pridie Pascatos. Anno 1543.

RECTOR ACADEMIAE
D. CASPAR CRVCIGER.

DEum æternum patrem liberatoris nostri Iesu Christi precamur, ut det faustum, fœlicem & tranquillum annum Ecclesiæ suæ, Reipublicæ, honestis studijs, & omnibus inuocantibus filium Dei. Ad has preces adiungant & scholastici uota sua, & studium uirtutis. Mandamus autem ut in his ferijs sint modesti, & pia cogitatione meditentur consilium Dei omnium maximè mirandum & inenarrabile, qui filium suum misit in terras, & pro nobis uictimam fieri uoluit. Qui sentiunt hæc uera esse, ut sunt, hos necesse est de causis cogitare. Duæ sunt haud dubiè præcipuæ causæ. Magnitudo iræ Dei aduersus peccatum. Ostendit enim Deus non aliter placari se & flecti potuisse, nisi filius ipse fieret uictima.

Agnoscunt taciti in hoc spectaculo omnes pij Angeli magnitudinem peccati magis, quàm in omnibus hominum calamitatibus, & æternis pœnis

nis pœnis damnatorum. Moueamur nos quoq; tanto testimonio. Nec unà cum Diabolo, hoste Dei, tantum opus contemnamus, ut contemnunt Epicurei, Turci, & alij impij.

Altera causa est immensa misericordia æterni patris, & ineffabilis amor filij erga nos. Cum enim Deus condidisset hominem, ut per ipsum celebraretur, imo ut ipse in eo acquiesceret, & suum sabbatum ageret, ut in Genesi significatur, non uoluit penitus perire genus humanum. Hæc meditanda sunt præcipuè in his ferijs, cum Ecclesia hanc partem historiæ de filio Dei nato ex uirgine proponit.

Ad has cogitationes inuitant nos Angeli, cum canunt gloriam Deo in excelsis, in terra pacem, & hominibus læticiam. Hunc hymnum uolunt nos unà canere, agnoscere iram & misericordiam Dei, ac filij immensum amorem. Hæc leuiter ducere, negligere, aspernari, quantus furor est? Præcipimus igitur omnibus scholasticis, ut sint modesti. Prohibemus & nocturnas uociferationes, grassationes, discursationes laruatorum, & ludum qui à mussitatione nomen habet, indignum ingenuis. Mandamus item, ut cras singuli scholastici munus suum ad aram afferant, ut reuerentiam debitam erga Euangelij ministros declarent.

DECANVS FACVLTÄ-
TIS ARTIVM M. CHRISTO-
phorus Ionas, ſtudioſis S. D.

QVod fauſtum fœlixq; ſit Reipublicæ & nobis, ſignificandum duximus, noſtrum officium honeſtis & ſtudioſis, qui hoc tempore Magiſterij gradum petituri ſunt, non defuturum eſſe. Mos iſte optimo conſilio inſtitutus eſt. Certè in hac Academia Philoſophiæ ſtudia mediocriter excitauit & auxit, quæ qui amant, mores eos tueri maiori cura debent, qui uidentur utiles ad doctrinæ exercitiâ augendâ.

Scitis autem, cum reliquæ uitæ, tum uerò Eccleſiæ magnoperè ſeruire linguarum, hiſtoriarum & Philoſophiæ ſtudia.

Ne quidem Stephanus Martyr orationem ſine liberali doctrina recitare potuiſſet, in qua non ſolùm uetus hiſtoria repetitur, ſed etiam prudenter excerpuntur promiſſiones de Chriſto, & diſcernuntur primi cultus à ritibus templi, de quibus dimicabant Hypocritæ, Et oſtenditur, uerè coli Deum inuocatione, quæ fit fiducia filij, & pœnitentia, non externis ritibus. Hic ſtatus eſt certaminis acerrimi. Nec uerò ſine liberali doctrina hæc ipſa oratio explicari poteſt.

Poſſemus

Possemus multis alijs exemplis uti, sed quotidiè ea in scholis auditis. Et nunc ut Stephani mentionem facerem, dies me admonuit. Ac profecto propter eius concionem & agonem memoria Stephani grata bonis esse debet, cuius legimus in Historijs tantam magnitudinem animi in morte fuisse, ut præclarè de eo scriptum sit. Ibat ouans animis, & spe sua damna leuabat.

Quid? quòd nobis testis est, Christum adesse morientibus, cum affirmet, se manifesta in luce uidere stantem in cœlo. Sed hæc aliàs. Nunc de gradu. Si qui uolunt petere gradum Magisterij, ad me accedant intra hos 14. dies daturi nomina. Bene ualete.

HVmanissimum est patriæ antiquitatem, stirpem, mores, & egregia facta maiorum cognoscere, Et nostræ Germaniæ, etsi minus fuit exculta quàm Græcia, aut Italia, tamen multi uetusti scriptores, Græci & Latini, egregiam laudem non modo fortitudinis, sed multo magis iusticiæ, castitatis, & pietatis tribuerunt.

Cum Guelfus arcem VVinsperg dederet, Conradus Imperator mulieribus concessit, ut inuiolatæ discederent cum rebus, quas suis humeris gestare possent. Hæ uiros & filios asportant.

Probauit Imperator consilium & pietatem mulierum, & pacem atq; amiciciam cum Guelfo fecit.

Hæc nequaquam barbarica sunt, sed plena consilij, fidei, bonitatis. Amemus igitur & nostram patriam, & maiorum exemplis ad uirtutem accendamur.

Ideo ut adolescentes ad ueteris Germaniæ cognitionem inuitentur, enarrabo Hutteni Harminium, & breuem Taciti libellum de Germania, & enarrationem cras inchoabo hora octaua. Paulus Eberus.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS THEOLOGICAE LECTORIBVS S. D.

BEati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te, inquit Psal. 83. admonens nos, ingens beneficium Dei esse, uersari in Ecclesia piè constituta, in cœtu rectè inuocantium Deum, audire synceram Euangelij uocem, unà cũ cæteris pijs inuocare Deum, habere honestißimorum studiorum duces & socios.

Horum bonorum magnitudo diligenter cogitanda est, & quidem tristißimis exemplis mouemur. Vbi nunc Turcorum armis dißipantur Respublicæ,

Reſpublicæ, & diuelluntur coniuges, parentes, liberi, & abducuntur pij in ultimam barbariem, ut inter immanes Turcos uiuant: Hi intelligunt quàm dulce fuerit uiuere in Eccleſia. Defendet autem Deus Eccleſias, & piorum ſtudiorum hoſpitia, ut in domo eius uerſari poßimus, ſi id ab eo petemus, & mediocriter mores rexerimus, & fauebimus ipſis ſtudijs Euangelij, & ijs qui laborem in Eccleſia ſuſtinent.

Cum autem iam petiuerit à nobis Eccleſia Iſnenſis, ut teſtimonio publico ornemus N. acceſſitum ad munus docendi, ut hactenus ei non defuit opera noſtra in eo erudiendo, ita nunc quoq; hoc officium præſtandum eſſe duximus. Et Deo dante decernemus ei gradum Doctoratus Theologici die Februarij 20.

Vos quoq; adhortamur, ut ad illam teſtimonij noſtri renunciationem modeſtè conueniatis, & ut ſtudium ueſtrum declaretis erga Euangelij miniſtros, Et ut ueſtras preces adiungatis ad noſtras, ut Deus Eccleſiam ſuam ſeruet, Vt doctorum & diſcentium mentes gubernet:

Deniq; ut etiam has ſcholas piorum ſtudiorum protegat. Hæc enim in his congreßibus agenda ſunt. Datæ die 18. Februarij. Anno

1543.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM M. ANDREAS AVRIFABER.

QVòd Deus in arcam, quam in ſecretiore aditu templi populi Iſrael collocari uoluit, tabulas legis imponi iußit, ſignificauit ſemper in Eccleſia conſeruandum eſſe librum cœleſtis doctrinæ. Quare & ſtudia alicubi conſeruaturus eſt, & hæc apud eos teſtatur ſe conſeruaturum eſſe, qui doctrinam amant & inquirunt. Quare uos propter Deum obteſtamur, præſertim his miſerrimis temporibus, cum exarſerint tam ſeua bella, ut ueſtra diligentia, & modeſtia Deum flectatis, ut diu concedat uobis ocium ad diſcendum, & propter Eccleſiam conferatis fidelem operam ad conſeruationem utilium artium. Hoc ſcholaſtico conſilio ſcholaſticas operas obimus, & ad eas Teſtimoniorum & graduum renunciatio pertinet. Ideo quod fauſtum fœlixq; ſit, his noſtris auditoribus, quorum nomina hîc recenſentur, proxima die Martis decernetur gradus Magiſterij. Cum autem propter grauem cauſam hæc Teſtimoniorum renunciatio debeat eſſe publica, petimus, ut frequentia eruditorum & bonorum ornetur. Hoc officio ſinguli declarent, ſe de philoſophiæ & linguarum

guarum ſtudijs, quæ certe neceſſaria ſunt uitæ humanæ & Eccleſiæ, bene ſentire, & fauere huius cœtus honori. Valete. Die 8. Septembris.

RECTOR ACADEMIAE
LAVRENTIVS ZOCH
I. V. DOCTOR.

QVod fauſtum fœlixq; ſit, hodie hora 12. legemus ſtatuta, & leges de ſtudijs, & moribus ſcholaſticorum, & de tranquillitate Academiæ retinenda. Quare mandamus omnibus ſcholaſticis, ut ad eam recitationem conueniant in auditorio maximo Collegiorum. Vtinam genus humanum intelligeret, uerè & ſeriò præcipi à Deo diſciplinam, ac uerè eum iraſci contemptoribus diſciplinæ. Certe à Deo ſcholæ præcipuè ob hanc cauſam inſtitutæ ſunt, ut has tantas res diſcamus: Videlicet noſſe Dei uoluntatem & uitæ normam. Aeterna & immutabilis Dei uoluntas eſt, quam in lege ſua patefecit. Verè & horribiliter iraſcitur Deus peccatis. Et ut naturam ſuam mutare non poteſt, ita obliuiſci iræ ſuæ aduerſus peccatum non poteſt. Quòd uerò confugientibus ad filium Mediatorem parcit, non mutatione naturæ, aut obliuione iræ ſuæ parcit. Sed quia filius pro nobis

interceßit, ac perſoluit pœnam. Verè igitur expa-
ueſcamus, et ad filium confugiamus, et caueamus,
ne cumulatis ſceleribus augeamus iram, quæ ſæ-
pè etiam in hac uita opprimit Eccleſiam hor-
rendis cladibus, ut nunc in Pannonijs, & Gallijs.
Oremus igitur Deum, ut propter filium nobis
parcat, & noſtra pietate, & modeſtia flectamus
eum ad miſericordiam.

RECTOR ACADEMIAE
MELCHIOR FENDIVS MEDI-
CAE ARTIS DOCTOR.

DEceßit uir honeſtißimus doctus, & bene
de hac ciuitate meritus, Philippus Rei-
chenbach, Licentiatus Iuris, & conſul
huius oppidi, qui cum cæteris uirtutibus honeſto
uiro dignis hanc quoq; coniunxerat, quòd in li-
tibus ſingulari ſtudio hortator erat fugiendæ
contentionis, & dirimendarum controuerſia-
rum quadam æquitate potius, quàm iudiciorum
acerbitate. Fiet autem ei funus hora quarta.
Quare ad eius ædes ſcholaſtici conueniant, ut
uſitatæ funeris ceremoniæ piè ſeruentur, & in
cœtu commendemus Deo ſuam quiſq; uitam, &
cogitatione iudicij diuini, & Reſurrectionis nos
ad pietatem & inuocationem Dei excitemus.
Die 30. Octobris. 1543. Philip-

PHILIPPVS ME-
LANTHON.

NOsse temperamenta corporum humano-rum, & inclinationes quæ ſequuntur craſin, profecto in uita utiliſsimum eſt, uidelicet ad tuendam ualetudinem, & regendos mores. Et (ut aliæ partes phyſices) dulcem hæc pars doctrinam & gratam bonis ingenijs continet. Cœpi autem nuper enarrare locum Ptolemei in Quadripartito, in quo conferuntur Planetæ, temperamenta, mores, morbi. Hunc locum uellem notiſsimum eſſe ſtudioſis. Quare adhortor deditos græcæ linguæ, ut eam lectionem audiant. Res ipſas ſcio profuturas auditoribus, & uoluptati futuras: Deinde multæ in eo loco ſunt uoces eruditæ, ſignificantes morum, morborum, & temperamentorum diſcrimina, quarum uocum proprietatem intelligere pars eſt eruditionis.

RECTOR ACADEMIAE
MELCH. FENDIVS. D.

MAttheus Aurogallus, qui in hac Academia multorum ſtudia in lingua Ebraica fæliciter prouexit & adiuuit, & ſingulari modeſtia morũ, eruditionem ornauit, deceſsit, extinctus morbo pulmonis diuturno, ad quem & alij

morbi

morbi accesserant. Fiet autem ei funus hodie hora quarta. Quare hortamur scholasticos, ut ante ædes eius conueniant, ut funeris ceremoniæ piè seruentur, ac ibi sese singuli de iudicio Dei futuro commonefaciant, & Deum precentur, ne sinat prorsus extingui salutaria doctrinarum studia. Certè bene meretur de Ecclesia, quisquis Ebraicæ linguæ fontes studiosis aperit. Plurimum enim lucis, uniuersæ doctrinæ Ecclesiæ adfert eius linguæ cognitio, & ad grauissimas controuersias dijudicandas conducit. Die S. Martini. 1543.

PHILIPPVS MELANTHON.

ARbitror omnibus sanis persuasum esse, utilem esse lectionem Ethicorum Aristotelis. Nam & in uita communi opus est nosse uirtutum descriptiones, & ipsa forma explicationis seu Methodus, & collatio harum disputationum, multum conducunt ad intelligendas & tractandas controuersias Ecclesiasticas. Præterea hi, qui se Iurisconsultorum doctrinæ dediderunt, hîc agnoscunt suæ artis semina, scilicet doctrinam de lege naturæ, & demonstrationibus practicis. Enarraui autem hactenus tres primos libros, qui monstrant fontes, & causas uirtutum

uirtutum. Nunc in quarto sequitur catalogus, quem, quia in uulgaribus quibusdam materijs prolixior est, iam præteribo. Inchoabo autem enarrationem quinti libri de iusticia, in quo partes iusticiæ mira solertia inuestigatæ sunt, & deducitur lector ad aspiciendam naturam hominis, ut in ea fontes iusticiæ consideret. Eminet hic breuis libellus inter cæteros Aristotelis, uelut insignis gemma. Nec quidquam à Cicerone, aut Platone in hoc genere perfectius aut magis propriè scriptum est. Quantum autem collatio Theologis, & studiosis Iuris conducat, facilè in ipso opere studiosi intelligent. Optarim eos, qui græcæ linguæ operam dant, nec habent Aristotelis librum, sua manu has pagellas græcas describere. Hodie Deo iuuante hora secunda incipiam.

RECTOR ACADEMIAE
MELCH. FEND. D.

Optima quæq; prius manibus rapiuntur auaris, inquit Ouidius de morte Tibulli poëtæ, quæ eo nobis in mentem ueniunt, quia hac nocte amisimus adolescentem Christophorum Eschman Vlcenium, qui ut ingenio Tibullum referebat, ita fato simili immatura morte extinctus est. Sed hoc fœlicius decessit, quòd

in inuo-

in inuocatione Dei, & fiducia filij Dei domini nostri Iesu Christi ex his ærumnis euocatus est, & fuerunt mores ipsius pleni pictatis, & uirtutis. Dolendum est Ecclesiam amittere talia ingenia, quæ multis profutura erant, & gloriam Dei illustratura. Quare Deum oremus, ut seminaria Ecclesiæ seruet, & studia pia tueatur. Funus fiet huic Christophoro hora 12. ad quod studiosos conuenire decet. Conueniant autem in Collegio. Die 3 Decembris 1543.

M. PAVLVS EBERVS.

CRas Deo iuuante auspicabor enarrationem libelli, qui continet Catalogum Imperatorum Romanorum, & Germanorum Cæsarum, quorum peculiariter res gestæ breui ac erudito Carmine sunt descriptæ à Georgio Sabino, cuius scripti lectionem spero pueris non contemnendum fructum allaturam. Nam & consideratio successionum in imperijs, ac mutationum prodest ad excitandum & confirmandum, in bonis naturis, timorem Dei, qui peccata subditorum punit asperitate aut dilaceratione imperiorum, & Ordo summorum in mundo regnorum obseruatus, nos de fine huius mundi admonet. Cum enim quatuor Monarchiæ in Danielis uisionibus sint promissæ, & hæc ultima sit

ma ſit imbecillis, ut uix mereatur dici Monarchia, facilè apparet inſtare finem mundi, & extremum iudicium, quo Deus iuſtus & uerax, liberata ſua Eccleſia, pijs præmia dabit, impios uerò unà cum Diabolis in horrendos cruciatus æternos abijciet. Poterit etiam ipſius carminis facilitas ac uenuſtas eſſe exemplo ijs, qui poſt audita Proſodiæ præcepta conabuntur & ipſi uerſus facere, ſicut debent hoc genere ſe exercere omnes, qui uel mediocriter Grammatici haberi uelint, propter multas cauſas, quæ publicè ſæpè exponuntur.

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA IN ACADEMIA VVITEBERGENSI, ANNO CHRISTI M. D. XLIIII.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM. M. ERASMVS FLOK.

HOc tempore examina inſtituuntur eorum, qui teſtimonium publicum, ac Magiſterij gradum ſibi decerni cupiunt.

Duxi

Duxi igitur hîc ſignificandum eſſe, meum offi-
cium ijs, qui nunc gradum petent, non defutu-
rum eſſe, ac uelim eos, qui nomina apud Deca-
num, ut mos eſt, edent, ante Epiphania ad me ac-
cedere. Etſi autem interdum nobis obrepunt in-
digni, tamen mos ipſe inſpiciendi ſtudia Iuuen-
tutis, & inuitandi ſcholaſticos ad Philoſophiam,
probandus eſt. Et comperimus in hac ſchola
profuiſſe hunc morem Philoſophicis ſtudijs. Id
enim certè in examinibus ſedulo agimus, non ut
inanes captiunculæ agitentur, ſed ut ex præci-
puis locis artium optimarum interrogationes ac
diſputationes utiles ſumantur. Talia colloquia
erant appetenda, etiamſi gradus non expetere-
tur. Omnia, quamuis exigua momenta uiden-
tur, quæ aliquid tamen conducunt ſtudijs, ma-
gna diligentia tuenda ſunt, ut ueteres dixerunt,
ἐι μὴ τὰ μικρὰ σῴζεις, ἀπολεῖς μείζονα.
Omnibus magnis & paruis rebus Philoſophiæ
ſtudia tueamur, & ornemus. Videtis enim Ec-
cleſiæ & uitæ hominum prorſus neceſſariam eſ-
ſe harum ipſarum artium & linguarum cogni-
tionem, quas profitemur. Ac tantoperè Deus ha-
rum artium, quæ Eccleſiæ neceſſariæ ſunt, negle-
ctioni ſuccenſet, ut propter eam cauſam mine-
tur totis gentibus excidia, ut in Oſea dicitur.
Quia ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacer-
dotio

dotio fungaris mihi. Si quis pondera uerborum expendet, intelliget esse tristissimam commina= tionem. Econtra uerò grata est Deo militia co= lendorum horum studiorum. Ac si mediocriter officium nostrum faciemus, seruabit & defendet nobis Ecclesias, & Politias.

M. PAVLVS EBERVS.

INgens est Thesaurus eruditionis in secundo libro Plinij, ex magna uarietate artium atq; Historiarum collectus. Prodest igitur eum librum familiarissimè notum esse studiosis. Quare cum nuper mihi prælectio publica horæ quartæ mandata sit, auspicari ab enarratione eius libri decreui. Etsi autem scio expeti à multis alios quosdam physicos libellos. Tamen quia audio futurum, ut his proximis mensibus physica hîc excudantur, eam editionem expectandam esse censui. Erit enim emendatior, & locupletior ijs libellis, qui nunc manu scripti circumferuntur. Interim Plinium enarrabimus, quem auidè audient omnes, quos naturæ cognitio delectat, & qui ad confirmandos animos de prouidentia con= ducere existimant considerationem pulcherrimi ordinis in natura, qui uestigium est Dei opifi= cis, ut Plato dulcissimè inquit, Gratam Dei fa=

mam sparsam esse in artibus, scilicet Testimonia, quæ conuincunt, ut esse Deum, & prouidentiam, fatendum sit. Maxime uerò id consideratione huius doctrinæ cernitur, de certissimis legibus motuum, de ordine corporum mundi, de significationibus quibusdam mirandis, quæ omnia cum appareat mirando consilio ordinata esse, non dubium est, mentem Architectatricem esse. Sed hæc in ipsa enarratione copiosius disseremus, quam inchoabo proximo die Lunæ.

PHILIPPVS MELANTHON. DE ECLIPSI DIE LVnæ 24. Ianuarij. Anno M. D. XLIIII.

Obscura donec tegitur caligine phœbus,
Vsuram nec dat luminis ipse sui.
Auditor luctu ueros ostende dolores,
Vtq; Deus pœnas mitiget, adde preces.
Omittenda igitur nunc est prælectio nobis,
Cras uerò ut redeat lætior hora precor.

RECTOR ACADEMIAE MELCHIOR FENDIVS D.

Conscendunt aggerem nonnulli, & quidem eo loco, ubi nunc maxima frequentia est operarum

operarum, ibi lacerant uirgulta, & cespites, & rimas faciunt, quæ postea ruinas trahunt. Audimus quosdam ex scholasticis ibi etiam rixari, & certare conuicijs cum inspectoribus operarum. Scitis autem antea ab illustrißimo principe duce Saxoniæ, Electore &c. proposita esse interdicta, quibus arcentur ab aggere scholastici. Hæc uobis in memoriam redigenda esse duximus, & præcipimus, ne quis ad aggerem accedat, ne quid ibi tumultuum oriatur. Nam illustrißimus princeps dedit mandata, ut hæc petulantia per suos ministros prohibeatur, & puniatur, si huius nostri edicti autoritas spreta fuerit. Vos in tantis miserijs publicis modestiores esse decebat, ut Deus huius loci tranquillitatem diutius tueretur, propter doctrinæ studia, cum ab utraq; parte, ab ortu & occasu in Europa exarserint admodum sæua, & pernitiosa bella, Turcicum & Gallicum. Delentur honestæ familiæ, soluitur disciplina, dißipantur scholæ & Ecclesiæ. His tantis malis etsi ignara pueritia non adficitur, quia nondum nos attigerunt, tamen eos quorum ætas iam iudicare potest, adfici oportebat, & agnoscere iram Dei, nobis quoq; minitantem, & petere mitigationem malorum publicorum. Illud certè nequaquam

decet, irritare Deum Cyclopico contemptu pœnarum, & petulantiæ frenos laxare. Καὶ ἐμπαροινῦσι ταῖς ἀτυχίαις tot gentium.

Quare propter Deum uos obteſtamur, ut modeſti, & tranquilli ſitis. Si uerè ſentitis hîc eſſe Dei Eccleſiam, & uos membra eſſe Chriſti, moderatione ueſtra ornare Eccleſiam debetis, & cauere, ne ex cuiuſquam petulanter dicto aut facto oriantur tumultus, qui honeſta & pia ſtudia, imo & inuocationem Dei interturbant. Nec parua contemnenda ſunt. Verum enim eſt illud Hippocratis. Nihil contemne, nihil paruum, ſeu ocioſum. Die ſecunda Martij.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS IVRIDICAE.

MAximè homines deſtinatos ſtudijs doctrinæ & uirtutis, decet uenerari, & amare leges, & neruos ordinis politici. Quotidie enim cauſas maximas, & grauiſſimas audimus. Scimus perinde, ut leges motuum cœleſtium, & gratiſſimas uices dierum & noctium: ita politicum ordinem, leges, imperia, contractus & iudicia, uerè eſſe opera & beneficia Dei, in quibus

quibus Deus conſpici ſuam ſapientiam, & boni=
tatem erga nos uoluit, & quæ uoluit eſſe uincu=
la ſocietatis humanæ, & exercitia dilectionis,
quam ipſe præcepit. Deinde utilitates tantæ
ſunt, ut numerari non poßint. Sed nos moueamur
uoluntate Dei, propter Deum amemus & uene=
remur legum doctrinam, & caueamus, ne poli=
ticum ordinem conturbemus. Cum igitur Dei
uoluntas ſit, & ſit utile uitæ hominum, conſer=
uari legum doctrinam, magnis & paruis officijs
ornanda ſunt hæc Iuris ſtudia. Quare hortamur
omnes Doctores, & Magiſtros, & reliquum
cœtum honeſtum huius Academiæ, ut conueni=
ant proxima die Martij 13. in templo arcis, ubi
decernetur honeſtißimus gradus Doctorum in
utroq; Iure Nobili uiro N. & domino N. Id offi=
cium etſi eò libentius præſtare uos decet, ut re=
uerentiam erga leges declaretis, & oſtendatis
uos horum, qui renunciantur Doctores, honori
fauere: Tamen ideo maiore ſtudio præſtandum
eſt, quia in his publicis congreßibus, ut decet in
Eccleſia, conuenimus non tantum ad ſpectacu=
la, ſed ut Deum inuocemus, ut Eccleſiam, doctri=
nam uitæ ſalutarem, politicum ordinem tuea=
tur, & adiuuet honeſta ſtudia. Hæc ueris uotis
pectora piorum in his congreßibus petere de=

bent, qui quantum sint ornamentum uitæ, collatione iudicate: Qualis uastitas & tristicia iam est in Græcia, & in Pannonia? Vbi grassantes Turci immani rabie, ut lupi, delent Ecclesias, & literas, & prohibent honestos congressus. Huius tantæ miseriæ cogitatione moueamur, ut Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi oremus, ne deleri sinat Ecclesiam suam, & omnibus pijs officijs ostendamus, nos petere, ut pœnas mitiget. Esaiæ 48. inquit Deus, se liberaturum esse suam Ecclesiam, & addit, propter me, propter me faciam, ut non blasphemer. Propter te igitur omnipotens æterne Deus, pater domini nostri Iesu Christi, ut nomen tuum uerè celebretur, serua Ecclesiam tuam & Ecclesiæ hospitia, & rege doctrinam salutarem, & disciplinam tu guberna, ut tu uerè celebreris, & inter homines aliqua fiant tibi grata. Die nono Martij. Anno 1544.

RECTOR ACADEMIAE
MELCHIOR FENDIVS D.

EMimus domum, quæ futura est Νοσοκόμειον ægrotantium scholasticorum, pro hac ex ærario Academiæ precium soluetur, sed ad instruendam eam lectis aliquot, & uasis,

uasis, colligendam esse Elemosynam duximus, & oramus eos, qui conferre aliquid possunt, ut benignitatem suam hoc pio officio declarent. Hodie Ecclesia Dei nos commonefacit de filio Dei concepto in utero matris uirginis: eodem die Martij 25. conditus dicitur Adam: eodem die crucifixus est Christus. Admonet nos igitur dies ipse de maximis rebus, de Deo conditore, & de nostra creatione, in qua sumus conditi ut essemus imagines Dei, amantes iusticiæ, & beneficentiæ. Postea in conceptione Deus nouum fœdus cum humana natura fecit, cum eam filius sibi copulauit. Quæ res illustrius testari poterat, Deo nos esse curæ, & nos à Deo diligi, quàm hæc ipsa copulatio diuinæ & humanæ naturæ? Cum autem nobiscum Deus tantum fœdus fecerit, nos quoq; uult uera beneuolentia, & honestis officijs coniungi. Postremo cum pro nobis filius Dei mortem hoc die sustinuerit, & nobis uitam suam donârit, nos quoq; iubet officia communicare. Experrectus sum inquit, Ieremiæ 21. cap. è somno, & somnus meus dulcis mihi. Sic de morte sua Christus loquitur, ait hunc somnum dulcem sibi fuisse, quia nobis profuit, gaudet filius Dei se nobis salutem sua morte restituisse. Declaremus ergo gratitudinẽ honestis

officijs. Datæ die 25. Martij, quo ante annos 5506. Adam conditus est. Ante annos uerò 1545 Christus conceptus. Anne annos 1511. Christus crucifixus est.

RECTOR ACADEMIAE
MELCHIOR FENDIVS. D.

DEcessit hac nocte scholasticus modestus, & pius N. cui funus fiet hora quarta. Hortamur igitur scholasticos, ut conueniant ante ædes N. in foro, ut honesto exemplo pium & perpetuum ritum Ecclesiæ Dei conseruent, in quo de causis humanæ mortis, & de filio Dei liberatore, & iudicio cogitare iubemur, & commendanda est uita nostra Deo. Ac tempus nos admoneat, ut diligentius de maximis rebus cogitemus, de causa, cur Deus filium suum miserit, ac uoluerit fieri uictimam. His ipsis diebus sæpè filius Dei iacuit coram æterno patre, sustinens iram aduersus meas, tuas, & uniuersæ Ecclesiæ sordes, acsi ipse hæc flagitia fecisset: induit nostras sordes, ut sua nos mundicie uestiret, & uitæ redderet. Hæc considerabimus, & omnibus pijs officijs ostendamus, nos beneficium filij Dei magnifacere, & piè amplecti.

Rector

ANNO 1544.

RECTOR ACADEMIAE MELCH. FENDIVS D.

DEcessit hac nocte Magister Martinus Hegius, natus in oppido Frisiæ Orientalis Esensa, quem memimus omnes fuisse uirum eruditum & honestum, & cum doctrinam Christi præclarè intelligeret, Deum uera pietate coluisse, & contulisse industriam & operam ad studia literarum propaganda. Tali uitæ genere & tali militia quid melius contingere homini in hac ærumnosa uita potest? Atq; utinam diutius nobiscum in hoc curriculo uersari potuisset. Sed Deo uisum est in aliam meliorem, & eruditiorem scholam eum euocare. Funus igitur ei fiet hora quarta, illo ipso tempore, quo filius Dei egressus est ad montem Oliueti, ubi agonem sustinuit ingentem prostratus coram Deo, sentiens iram Dei aduersus nostra peccata, quasi ipse tot horrendis flagicijs sese inquinasset. Hora funeris nos etiam de hoc Christi Agone admoneat, ut simus modestiores, & attentius consideremus æterna Christi beneficia. Hac hora Christus pro Ecclesia anxiè precans clamat etiam. Pater sanctifica eos in ueritate, sermo tuus est ueritas. Orat ut sermonem suum Deus in Ec-

clesia conseruet. Hanc consolationem teneamus, & sciamus Deum non permissurum esse Turcis aut alijs Tyrannis, ut deleant Euangelium. Manebit Ecclesia Dei, sed ibi manebit, ubi studia mediocriter colentur, & mediocris cura est disciplinæ tuendæ. Hæc illa ipsa funeris hora nobis cogitanda sunt, ad quod scholasticos conuenire uolumus ante eius hospitium, ut nostro exemplo ritus pius in Ecclesia conseruetur, instituatus, ut in tali congressu homines de causis mortis, de iudicio futuro, & de resurrectione commonefiant. Die cœnæ domini. Anno 1544.

RECTOR ACADEMIAE
MELCHIOR FENDIVS D.

NVllius ætatis omnibus temporibus mundi res gestæ conferendæ sunt ad hos quadraginta dies, quibus Christus resuscitatus ex morte, unà cũ multis alijs patribus & propbetis resuscitatis, familiariter cum Apostolis uersatus est, & ostendit initium æterni regni, quo fruetur Ecclesia Dei post resurrectionem. Nec sine causa tot dierum familiaritatem cerni Christus uoluit. Clara, perspicua, & non fallentia testimonia proposuit de futura uita. Nec Christus solus uadatus est, ut spectrum subitò euanescens, sed unà

totos dies apud Mariam, Apostolos, & cæteros amicos consederunt illa lumina Ecclesiæ, Christus, & multi patres, & prophetæ & collocuti sunt de Deo, & de Ecclesiæ collectione, gubernatione & liberatione. Ibi Heua, Sara, assidentem Mariam filiam amantissimè complexæ sunt. Adam, Abraham, Isaac, Ioseph, suos nepotes, Petrum, Iohannem, & alios duxerunt in ipsa uestigia ueterum historiarum, memorantes, quo loco Isaac oblatus fuerit, quo loco scalam cœlestem uiderit Iacob. Talem fuisse scholam his 40. diebus non dubium est. Quare historiam horum 40 dierum longè anteponamus omnibus mundi temporibus, & de ea frequenter his ipsis 40. diebus cogitemus, & ut ad hanc cogitationem, & gratiarum actionem animi sint idonei, uiuamus modestius. Mandamus etiam singulis scholasticis, ut cras ad aram munera debita ministris Euangelij offerant, & pijs exemplis ornent festum, quod iam Ecclesia Dei inde usq; ab egressu ex Aegypto continuis annis 3053. usq; ad hunc annum 1544. celebrauit. Semper Ecclesia in hoc festo liberationes Diuinas prædicauit. Ad hanc nos quoq; adiungamus, celebremus Christi beneficia. Veniat & hoc in mentem, cum tam diu in tantis imperiorũ ruinis seruauerit Deus Ecclesiã,

ſperemus etiam deinceps aduerſus Turcas de=fenſurum eam eſſe, ac ardentibus uotis oremus; ut eam ſeruet, ac regat, ut beneficia illa ingentia etiam poſteritas conſequatur, de quibus his 40. diebus Chriſtus, Patres, & Prophetæ, cum Apoſtolis collocuti ſunt. Pridie Paſcatos, anni 1544. à Paſcate, quod Iſraelitæ in Aegypto celebrârunt, 3055.

RECTOR ACADEMIAE
MELCH. FEND. D.

Toties antea prohibuimus poſſeßionem & uſum Machinarum, quæ uocantur Bombardæ. Nunc iterum prohibemus, & ſi quem comperiemus uſum tali machina, hunc notatum ignominia literis publicè propoſitis ci=ciemus ex Academia, propter contumaciam in re maximè periculoſa, ut heſternum exemplum oſtendit. Quid alienius à ſcholaſticis eſſe debet, quàm graſſari latronum more, & fraterno ſan=guine uelle conſpergere terram, ut fecerunt Cain, Caligula, Nero? Turcica hæc ſunt, ut pa=ter huius Solimani, & Mahometus, qui cepit Conſtantinopolin, & alij, ſuos fratres interfece=runt. Scholaſtici iram Dei metuant, & tantam atrocita=

atrocitatem alienæ uitæ insidiandi uitent. Dies hic nos admoneat, & de ira Dei aduersus scelera mundi, & de seruatione Ecclesiæ. Nam ante annos 3945. die 17. Aprilis, Noha pater Arcam ingressus est. Metuamus igitur iudicium Dei, & oremus, ut Ecclesiam seruet Deus, ut tum in Arca seruauit familiam Nohæ, & hanc nauim ipsi non perfodiamus, malis & sæuis moribus.

RECTOR ACADEMIAE
MELCHIOR FENDIVS D.

Decessit ex hac uita honestissima Matrona, nata in familia nobili equestri Amma de Thumen, uidua uiri Nobilis N. de Ciesser. Fiet autem funus mortuæ matronæ hodie hora quarta. Quare hortamur scholasticos, ut conueniant in platea, in qua sunt ædes Iosephi Typographi, ut cæremoniæ funebres seruentur. Adficiamur cogitatione communium ærumnarum generis humani, & in his congressibus uitam nostram Deo commendemus pijs precibus, Οὐκ ἄισχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά, *inquit Euripides. Ne Christus quidem duxit sibi turpe esse, deriuare in se nostra mala. Quare & nos alieno luctu moueri decet, nec denegare officia,*

officia, quæ tali tempore flagitantur. 19. Aprilis.

RECTOR ACADEMIAE
MELCHIOR FENDIVS D.

QVod faustum, & fœlix sit hodie horâ duodecima publicè in auditorio Collegij recitabo leges Academiæ nostræ, ad quas audiendas, ut scholastici conueniant præcipimus. Quod ut faciant, moueantur legum & disciplinæ reuerentia. Nullum enim officium tam est necessarium, & tam dignum homine, quàm assuefacere animum ad colendas leges, & ad disciplinæ amorem, ut Plato dixit: Illum esse optimum ciuem, qui nullam victoriam, nullos triumphos, ducat glorioſiores esse, quàm parere legibus. Nunc uerò satis magna & tristia exempla nos ad modestiam, & leges colendas hortantur. Bellum horribile motum est inter reges. Pannonia dilacerata est. In Gallia sunt exercitus Turcici, socijs grauiores quàm hostibus, quotidie multorum liberos rapiunt, & in naues imponunt. Has pœnas, ut Deus à Germania auertat, oremus, & feritatem morum corrigamus, ne iram Dei irritemus. Hæc seriò cogitanda nunc esse magnitudo publicarum miseriarum monet. Quasi modo geniti. 1544. Decá-

ANNO 1544.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM. M. ERASMVS FLOCK.

DEcernetur gradus Magisterij in Philoso-phia tribus honestis, & eruditis scholasticis, quorum eruditio hodie hora 12. usitato more in examine publico explorabitur. Hortamur ergo collegas nostros, & Magistros, ut ad id conueniant, ut hæc communia Philosophiæ exercitia maiore frequentia celebrentur, quæ certè prosunt Ecclesiæ Dei. Vel hesternæ lectionis consideratio inuitare nos ad Philosophiam potest, cum scriptum sit: adflatu datum esse Spiritum sanctum. Vt uerbi æterni geniti ab æterno patre similitudo quædam est in nostra cogitatione, gignente imaginem: Sic Spiritus sancti à Patre & filio procedentis similitudo est, noster spiritus, exhalans ex corde. Non enim tantum aërem exhalamus, sed spiritum in corde natum. Hinc cogitemus, quàm significanter dicat Deus, Effundam de spiritu meo. Non tantum creatum halitum nobis adflat, sed de suo corde procedentem inspirat. Ad talium rerum explicationem erudita Philosophia sobriè tractata, conducit. 21. Aprilis.

Decanus

ANNO 1544.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM M. ERASMVS FLOCK.

CRas Deo iuuante decernetur gradus Magisterij Philosophici tribus honestis & studiosis auditoribus nostris. Cum autem hanc testimoniorum renunciationem deceat esse publicam, rogamus Doctores, Magistros et scholasticos, ut cras hora octaua in auditorio Collegij maximo conueniant. Idq; officium præstent studijs Philosophiæ, quæ certè etiam Ecclesiæ Dei magno usui atq; ornamento sunt. Quid enim sine cognitione linguarum, & sine Dialectica dextrè explicari potest? Quàm sæpè adiuuant Physicæ & Ethicæ disputationes prudenter adhibitæ interpretẽ doctrinæ Ecclesiasticæ? Ait Paulus noticias diuinas in mentibus hominum manere: sed detineri captiuas ab iniusticia. Eruditissimè hoc dicitur, sed nisi discrimen potentiæ cognoscentis & appetentis intelligatur, magna erit obscuritas. At cum distribuit Philosophia potentias, lumen accedit. In parte cognoscente manent notitiæ de Deo, & de bonis moribus, ut numerorum noticiæ. Sed pars appetens est auersa à Deo, & sine timore & dilectione Dei,

& cor

& cor coniunctum cum potentia appetente, ra=
pitur motibus sine ordine, & incenditur uarijs
cupiditatibus, Verè igitur interim noticiæ capti=
uæ sunt. Hanc ingentem miseriam agnoscit ut=
cunq; Philosophia, sed ignorat remedium &
opitulatorem, quem monstrat cœlestis doctri=
na. Nam filius Dei hanc captiuitatem captiuam
duxit, ut Psalmus inquit, ac ascendit, ut det nobis
dona, regat ac iuuet nos. Quod certò faciet, si
petemus. Ita collatio Philosophiæ & Euangelij,
utriq; generi doctrinæ lumen adfert. Vtrunq;
igitur colamus, & amemus. 24. Aprilis. Anno
1544.

RECTOR ACADEMIAE
MELCH. FENDIVS D.

DEcessit heri Ciuis huius Oppidi homo
probus, & qui cum Myropola esset, mul=
torum ualetudini fidcliter seruiuit, Igna=
tius. Fiet igitur ei funus hora 12. Quare horta=
mur scholasticos, ut ante ædes quas Ignatius ille
tenuit, conueniant, ut funeris Ceremoniæ piè ser=
uentur, quæ semper in Ecclesia seruatæ sunt, ut
de immortalitate, & de futuro iudicio ibi nos
commonefaciamus, & uitam nostram Deo com
mendemus. 25. Aprilis.

ANNO 1544.

VITVS VVINSHEMIVS.

RODolphum Agricolam audimus, cum adhuc ignarus græcæ linguæ Louanij uersiones barbaricas Aristotelis legisset, iratum obscuritati & confusioni uersionum, profectum esse in Italiam, ut Theodorum Gazam audiret, ac uixit apud eum Ferrariæ. Eadem causa Iohannem Regiomontanum impulit, ut fontes Euclidis, Ptolemæi, Archimedis, inspicere posset. Horum summorum uirorum exempla studiosos excuscitent, ut græcam linguam magis expetant. Nam profecto ad Philosophiam sine eius cognitione aditus non patet, nec latinus sermo rectè percipi potest, sine mediocri cognitione græcæ linguæ. Iam uerò quantam causam expetendæ eius linguæ habent, qui amant Ecclesiam? Nam nouum Testamentum græcè scriptum est, & multi loci apud Paulum nisi à græcè doctis, nequaquam intelligi possunt. Ideo Ecclesiæ necessitas moueat animos nostros, ut hæc studia græcæ linguæ diligentius colamus.

Iterum, cras, Deo iuuante, Grammaticam Græcam proponere incipiam. Hortor igitur rudiores, ut ad eam discendam conueniant. Magna laus est Epicharmi, qui dicitur scripsisse utilia

atilia pueris, τοῖς παισὶν εἶπε χρήσιμα.

Quare mihi nequaquam turpe duco, Elemen*ta hæc ſæpè repetere, quæ ſunt utiliſsima* adole=*ſcentibus. Sciant & ipſi auditores, ſe de* Eccle=*ſia bene meteri, ſi adiuuent harum literarum op=timarum conſeruationem. In ipſo ueſtibulo* Pau=*li quàm perplexas diſputationes peperit mala uerſio, ubi græcæ eſt ὁρισθέντ☞ υἱοῦ θεοῦ, quod eruditiſsimè & ſignificantiſsimè dictum eſt, pro eo ac ſi diceret,* Reſurrectionem mortuorum fu=*iſſe teſtimonium certificans* Chriſtum eſſe filium *Dei. Sed uis græci uerbi ex linguæ græcæ mo=numentis petenda eſt. Poſſem longas periodos recitare, in quibus phraſis ſine græca cognitione non poteſt intelligi.*

Etſi meæ inſcitiæ mihi optimè conſcius ſum, tamen hoc qualecunq; eſt, quod didici in linguis peregrinis, gratius mihi eſt, quàm habere re=gnum aliquod. Deum æternum patrem Domini *noſtri* Ieſu Chriſti *oro, ut hæc ſtudia adiuuet & defendat.* Die 27. Aprilis, *quo ante annos* 3844. *primũ Arca* Noh*æ quieſcere, et conſiſtere cœpit, quo ſignificatum eſt, Deum etiam in horribili=bus diluuijs orbis terrarum, quietem aliquan=do daturum eſſe Eccleſiæ ſuæ, ut nunc certè*

Germaniæ mediocrem dat, ardente reliqua totá Europa pernicioso bello. Pro hoc beneficio simus grati, & oremus, ut sit perpetuum.

RECTOR ACADEMIÆ MELCHIOR FENDIVS MEDICAE ARTIS DOCTOR.

QVod fœlix & faustum sit Academiæ nostræ, cras mane hora sexta, usitato more, Rector Academiæ eligetur, ad eius renunciationem, ut eadem hora conueniant scholastici, hortamur. Id officium ipsi dignitati Magistratus tribuant. Scimus nos non instructos esse potentia, armis, exercitibus, nec Christus hæc præsidia habebat. Sed tamen uox Dei auctoritatem nobis tribuit, qui non solum iußit Doctoribus Ecclesiæ obtemperare, sed etiam excellenter eos diligi. Et profecto in hac schola non deest uobis facultas, res bonas, & salutares ex omnibus disciplinis audiendi, & custos est scholarum piarum Christus, & excubitores sunt Angeli pij. Ideo decet scholasticos suum magistratum uero animi studio uenerari. Pridie Calendas Maij.

Paulus

ANNO 1544.

PAVLVS EBERVS.

IN Plinio hactenus eam partem enarraui, quæ breuiter motus Planetarum recitat. Nunc accedimus ad aëris miracula, Cometas, διάττοντας, uentos, fulmina, pluuias, & alia μετέωρα, quorum cognitio & propter causas Physicas dulcis est, ac plena eruditionis, & propter utilitates expetenda. Nam sæpè de corporũ morbis, de sterilitate, aut ubertate, de motibus imperiorum ueræ coniecturæ ex prodigijs, & tempestatibus sumuntur. Non enim has in aëre uices & mutationes frustra Deus condidit. Deinde hoc uel maximè iuuat obseruare, consensum esse aëris cum stellis institutum singulari consilio Dei ad frugum generationem, & maturitatem. Pars Veris sicca est, cum Sol in Ariete labitur. Cum uenit ad Hyadas, & Pleiadas, regulariter tempestates pluuiæ sunt, ut rursus arua suauiter rigentur: Deinde rursus siccior aura est, & plus flatuum est, cum Sol transit per Geminos, ut culmi coalescant, & floreſcant segetes.

Deinde rursus rigatio necessaria est, quam Cancer excitat. Messi uerò conducunt siccitates, & æstus. Tunc igitur Syrius uicinus Soli duplicat æstus.

cat æstus. Post Autumnum Pleiadum & Orionis occasus rursus humectat terram, ut semina accipiat. Exempla uer huius anni monstrauit, quod regulares habuit Dei beneficio tempestates, & post triduum magnos flatus ciebit Lunæ & Mercurij congressus, & oppositio Saturni & Mercurij. Hunc ordinem & consensum corporum cœlestium, qui certè admonent nos de opifice Deo, considerare & utile & iucundum est. Ac mihi curæ erit, hunc consensum mutationum aëris cum cœlo in his Plinij Meteoris magna ex parte ostendere. Illustrat autem ea Plinius multis historijs, & ego aliquas addam. Quare magnoperè adhortor scholasticos, ut hanc partem studioſè audiant, quæ quidem etiam præparabit rudiores, ut postea Physicen auidius audituri, & facilius percepturi sint. Incipiam autem tractatum Plinij de Meteoris Deo iuuante cras hora huic lectioni destinata.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS THEOLOGICAE.

Die proxima Maij 29. publicum Testimonium doctrinæ tribuetur duobus uiris honestis, & doctis. N. & N. Hortamur igitur

igitur omnes honestos, & doctos uiros, ac scholasticos huius Academiæ, ut ad eius testimonij renunciationem, quis decet eam esse publicam, conueniant, & hoc officio declarent, se fauere studio Euangelij & ministerij, per quod Deus se patefecit, ut agnitus inuocetur, opem ferat, leniat huius uitæ ærumnas, aboleat peccatum & mortem, ac restituat nobis uitam, iusticiam, & salutem æternam. Etsi enim Doctores salutares tantum diuinitus excitantur: tamen uult Deus cœtus esse discentium, & ex his cœtibus eligit, sumit, & excitat eos, qui doctrinam dicerunt. Quare & Prophetæ, & Christus, & Apostoli cœtus scholasticos habuerunt. Discamus igitur, quid sint scholæ, & eas ueneremur, & bonis moribus ornemus, & sciamus ad Doctores etiam in schola pertinere hanc uocem Christi: Vbicunq; duo aut tres sunt congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Adest Christus in nostris auditorijs, regit, & adiuuat studia. Hæc in publicis congressibus cogitentur, & mentes excitentur, ut inuocent Christum, ut adsit, nos iuuet, & regat. Die 25. Maij.

ANNO 1544.

RECTOR ACADEMIAE M. IOHANNES SAXO HOLSACIENSIS.

Considéremus omnes caliginem animorum nostrorum, eamq; deploremus. Quis nostrum existimat tantum mali esse peccatum, ut placari aliter ira Dei non potuerit, nisi filius Dei fieret uictima? Deinde quis arbitratur, in hac uita consilio Spiritus sancti opus esse? Aut ratione & consilijs humanis regi uitam, aut si hæc desint, opprimi homines, plæriq; existimant, ut in ueteri prouerbio dicitur: Quenq; sibi fortunæ suæ fabrum esse. Sed magnitudo calamitatum humanarum admonet nos, maius quiddam esse iusticiã Dei ardentem ira aduersus peccatum, quàm uulgo cogitamus. Ideo beneficium Dei magnifacere discamus, quod filius persoluit λύτρα. Deinde horribiles lapsus sapientum, ut Saulis, Dauidis, Salomonis, Periclis, Ciceronis, & aliorum innumerabilium commonefaciant nos, opus esse gubernatore Spiritu sancto. Hæc inculcat Ecclesia in his ferijs, admonet nos de ingentibus miserijs nostris, & rursus proponit consolationes, & munera Dei, quorum amplitudo uerbis declarari non potest. Quid enim

maius

maius dici potest, quàm accendi & regi has mi=
sellas animas nostras Spiritu æterno Dei? Natu=
ræ suæ Deus nos participes facit, cum transfuso
in nos spiritu suo, nos ad se retrahit. Hoc donum
amplissimum, quo maius cogitari nullum potest,
uult peti Deus, & offert Christus dulcissimis
uerbis, inquiens: Quanto magis pater uester
cœlestis, dabit Spiritum sanctum petentibus? Ex=
citemus ergo nos ad petendum hunc gubernato=
rem, monitorem, παράκλητον, Spiritum ὁμοού=
σιον Dei. Cum hoc duce regimur, eluctamur
fœliciter ex periculis huius uitæ ingentibus. Hæc
utinam sæpè multi cogitent. Profecto nisi à Spi=
ritu sancto custodiamur, tetri & tristes lapsus
accidunt. Videte furores Anabaptistarum, ui=
dete rabiem Turcarum, & aliorum, qui sine cau=
sa tumultuantur, suo & aliorum malo. Hæc hor=
renda exempla solicitudinem & curam in nobis
ecuant, ut petamus regi nos Spiritu sancto, ut
uitemus Diaboli laqueos. De his tantis rebus do=
cet Deus Ecclesiam suam, quam uenerari nos om
nibus magnis & paruis officijs ostendamus. Ideo
præcipimus singulis scholasticis, ut cras ad aram
adferant sua munera, & suo officio propter ex=
emplum conseruent honestum morem, ac ritum
admonentem rudiores de reuerentia, pietate, &

liberalitate, quæ præstanda est in tuendo Euangelij ministerio. Datæ pridie Pentecostes.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES SAXO.

RECens huc aduenit Heinricus Schechius Vlmensis, qui in Academia Tubigensi ornatus est gradu Magisterij, Nam & grauitate & pietate eximia præditus fuit, & literis, ac Philosophiæ cognitione præclarè instructus. Et iam destinarat ingenium utilitati Ecclesiæ. Sed heri Deus eum ex hac uita, & hac schola in æternam scholam euocauit. Quare ut corpus in terra conditum resurrectionem expectet, funus ei fiet hodie hora 12. Hortamur igitur scholasticos, ut tunc in uico ad macellum conueniant. Nam multæ graues causæ sunt, cur Ecclesia inde usq; ab initio mundi ritus funerum pijs officijs, & cum quadam frequentia fieri uoluerit. Vult nos hîc de causis mortis, de futuro iudicio, & de Christi beneficijs cogitare, & nos nostram uitam Deo commendare. Conueniamus igitur, & petamus, ut Deus seruet bona ingenia, quorum eruditio prodesse poterit Ecclesiæ Christi. Datæ 17. Iunij.

Rector

ANNO 1544.

RECTOR ACADEMIAE IOHANNES SAXO.

HEri decessit uir honestus Georgius Cru= ciger, pater Doctoris Caspari Crucige= ris, uiri eruditissimi, et de Ecclesia Dei, & hac schola bene meriti. Fuit autem pater cum alijs ciuilibus uirtutibus præditus: tum uerò hoc nomine præcipuè laudandus, quòd & doctrinam cœlestem coluit ipse, & magno suo periculo filij sui studia ad Ecclesiæ utilitatem fouit, & pro= uexit, propter quod meritum gata eius memoria pijs esse debet. Nam cum uideamus cætera bona omnia fugacia & mutabilia esse, ut hæ ipsæ tri= stissimæ tempestates monent, hanc totam elemen tarem molem aliquando interituram esse. Illa est magna uirtus, referre consilia ad Ecclesiam iuuandam, quæ erit æterna, ut Christus hodie ad Petrum inquit de Ecclesia: & portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam.

Cum igitur Georgius Cruciger in agnitione, & inuocatione filij Dei uixerit, & Deo se mo= riens commendauerit, hortamur scholasticos, ut funeris ceremonijs intersint, quæ ut nos de morte, de miserijs humanis, de earū causis, de iu= dicio Dei, et de futura uita, et de Christi beneficijs admone=

admoneant, à primis patribus institutæ sunt, & omni studio in Ecclesia retinendæ sunt. Fiet autem ei funus hodie hora quarta. 29. Iunij.

RECTOR ACADEMIAE IOHANNES SAXO.

DEcessit honestus adolescens Pomeranus N. Stolpensis, cuius ingenium, mores, studia, & pietatem laudari audimus. Ac pietatem quidem in hoc ultimo uitæ agone non obscurè declarauit. Nam ardenti inuocatione & fiducia filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, Deo suam animam commendauit. Hortamur igitur scholasticos, ut ante ædes Typographi Nicolai Schirlentz modestè conueniant, ut piæ funeris ceremoniæ seruentur, quod fiet hora quarta, ac ibi oremus Deum, ut seruet bona ingenia, ut Ecclesia habere possit doctos & pios ministros. Hortamur etiam scholasticos, ut mediocrem diligentiam præstent ipsi in tuenda ualetudine, ac abstineant à crudis fructibus, qui propter duas causas hoc anno parum salubres sunt, & quia non potuerunt percoqui propter frigidas tempestates, & tetris Eclipsium squaloribus infecti sunt.

Rector

ANNO 1544.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES SAXO HOLSACIVS.

DEbebant Imperia præcipuè regere disciplinam, & mores hominum, & arma gerere ad cohercendos petulantes, ut Paulus inquit: Magistratum debere esse terrori malis, & tueri bonos. Sed hanc præcipuam partem sui muneris gubernatores negligentius administrant, quàm cæteras. Interim Ecclesia & nos, qui docemus in scholis, doctrinam de Deo fideliter tradimus, & quantum possumus docendo disciplinam regimus. Sed sumus sine præsidijs & uiribus, & plane ut Baptista inquit, sumus uox clamantis in deserto, imbecilles homines ac spreti. Sed tamen per nos spiritus Dei sonat salutarem doctrinam, ut inquit Christus: Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris cœlestis in uobis loquitur. Qualescunq; sumus, tamen mumus docendi, quod omnium summum est, & quo patres, prophetæ & Apostoli fungebantur, administramus. Et nostri cœtus debent esse seminaria Ecclesiæ.

Hæc utinam scholastici cogitarent, ut se ad huius nostri muneris reuerentiam & ad amandas scho-

das scholas exuscitaret. Sed multi sunt mixti scholastico cœtui, qui non cogitant se in scholis, ut in Ecclesia uiuere, ac sibi licentiã sumunt plus quàm barbaricam, oppugnant alienas domos, populantur hortos, nocturnos tumultus excitant, discurrunt armati, prouocant tranquillos, deniq; modus nullus est petulantiæ, & immanitatis. Hi furores compescendi erant armis Magistratuum. Sed aulæ disciplinam negligunt.

Nos uerò ne nostrum officium omittamus, præcipimus scholasticis, ut Deo & Domino nostro Iesu Christo obtemperent & mores regant.

Denunciamus etiam omnibus, certò Deum uindicem & ultorem foro contumaciæ, qua & Dei mandata contemnunt & scandalis dedecorant scholam, & aliorum studia impediunt.

Prouocationes uiolant iusiurandum, quod Rectori singuli scholastici dare solent, & per se sunt iniustæ, atroces, ac latrocinij similes, nec tolerari possunt in societate ciuili. Ideo decretum est, ut prouocatores ex Academia eijciantur. Qualis furor esset, si in ipsis templis Dei, latrocinia exercerentur: At scholæ reuera sunt templa Dei.

Et ut

Et ut tranquillitati consulatur, etiam seuerè præcipimus, ne prouocati uerbis moueri se ad dimicandum sinant, eaq; in re magis utilitate publica, quàm priuata iracundia moueantur. Tumultus nocturni penè speciem præbent captæ ab hostibus urbis, & grauidis, ægrotis, puerperis, sæpè magnos terrores incutiunt. His certè parci decet. Et res ipsa aliena est à ciuili consuetudine, in qua ordo, modestia, & studium tranquillitatis præcipuè conspici debent.

Probibemus ergo & uociferationes & gestationes cum aliorum armorum, tum etiam plumbeorum globorum.

Postremo de hortis sciant scholastici, etsi hæ sepes quas uidetis, factæ contexa salice, non satis muniunt hortos, tamen Deus circundedit suam sepem, uidelicet hanc legem: Non furtum facies. Propter huius legis autorem & uindicem abstinete ab alieno.

Nos quoq; quantum poterimus delinquentes puniemus, ac caueant illi, qui nostram imbecillitatem contemnunt, ne nimia petulantia præbeat occasionem, ut sæpè accidit, durioribus imperijs & supplicijs. Si irritatus Illustrissimus princeps iudicabit durioribus frenis opus esse, intelligetis

telligetis ei nec consilium, nec magnitudinem animi deesse. Die Iulij 12. Anno 1544.

RECTOR ACADEMIAE IOHANNES SAXO.

MAndauit Illustrißimus Princeps dux Saxoniæ Elector &c. conuocari omnes tum in nobilibus familijs natos, tum alios, quibus stipendia præbet, ut sumptus in Academia tolerare poßint. Decreuit enim perpetuam ordinationem stipendiorũ instituere, in qua, quantum fieri poterit, cum cæteris pauperibus scholasticis consulet, tum uerò præcipuè filijs pastorum, & concionatorum, qui Ecclesias fideliter rexerunt. Id cum diserte literis ad Academiam scriptis Illustrißimus princeps expresserit, nos de duabus causis hîc recitandum duximus, ut pij Sacerdotes, quorum plærunq; sunt exiguæ facultates, intelligant, suis familijs præcipuè auxilium promitti, & propter hanc pietatem ardentius orent Deum, ut has Ecclesias, politias & scholas tueatur, & uoluntatem Principis adiuuet, quæ profecto laude digna est. Nam præcipuè hanc curam Deus mandauit principibus, ut Ecclesias foueant, & studia doctrinæ cœlestis,

lestis, & aliarum artium, quæ sunt Ecclesiæ ne-
cessariæ, propagari curent. Hæc officia cum pau-
ci principes Deo præstent, illi magis amandi
sunt, qui hanc præcipuam partem sui muneris
uel mediocriter faciunt. Vt igitur mos geratur
uoluntati Illustrissimi Principis nostri, manda-
mus, ut cras hora 12. in domo, in qua est Iuris
consultorum auditorium, omnes conueniant, qui-
bus stipendia discendi causa in Academia dan-
tur. Die 26. Iulij.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES SAXO.

NOn est uoluntas patris nostri cœlestis inquit Christus, ut pereat unus de paruulis istis. Hanc uocem & in hac uita, & in aditu mortis inculcent sibi adolescentes, ut sciant se curæ esse Deo, & hæredes esse uitæ æternæ, & hoc ingens bonum non abijciant. Decessit autem hac nocte Adolescens N. Lunebur-gensis, qui indole ad literas, & uirtutem egregia præditus fuit. Cum autem fuerit in illo numero paruulorum, quos Christus adfirmat non perire, & filium Dei inuocârit, non dubitemus eum ad Christi consuetudinem, & in Scholam

beatißimam, ad ſtudia dulciſſima piorum Angelorum, Prophetarum, & Apoſtolorum euocatum eſſe. Ad hæc nos quoq; præparemus. Funus adoleſcenti fiet hodie hora quarta. Quare ſcholaſticos hortamur, ut conueniant tunc ante ædes M. Arnoldi.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM GVILELMVS RIVENVS.

HIc dies nos admonet de victoria Græcorum pulcherrima. Nam die tertio Menſis, qui nunc Auguſtus dicitur, ante duo millia annorum, & inſuper annos circiter 20. Græci Perſicum exercitum ad Plateas deleuerunt, victo Mardonio, & patriam metu barbaricæ ſeruitutis liberauerunt. Harum & ſimilium rerum diuinarum & humanarum memoria nulla eſſet, niſi literarum cognitio & monumenta manerent. Amemus ergo & ornemus honeſta ſtudia omnibus magnis & paruis officijs. Et quoniam gradus in ſcholis inſtitutos, comperimus ad exercenda ingenia, & monſtrandum diſcendi ordinem prodeſſe, bono conſilio nos quoq; retinendos eſſe cenſemus. Ideo ſi qui hoc tempore

pore Magiſterij Philoſophici gradum petituri ſunt, me intra decem dies accedant, nomina mihi daturi, ut poſtea doctrinæ exploratio & familiaris examinatio, quæ eſt utiliſsima ſtudioſis, inſtitui poſsit. Datæ 3. die Auguſti.

RECTOR ACADEMIAE IOHANNES SAXO.

ETſi non eſt rectè dictum, quod olim celebratum eſt, Optimum eſſe non naſci: tamen magnitudo calamitatum humanarum mouit multos ſapientes, ut dicto illi aſſentirentur. Sed nos ſciamus Deum condidiſſe genus humanum, ut inde ſibi æternam Eccleſiam colligat. Huius agminis milites naſci melius eſt, & hos uiuere oportet aliquantiſper diſcendi & docendi cauſa. Quare oremus Deum, ut ſeruet bona ingenia, profutura aliquando Eccleſiæ. Deceſsit autem heri Iuuenis honeſtiſsimus & egregiè eruditus M. Matthæus Delius, cuius induſtria, ſi uixiſſet, magno uſui, & ornamento Eccleſiæ futura erat. Sed Deus eum confecto mediocri curriculo, hinc euocauit. Profecto beati ſunt, qui antequam deguſtent magnas miſerias huius uitæ, ad æternam Chriſti conſuetudinem

abducundur, postquam & didicerunt Euangelium de uera Dei inuocatione, & aliquid operæ ad iuuanda studia contulerunt.

Hortamur autem scholasticos, ut ad funus Matthæi Delij hora 12. conueniant ante ædes Collegij nostri, & in illis ceremonijs doctrinam Euangelij de morte & uita æterna cogitent, & uitam suam singuli Deo, pijs precibus commendent. Die 13. Augusti.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS IVRIS CONSVLTORVM.

PRoximo die sancti Augustini, decernentur gradus, & ornamenta Doctorum Iuris, uiro honestissimo, uirtute & doctrina præstanti, domino Christophoro Grössero. Petimus igitur, ut professores, & auditores omnium ordinum in Academia ad eius gradus renunciationem usitato loco conueniant, ac reuerentiam suam erga Iuris doctrinam, & leges non tantum hac frequentia declarent, sed etiam animi uotis, & precationibus. Consessus hi non tantum, ut in Scena, uoluptatis causa instituti sunt, sed postquam

quam commonefacta est iuuentus de doctrinæ dignitate, accedit publica precatio, qua petitur, ut Deus hæc honesta studia doctrinarum, Ecclesias, earum hospitia, politiam, disciplinam, studia literarum seruet, ac regat. His rebus nihil melius in uita esse agnoscamus, & in talibus consessibus sæpè animi gratias agant Deo, quòd hactenus ingenti bonitate nos texit, quòd non sinit has politias barbaricam confusionem fieri, nec extingui sinit doctrinarum lumen, quod summum est uitæ humanæ decus, & ardentibus uotis petamus, ut hæc bona diutius nobis impertiat, & seruet. Hæc iubet peti Spiritus sanctus, ut scriptum est. Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem. Ac pollicetur illis magna præmia, qui ornare Ecclesias, & honestas politias student, cum ait: Fœlices erunt qui diligunt Hierusalem. Horrendi, & tetri furores audiuntur multorum, qui passim nouas Ecclesiæ conturbationes, & seditiones moliti sunt. Hos furores immittunt animis diaboli, sed initia sunt, legum & disciplinæ contemptus. Ideo iuuentutem hortamur, & obtestamur propter Deum, ut se ad legum, disciplinæ amorem, & ad moderationem adsuefaciant. Quod qui facient, à Deo gubernabuntur & defendentur. Die Bartholemæi.

ANNO 1544.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM M. GVILELMVS RIVENVS.

QVod faustum fœlixq; sit, hodie horæ prima instituetur publicum examen eorum, qui petunt gradum Magisterij Philosophici. Nihil autem dulcius est bonis & moderatis ingenijs, collatione opinionum & sententiarum, de rebus consideratione dignis. Ideo hi congressus amentur, & ornentur frequentia eruditorum, qui quidem ad propagationem honestarum artium utiles sunt. Ὁμιλία inquit Euripides ἕτης τέχνας. Sunt igitur seruandæ colloquijs, & communicatione studiorum. Quare Magistros hortamur, ut ad publicum examen ueniant, eaq; in re, & studium suum erga Rempublicam, & beneuolentiam erga nos declarent. Multum Reipublicæ prodest etiam uera animorum inter nos coniunctio. Die S. Augustini. Anno 1544.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM.

QVod faustum, & fœlix sit, die quarta, mensis Septembris decernetur gradus Magisterij

Magisterij Philosophici, honestis, & eruditis iuuenibus, quorum nomina infra adscripta sunt. Cum autem deceat hæc testimonia doctrinæ publicæ esse, hortamur omnium ordinum professores, & auditores, qui Philosophiæ fauent, ut interfint renunciationi gradus. Omnibus magnis, & paruis officijs ostendamus, nos cupere tueri, & ornare bonas artes, quas Philosophia continet, quæ etiamsi non sunt in admiratione apud uulgus: tamen uitæ hominum maximè necessarie sunt, & sine eis non patet aditus ad Prophetarum, & Apostolorum lectionem, nec ad politicam doctrinam. Ac profecto magnum Dei beneficium est hæc ipsa lux doctrinarum, quæ hoc tempore fulget in his regionibus, quam ut Dominus noster Iesus Christus uelit esse diuturnam, etiam in his honestißimis congreßibus nostris precemur. Hæc enim sunt summa & firma bona generis humani, propter quæ homines dicuntur Dei imagines, ut in uersiculo dicitur:

Exemplumq; Dei quisq; est in imagine parua.

Die 31. Augusti. Anno 1544.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES SAXO.

ORemus Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem Ecclesiæ suæ, ut seruet incolumes, ac regat adolescentes, qui dant operã literis, ne desint seminaria Ecclesijs. Vitam etiam singuli suam ita instituant, ut studia & mores ornent Ecclesiam. Hæc diligentia Deo grata est, & cum in hac uita, tum in futura præmia habebit. Et qui sic uiuunt, his tranquillæ mentes iam quoq; cœlesti lætitia fruuntur, & cum euocantur ex hac uita, excipiuntur à duce Christo. Tali animo fuisse intelligimus Iodocum N. Bernensem, honestum & pium scholasticum, qui hac nocte decessit. Hortamur igitur scholasticos, ut in uico proximo monasterio Franciscanorum ad eius funus conueniant, & ad communem precationem, in qua suam quisq; uitam, & salutem Ecclesiæ, Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi commendet. Die 4. Septembris.

PHILIPPVS MELANTHON.

EXtat libellus, cui Titulus est Isagoge Arithmetices, collecta, & ædita per Ioachimum Ammonium Nissensem, qui sine ambagibus

bagibus breuissima præcepta continet, quorum maximus usus est. Hunc libellum Iohannes Fischer Arithmeticus enarraturus est, & exemplis illustraturus, præleget autem hora duodecima. Vtile est hominis periti, & artificis celeritatem, & dexteritatem uidere, & considerare. Acuere enim & adiuuare discentes potest, nec pœnitere debet studiosos laboris, & diligentiæ in Arithmetica. Magna laus est, & magna utilitas, hanc artem tenere, quæ & in omni uita tam magnum usum habet, & aditum patefacit ad doctrinam de motibus cœlestibus. Tantum impedimentum est progressuro in Philosophia, ignorare Arithmeticam, quantum impedimentum est cæcitas iter per loca inusitata facienti.

Et si quis Arithmeticam mediocriter didicerit, habet artem, quæ prouehere eum ad functiones uarias potest, & præsidio esse uitæ. Ideo non negligenda est hæc ars, quæ quidem natura omnium prima est, ut numerorum agnitio primum lumen est mentis.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES SAXO.

DVas magnas, & difficiles curas ſuſtine= mus, alteram recte tradendi doctrinam præcipuarum artium, quæ uitam homi= num regunt, & tuentur: alteram uerò diſcipli= næ. Ac Dei beneficio fœliciter ſcitis in hac ſcho la honeſtam & ſalutarem doctrinam tradi. Vti= nam uerò etiam diſciplinam ſeuerius regere poſ= ſemus, quam Deus profecto iuſtus & uindex fla= gitat, ut Pſalmus inquit: Non Deus uolens impie= tatem tu es. Et Iob dicit: Verebar omnia opera mea, ſciens, quòd non parcis delinquenti &c.

Experimur ueris noſtris & alienis exemplis, Deum punire delicta, ſicut tota mundi hiſtoria oſtendit. Non caſu iam recens in Pannonia octo millia captiuorum in foro Peſtano uendita ſunt: Non caſu iam Gallia miſerabiliter uaſtatur, & rex potens uenit in tantum diſcrimen, ut cum Carolus Imperator acceſſerit ad Luteciam uſ= que, ſupplices occurrerint Regina, & Delphi= nus, ut ante paucos annos ad Carolum Burgun= dum uenit ſupplex Rex Franciæ Ludouicus, cui induit Dux Carolus Burgundicum Thoracem, cui confeßio uictoriæ inſcripta erat, VIVAT DVX BVRGVNDIAE, atq; ita orna=

tum

tum regem Carolus Leodij ostendit exercitus. Hæc credite non fieri casu, sed Deus punire se hominum scelera testatur, nosq; commonefacit, ut modestius uiuamus, quod ut faciatis obtestor omnes propter Dominum nostrum Iesum Christum, cuius passio nos de ira Dei aduersus peccata admonet. Metuite uindicem Deum, & uestræ ac communis salutis causa, regatis mores honestius. In hanc sententiam hodie plura dicam. Nam hodie hora 12. leges Academiæ le more publicè recitabuntur, cui recitationi, t scholastici intersint, mandamus, ac simul uos admonemus de mandato diuino, quod præcipit parere Magistratibus. Scitis nos nullam nobis potentiam quærere, sed propter gloriam Dei, propter uestram salutem, propter Ecclesiæ, & ciuitatis tranquillitatem, flagitatur obedientia. His tantis causis mediocria ingenia moueri speramus, & ut eas consideretis, ualde uos hortamur, & obtestamur. Et quanquam qualis sit imbecillitas nostra scimus: tamen illi qui Ecclesiæ, & Magistratuum autoritatem contemnunt, sciant Deum fore uindicem, & ultorem.

Die 12. Octobris. Anno 1544.

Rector

ANNO 1544.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES SAXO.

HEri deceſsit honeſtus adoleſcens Laurentius N. Coslinienſis Pomeranus, bona indole præditus, & eruditione, quo uitæ genere nullum melius eſt, ita inſtructus, ut aliquandiu alios docuerit. Fiet autem ei funus hodie hora quarta, et audimus Phtiſi diuturna conſumptum eſſe. Hortamur igitur ſcholaſticos, ut aut domum recens ab Academia emptam, ut ſit Nosocomion, conueniant, ut piæ funeris ceremoni ſeruentur, ubi nos ipſos de noſtris miſerijs & periculis, de iudicio Dei, & de ſpe uitæ æterne commonefaciamus, & Deum oremus, ut ſcholaſticos ſeruet, ac regat. Datæ die 16. Octobris, quo die ante annos 1307. mortuus eſt Demoſthenes: ac paulo poſt Demoſthenis interitum Demades Orator multo triſtiorem exitum habuit, cui ob oculos filius prius interfectus eſt, poſtea ipſe necatus eſt. Eodem fere tempore, & Hyperides trucidatus eſt, cui mortuo etiam lingua excecta eſt. Hi uiri ſunt inſignia exempla humanarum miſeriarum, quòd tantorum uirorum uita & uirtus inutilibus contentionibus miſerabiliter conſumpta eſt. Cogitemus igitur cauſas huma-

humanarum calamitatum, & rectè eas ferre discamus, & hoc nomine gaudeamus, quòd etsi affligimur: tamen labores nostri prosunt Ecclesiæ æternæ Dei, ac oremus filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos palmites suos adiuuet, ac faciat nos organa salutaria nobis, & Ecclesiæ Dei.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES SAXO HOLSACIENSIS.

Filius Dei Dominus noster Iesus Christus inquit: Vbicunq; duo aut tres in nomine meo sunt congregati, in medio eorum sum, &c. Cum autem piæ scholæ sint cœtus docentium & discentium Euangelium Dei, ut ministerium Euangelij seruetur, uerè adest eis filius Dei, & protegit eas, sicut hactenus uidimus huius Ecclesiæ scholã, Dei ope seruatam, & defensam esse, sicut apud Esaiam promittitur cœtui docentium defensio, cum dicit Deus: Posui uerba mea in ore tuo, & umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos &c. Cum igitur piæ scholæ sint cœtus in nomine Iesu Christi congregati, & interfit eis Christus,

ſtus: amare eas, & earum tranquillitatem omni officio tueri debemus. Cum Eſaias ait plantari cœlos à doctoribus, pingit ſcholas uelut hortos, in quibus plantulæ multæ ſeruntur. Et uult eſſe cœleſtes hortos, id eſt, celebrantes Deum non modo in hac uita, ſed etiam in perpetua. Declaranda eſt autem reuerentia erga ſcholam præcipuè in colendis Magiſtratibus. Quare cum cras, Deo iuuante, Rector Academiæ ſucceſſurus mihi renunciandus ſit, hortamur ſcholaſticos, ut cras hora ſeptima in auditorio maximo conueniant, & oſtendant ſe Magiſtratibus & legibus Academiæ fauere, & obtemperaturos eſſe. Pridie feſti Lucæ Euangeliſtæ. Anno 1544.

Ad reuerentiam debitam ſcholis etiam hoc officium pertinet, ut pecuniam pro locatione fideliter ſoluatis, ut parietes, intra quos auditis doctrinam de Deo, & optimas artes, ſeruentur ſarcti & tecti. Ideo mandamus uobis, ut pecuniam pro locatione debitam ex collegijs hac ſeptimana ſoluatis. Quod qui non facient, hi ſciant locatores mandata habere de talibus expellendis ex Collegijs.

PHILIPPVS MELANTHON.

Sæpè

ANNO 1544.

SAepè diligentiam rectè dicendi prodesse non modo ad hoc, ut nostra oratio magis perspicua, facilis, & munda sit, Sed etiam ut de aliorum scriptis & sermone melius iudicare possimus in grauissimis negocijs Religionum, & forensium controuersiarum. Ideo utile est sæpè repetere scripta, quæ diligentiam illam rectè dicendi acuunt. In his est & ars poëtica Horatij, quam enarrari nunc quidam petiuerunt, quod faciam ita, ut diem Lunæ tribuam Horatio, diem Martis Dialecticæ. Sunt hæc puerilia studia, sed tamen necessaria uitæ humanæ, quæ ut filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, adiuuet, & defendat, precemur, ac simul oremus, ut nos faciat uasa misericordiæ, id est, organa utilia Ecclesiæ Dei.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR.

DEcessit heri honestissimus iuuenis, & præclarè doctus M. Theobaldus Fonteius Argentinensis, cui funus fiet hodie hora 12. Hortamur igitur scholasticos, ut conueniant ante hanc Collegij domum, ut funeris ceremoniæ piè seruentur. Ipse & moribus pijs præditus fuit, & decreuerat Ecclesiæ Dei seruire hoc curriculo

studiorum

ſtudiorum abſoluto. Tales eripi nobis commilitones, profecto dolendum eſt. Quare cum dixerit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ego ſum uitis, uos palmites &c. Oremus, ut nos palmites ſuos ſeruet, & regat, ac faciat nos idoneos, & ſalutares miniſtros, ſeruet libros Propheticos & Apoſtolicos, & eorum interpretes & diſcipulos, ne lumen ſalutaris doctrinæ extinguatur. Hæc in his funeribus cogitanda ſunt, ac ſimul commonefacienda mens eſt de futuro iudicio, & de beneficijs præſentibus, ac æternis filij Dei. Modeſtè igitur intereſſe his cæremonijs decet, quibus etiam Angeli Dei interſunt, ut de Lazaro dicitur, animam eius geſtatam eſſe in ſinum Abrahæ ab Angelis. Die Simonis & Iudæ. Anno 1544.

PHILIPPVS MELANTHON.

VERti poſtremam pagellam Ptolemæi de directionibus, ſed tanta breuitas eſt, ut ſine longiori declaratione nihil intelligi poßit. Eſt & ſuperior locus addendus περὶ τοῦ ἀφελικοῦ, de prorogatore, ut nos uertimus, aut de liberatore, ut Ioachimus uertit. Eſt enim opponendum nomen ἀφετικὸν nomini interfectoris,

interfectoris, quem uocat ἀναιρετικόν. Quia uerò hæc pars longiore enarratione indiget quam nobis promiſerunt artifices, curabimus, ut explicata edatur. Interim ut adoleſcentes inuitentur ad Phyſicen, & alias Philoſophiæ partes, rurſus incipiam enarrationem Quadripartiti, ac proximo die Veneris inchoabo præfationem primi libri. Interea ſcholaſtici, qui codices non habent, & hæc ſtudia amant, libros emant.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR.

ADmoneant nos multæ, & magnæ calamitates, tantæ regnorũ ruinæ, bella, uaſtationes, diſſipationes gentium, & ingentes ſingulorum miſeriæ: Deum uerè iraſci noſtris ſceleribus. Sed unum omnium grauiſſimum teſtimonium eſt, quòd ira Dei placari non potuit, niſi filius fieret uictima. Hoc mirandum Dei conſilium qui aliqua ex parte conſiderant, diſcunt, non eſſe rem leuem, aut ludum, contra mandata Dei petulanter ruere. Ideo clamitamus aſſiduè de diſciplina, & de modeſtia, & uos adhortamur, ut mores regatis, ne ſanguis filij Dei furoribus noſtris conculcetur. Hæc profecto

ſerio & pio ſtudio monemus, & uos obtempe=
rare iuſtum eſt, non nobis, ſed Deo. Non enim
ambitione priuata quicquam in hac gubernatio=
ne agimus. Sed detrectauit autoritatem Iuriſdi=
ctionis noſtræ quidam N. Hunc enim cum mode=
rata pœna caſtigaturi eſſemus, uidelicet, ut pau=
cis diebus in carcere eſſet: excitauerat enim tu=
multus inter honeſtos ſodales, & quidem con=
terraneos: negauit ſe hanc pœnam ſubiturum
eſſe, & comminationem Relegationis aſpernatus
eſt. Non eſt autem alius neruus noſtræ Iuriſdi=
ctionis, quàm hæc miſsio, ut olim erat militum
exautoratio, imo ut fuit initio in Eccleſia ſepa=
ratio. Quare ut neruum noſtræ Iurisdictionis
defendamus, & contumaciam publico exemplo
puniamus, ſignificamus omnibus, noſtro decre=
to relegatum eſſe. N. quinquennium, & admoni=
ti cæteri hoc exemplo, modeſtiam, iuſticiam, &
tranquillitatem communem magis ament, &
meminerint ſcholas à Deo inſtitutas eſſe, & par=
tem eſſe Eccleſiæ Chriſti, quam certè uereri, &
uenerari, iuſtum eſt. Quare & ſcholaſticam Iu=
riſdictionem uereantur, nec putent decus eſſe
petulantiam, & feritatem Cyclopicam, & con=
temptum Magiſtratuum. Non nobis tantum, ſed
Deo, Eccleſiæ, nobis, & toti ſocietati communi
uiuimus

uiuimus. Benefactis nostris iuuamus communem salutem, Malefactis cumulamus publicas miserias. Harum causarum cogitatio nos ad moderationem morum, ad disciplinæ amorem, & ad studium tranquillitatis publicæ hortetur, & flectat.

Significamus item propter similem contumaciam relegatum esse quinquennium. N. Die 6. Nouembris. Anno 1544.

PHILIPPVS MELANTHON.

SAepè auditis difficilem esse doctrinam Ecclesiæ, quia de multis rebus, in hac caligine humanarum mentium, aliud est iudicium nostræ rationis, aliud Dei, ut de essentia Dei, de magnitudine peccati, de placanda ira Dei, de iustitia. Patefecit igitur Deus suam sententiam, & uult doctrinam in Ecclesia, in templis, & scholis propagari incorruptã, & hanc ipsam ob causam seruat ministerium Euangelij, id est, templorum & scholarum studia, & addit donum interpretationis, sed id est tantũ penes eos, qui fontes sæpè legunt, relegunt, conferunt, expendunt, & qui pietatis exercitia addunt. Est autem perdifficilis

Epistola ad Romanos, ut semper iudicatum est. Ideo sæpè legenda est, ac præsertim, cum homines fascinati persuasione sapientiæ, ualde execrentur dictum Pauli: Fide iustificamur. Aduersus hos confirmandi sunt animi. Iterum igitur Deo iuuante enarrabo Epistolam Pauli ad Romanos. Die 22. Nouembris. Anno 1544.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR.

CVm necessarium sit officium, & debitum Ecclesiæ, & Deo gratum iuuare pauperes scholasticos: Illustrissimi Principis ducis Saxoniæ Electoris &c. uoluntas laudanda est, qui etiamsi non omnibus, qui petunt, multis tamen stipendia attribuit, ac Deus æternus pater Domini nostri Iesu Christi orandus est, ut has politias seruet, & pia studia defendat. Mandata est autem nobis inspectio, ut rectè collocetur hoc beneficium. Ideo mandamus omnibus, quibus nunc recens stipendia attributa sunt, ut conueniant hodie hora duodecima in domo Academiæ, in qua est auditorium Iuris consultorum, ubi de ordine examinis deliberabitur, ut postea singulorum studia rectius institui possint. Calendis Decembris.

Rector

ANNO 1544.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR.

SCriptum est Deuter.30.de Deo.Ipse est uita tua & longitudo dierum tuorum. Credamus igitur Deum esse & custodem uitæ nostræ,& Ecclesiæ,& ab eo petamus,ut iuuentutem incolumem seruet, & regat studia propter Ecclesiæ militiam. Etsi autem hi,qui in inuocatione filij Dei decedunt, non sunt miseri : tamen nos doleamus,bona ingenia extingui. Italia & Gallia nobis aliquot eripuerunt præditos excellentibus ingenijs, Iohannem Conricium: Vuolfgangum ab Einsidel : & recens Valerium Cordum,qui si uixissent,tum præsidio,tum ornamento patriæ fuissent. Cordus quidem magnam naturæ partem adhuc ignotam eruissет,ac patefecisset. Talium interitus profecto à bonis omnibus deplorandus est. Decessit autem & heri adolescens natus in monte Mariano,Hieronimus Hossel, cuius ingenium & mores laudari audimus. Huic funus fiet hodie hora 12. Quare adhortamur scholasticos,ut conueniant in foro ante ædes Martini Cronapel,ut piæ funeris ceremoniæ seruentur,in quibus,& de causis mortis,& de filio Dei cogitemus, qui ideo assumpsit humanam

naturam, ut uitam nobis redderet, & petamus, ut Deus scholasticos tanquam milites suos seruet, ac regat, Quia certè opus est Ecclesiæ doctrinæ propagatoribus, ut scriptum est, Non mortui laudabunt te Domine. Die Brumæ.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS THEOLOGICAE.

HOminum cœtus, ubicunq; sunt sine uero Euangelij ministerio, etiamsi florent ingenijs, & opibus: tamen sunt ut nauigia, quæ nullis gubernatoribus reguntur, imo uariè iactantur fluctibus, & passim in scopulos allisa euertuntur. Sic illi cœtus sunt sine custode Deo, & uariè turbantur à diabolo, & in magnis periculis, nec consilium, nec auxilium à Deo expectant. Hanc agnoscamus miseriam generis humani, & contrà ingens beneficium Dei amplectamur, qui se patefecit, ministerium Euangelij instituit, ac seruat. Ac testatur se in eo cœtu habitaturum esse, ubi sonat uox Euangelij. Hic cœtus, caput, custodem, gubernatorem, & opitulatorem Deum habet, sicut Christus inquit: Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem

mansionem apud eum faciemus. Amemus igitur & ueneremur ministerium Euangelij. Ad id autem & scholæ pertinent, in quibus doctrina Prophetica, & Apostolica enarratur, ut semper Ecclesijs fuerunt adiunctæ scholæ, ut homines docti testes essent & propagatores ueræ sententiæ. Quare exercitia & testimonia scholastica non sunt abolenda. Hortamur igitur omnes Academiæ ordines, & auditores, ut die 18. Decembris conueniant in templo Arcis, ubi decernetur gradus Doctorum Theologiæ duobus uiris eruditis, honestis, & pijs: Domino Georgio Maiori Noribergensi, qui nunc Academiæ Rector est, & Magistro Ioanni Faberio Monacensi. Decet enim hæc nostra Testimonia esse publica. Et congressu ideo sint frequentiores, ut uota & preces ibi coniungamus, ac simul Deum oremus, ut ministerium Euangelij seruet, & defendat, & regat studia, ac tueatur Politias, quæ sunt hospitia Ecclesiæ, & scholarum, nec sinat fieri politias nostras similes Ethnicarum, in quibus extincta luce Dei, grassabantur diaboli.

Hæc serio, & magno animorum motu cogitanda sunt, quotics in publicos congressus ueniamus, & accendenda sunt corda ad ueram inuocationem, & ad honesta officia, ut

Deus non abijciat nos, ſed adſit nobis, regat & ſeruet nos. Die 24. Decemb. Anno 1544.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR THEOLOGIAE DOCTOR.

NOndum omnes ad ſtipendia huc miſſi examinati ſunt. Conueniant igitur illi, qui nondum auditi ſunt, hodie hora 12. ad Academiæ domum, in qua eſt auditorium Iuris conſultorum. Neceſſe eſt enim Illuſtriſſimo Principi nomina mitti ſingulorum, qui iudicio noſtro probati ſunt. Deinde & ipſi tempore mercatus Lipſici in Aula, cum adferent noſtra Teſtimonia, accipient ſtipendia. Quare examinati petant à Rectore teſtimonia, & modeſti, & pij adoleſcentes commonefacti hoc beneficio ardentibus uotis petant à Deo, ut Eccleſiam ſuam, has politias, & ſcholas defendat, & regat. Ita hoc beneficium certius & durabilius erit. 14. Decembris. Anno 1544.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR D.

Sæpè

ANNO 1544.

SAEpè dicimus, & semper inculcandum est, singens, & inenarrabile Dei beneficium esse, quòd non solum condidit nos, sed prodijt ipse ex arcana sua sede, se patefecit sua uoce, certis & non fallentibus testimonijs, ut uerè statuamus, nos Deo curæ esse, respici, exaudiri, & iuuari. Longè autem euidentißimum est omnium testimoniorum, quòd filius Dei coæternus patri, humanam naturam assumpsit, ac resuscitatione mortuorum ostendit, hæc uera esse. Accendamur ergo tanti beneficij cogitatione, agamus Deo gratias, excitemus fidem, & inuocationem. Ita aliqua ex parte magnitudinem tantæ rei æstimabimus. Deus æternus pater domini nostri Iesu Christi clamat: Osculamini filium, id est, uenientem ad uos filiũ Dei, & offerentem salutem, excipite amanter, nõ odijs, non scandalis, non contemptu offendite. Credamus hanc concionem esse ueram Dei uocem, & ei obtemperemus, & ingenti beneficio Dei, quòd filium nobis misit, lætemur. Vult autem Deus hanc suam uoluntatem ministerio Euangelij semper & ubiq; propagari, ideo uult honore affici ministerium Euangelicum. Quare mandamus omnibus, & singulis scholasticis, ut cras ad Aram ante concionem afferant sua munera, ut declarent suam beneuo-

lentiam erga Euangelij ministros, & populum inuitent ad ministerij reuerentiam. Tota Ecclesia in cœlis, & in terra, angeli Deo cari, & homines pij, lætantur cogitatione beneficij Dei, & celebrant copulationem diuinæ & humanæ naturæ. Cum his unà mentes nostræ, & mores Deo canant laudes, & gratias agant. Da Iesu Christe fili Dei, nate ex uirgine Maria, ut accendatur in nobis cogitatio tanti beneficij, & ut studijs nostris, & bonis moribus ornemus Euangelium.

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA ANNO A NATALI CHRISTI. 1545.

RECTOR ACADEMIAE GEORGIVS MAIOR D.

FIrma sit nobis hæc consolatio in tantis imperiorũ tumultibus, quòd toties promittit Deus Ecclesiam suam non interituram esse, imo de his ultimis temporibus inquit: Ego senescentem gestabo, ego feram, ego saluabo. Hæc spe statuamus, futuram esse posteritatem, hæc nostra studia colentem. Hac spe nos doctrinæ possessionem

possessionem tueamur. Hac spe Illustrissimus Princeps dux Saxoniæ Elector &c. stipendia constituit magno numero pauperũ scholasticorum, ut posteritati prospiciatur. Etsi autem antea putabamus, Torgam esse eundum ijs, quibus decreta sunt stipendia: tamen nunc acceptis literis ex Aula significamus, Quæstorem præfecturæ Vuitebergensis, in arce huius urbis numeraturum esse stipendia. Significabimus autem & diem. Interim & hoc monemus, ut singuli, qui præceptores habent, simul eos, cum stipendia dantur, adducant. Id Illustrissimus Princeps ipse monuit, ne pecuniam temerè dissipent adolescentes. Hortamur autem omnes scholasticos, ut Deo gratias agant, quòd aliqui Principes ueram Dei notitiam, et honestas artes ad posteritatem propagare student, & ardentibus uotis petant, ut Deus æternus pater Domini nostri Iesu Christi, hæc pia consilia adiuuet, & Illustrissimum Principem, & has politias defendat. Exemplum Illustrissimi Principis ornat Euangelium. Decet autem nostram diligentiam respondere optimæ uoluntati Illustrissimi Principis, qui uult nos quoq; modestia & cura discendi ornare Enangelium. Bene ualete. Die 3. Ianuarij.

Anno 1545.

Decanus.

ANNO 1545.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM M. IOHANNES DVRSTENIVS.

HOc die ante annos 1514. baptiſatus eſt in Iordane dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei, cuius diei memoria ſemper obuerſari oculis ac mentibus noſtris debet. Tunc enim Synodus fuit omnium, quæ unquam fuerunt, auguſtißima, in qua ſe claro diſcrimine patefecerunt, æternus pater, filius imago patris, & Spiritus ſanctus. Et auditores ac ſpectatores fuerunt huius admirandæ patefactionis, Baptiſta, Maria, & alij plures. Nec ad illos tantum hæc Synodus pertinuit, ſed nobis, & uniuerſæ Eccleſiæ concionatur, nobis doctrina traditur, quæ in omni inuocatione cogitanda eſt, ut ſciungamus noſtram inuocationem ab ignaris Euangelij, & hunc ipſum Deum inuocemus, qui ibi ſe patefecit. Nobis teſtimonium proponitur, quòd uerè Deus curet, exaudiat, iuuet Eccleſiam, nos recipiat. Hîc etiam de Baptiſmo docemur, quòd uerè Deus recipiat propter filium eos, qui baptiſantur, & Spiritu ſancto donet. Deniq; huius hodiernæ ſynodi doctrina exhauriri non poteſt, ſed pij toto die circumferant eius cogitationem, hac

patefactio=

patefactione fidem accendant & confirment, & gratias agant ardenti pectore pro hoc tanto beneficio, quòd Deus sese nobis ostendit. Harum tantarum rerum memoriam literæ seruant, & hæc nostra scholastica militia ad earum explicationem diuinitus instituta est. Et profecto Deus postulat à nobis diligentiam in discendo, & modestiam in uita. Vt autem diligentia exploretur, bono consilio gradus instituti sunt. Quare eos tuendos esse censemus, ac si qui nunc expetunt Magisterij Philosophici gradum, ad me intra octiduum ueniant, ac nomina dent, sicut usitatum est, ut institui examina possint, in quibus & de multis alijs bonis rebus, & de hac ipsa synodo diuinitatis & Baptistæ, multa disseremus.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR D.

IN quadam Prophetica concione Deus inquit, seruaturum se reliquias Ecclesiæ, ut si Pastor è faucibus leonis dilaceratæ ouis duo crura eripiat. Etsi igitur magnæ mutationes generis humani impendent, tamen speremus Deum reliquias Ecclesiæ seruaturum esse. Et hac spe studia doctrinæ colamus, & sciamus Deo in hac sanctissi-

sanctißima militia seruiendum esse. Hac spe etiam principes fouere, & ornare Ecclesias, & excitare studia decet. Nec dubium est, Deo gratum officium esse eorum principum, qui liberalitate sua discentes iuuant. Cum autem hactenus delecti sint aliqui pauperes scholastici ad stipendia, nunc significamus eis, pecuniam ab aula huc missam esse, & Quæstorem in Arce hodie hora 12. quod faustum ac fœlix sit, inchoaturum esse distributionem. Veniant igitur in uestibulum Arcis ea hora delecti illi: & quorum ætas imbecillior est, adducant priuatos præceptores. Nam pecunia non imperitæ adolescentiæ, sed fidis gubernatoribus committenda est. Hortamur autem primum hunc cœtum, qui beneficia accipit, ut meminerit, se ab Ecclesia Dei accipere, quæ non uult alere ociosos gladiatores, quales olim Romani principes alebant homines feros, et inquietos, & uariè ciuitatis disciplinam, & tranquillitatem turbantes: Sed modestos adolescentes ad agnitionem Dei adsuefacere uult, & excolere doctrina, ut sint custodes Euangelij. Magnum profecto munus, & omnium in cœlo, & in terra maximum sustinetis, Euangelij explicationem, ad quod necesse est accedere timorem Dei, & ardentem inuocationem: Sint igitur hi delecti modesti,

modesti, & maiori cura discant literas, & Deum orent, ut seruet Ecclesiam & politias, quarum beneficio fruuntur. Deinde prohibemus omnibus scholasticis nocturnas uociferationes, & tumultus. Nec concedimus, ut conuiuia apparent, adquæ ex alijs familijs sodales, aut puellas uocent. Præcipimus item, ne laruati discurrant in plateis, nec irrumpant in alienas domos, aut mussitantes ludum exerceant. Profecto illis, qui se ciues Ecclesiæ Christi perhiberi uolunt, nequaquam conuenit imitari bachanalia, aut lupercos Ethnicorum, quorum furores certum est à diabolo ortos esse. Coherrescere igitur debemus cogitatione Tyrannidis diaboli, qui in illis ludis, & Deum & genus humanum contumelia afficiebat, nec una cum exemplo societas dæmonum inuitanda est.

IN ELECTRAM SOPHOCLIS.

Laudat uenales, inquiunt, qui uult extrudere merces. At mihi inuitaturo auditores, non est opus apud eos, qui Aiacem audiuerunt, longis encomijs prædicare Tragœdias, sua sponte arbitror ingenioſos flagrare cupiditate discendi reliquas Sophoclis fabulas. Tanta est enim

enim ſermonum grauitas, tam mirandæ imagines uitæ in Sophocle & Euripide, ut nulla humanæ ſcripta quiſquam malit legere. Nulla uitæ pars eſt, cuius nõ imago aliqua hîc proponatur. Oſtenditur ingens infirmitas hominum, & monſtrantur cauſæ calamitatum, & admonemur, ut immoderatos impetus frenemus, ac diligentia & conſilio reprimamus.

Indulget iræ uir excellens alioqui ingenij & animi præſtantia Aiax, ſed uictus dolore iniuriæ ſibi mortem conſciſcit. Iam uero quàm infirma, & fragilis eſt humana uirtus? Vnus Aiax antea totum exercitum texerat, quo facto, quid poteſt cogitari pulchrius, & glorioſius? nunc uincitur ſtulto dolore acceptæ leuis iniuriæ.

Deinde ſequens fabula Electra, quàm triſtia exempla recenſet pœnarum adulterij? Vna domus parricidijs tribus polluta eſt. Agamemnonem coniunx & frater patruelis: Deinde matrem, & Adulterum Oreſtes interfecit: Poſtea ſequuti ſunt furores & exilia Oreſtis, & patrij regni perturbationes.

Ita diabolus ex uno delicto longam telam ſcelerum & miſeriarum hominibus texit. Memineri-

mus

minerimus ergo hanc uocem, quæ quidem omnium Tragœdiarum unum & commune argumentum est: Discite iusticiam moniti, & non spernere diuos.

Non contemnantur initia lapsuum, quæ etiam cum parua existimantur, tamen magnas ruinas trahunt. Hæc doctrina in Tragœdijs considere-tur. Deinde exempla eloquentiæ nulla sunt splendidiora. Quare hæc lectio & propter hanc causam appetenda est, ut inde sumamus lumina & splendorem orationis. Incipiam autem proximè die Iouis enarrare Electram, in qua deliberatio mirifica est duarum personarum, quarum altera Tyrannis repugnandum esse censet: altera seruitutem modestè ferendam, nec, cum nihil proficias, irritandam esse fortunam, & cumulandas miserias.

Cum igitur tantoperè prosit moribus & orationi lectio Tragœdiarum, scholasticos adhortor, ut frequentes Sophoclem audiant, legant, relegant, & discant. 18. Ianuarij. Anno 1545.

PHILIPPVS MELANTHON.

AMamus Phocylidis carmen, & lectu dignum est. Sed multo pluris faciendum

est D. Ioachimi Camerarij carmen, quo & Decalogum, & summam Euangelij elegantißimè complexus est. Id carmen enarrare decreui post paucos dies, cumq; nunc exempla aliquot allata sint, hortor scholasticos, ut emant. Scio bonis, & studiosis ita iucundã fore & suauem huius poëmatis lectionem, ut etiam autori gratiam habituri sint, quòd scripsit, & meum consilium de enarratione probaturi sint. Talia scripta ornamento sunt Ecclesiæ, & propagationem doctrinæ adiuuant, & eruditos inuitant.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM M. IOHANNES DVRSTENIVS.

NOn solum præcipit Deus, ut custodiamus doctrinam, quam nobis tradidit, sed etiam addidit promißiones, domicilium sibi fore mentes studiosas, ut Christus inquit. Pater & ego ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Huic summo & optimo muneri, custodiendæ cœlesti doctrinæ seruiunt scholæ. Quare honesta exercitia scholarum amanda, iuuanda, & ornanda sunt. Cum igitur eras publicè exploraturi simus doctrinam eorum, qui

qui nunc gradum Magisterij petunt, rogamus doctißimos uiros, Doctores & Magistros, ut ad id examen ueniant, & ut collatione sententiarum forment aliquorum iudicia, & ostendant se his artibus fauere, quæ docentur à nostro Collegio, & accendant aliquorum studia. Omnibus magnis, & paruis officijs iuuanda, & flectenda sunt ingenia non monstrosa, ut ament doctrinam cœlestem, literas, leges, disciplinam, artes, & caueant, ne excutiant gubernatorem Deum. Miserrimum est enim excusso Deo accersere Diabolum, qui quorum mentes tenet captiuas, ita agitat eas, ut furentes ruant in Tragica mala. Discat igitur iuuentus frenare animos, & metuat Diaboli insidias, fugiat occasiones scelerum. Non enim de nihilo à ueteribus dictum est: Vitare peccata, est uitare occasiones peccatorum. Amemus modestiam, & disciplinam, cum politiæ inijciant frenos petulantiæ aliquorum, ut mandatum diuinum præcipit: & grauißimè inquit Demosthenes, Nihil ualere ciuitatem, quæ non habet neruos aduersus petulantes. Verba Demosthenis hæc sunt. Οὐδέν ὄφελος πόλεως ἥτις μὴ νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἔχει.

ANNO 1545.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS LIBERALIVM ARTIVM M. IOHANNES DVRSTENIVS.

SEmper in conſpectu ſit bonis & ſtudioſis ſententia Pauli de miniſterio Euangelij tradita Epheſios 4. ubi affirmat Paulus, lucem doctrinæ nõ tantum humana diligentia, ſed præcipuè Dei ope ſeruari, & cauſam addit, ſæpè, multumq;, & attentè cogitandã, ne uelut iactati procellis circumferamur omni uento doctrinæ, ſed ut regamur unica, uera, & immota ſapientia, quã Deus tradidit. Sunt autem ſcholæ pars miniſterij Euangelici, & curam ſuſtinent cuſtodiendæ & propagandæ doctrinæ, quo munere reuera nullum in terra maius eſt, ac ſeruiunt explicationi Euangelij, linguarum & Hiſtoriarum notitia, annorum ratio, Dialectica, & naturæ conſideratio. Idco tueamur ſcholas, & omnibus officijs, magnis & paruis eas ornemus. Quare & legibus earum obtemperemus, inter quas ſunt ritus examinum, & graduum. Et cum tertio die Februarij proximo decernendus ſit gradus Magiſterij, auditoribus noſtris, aliquot honeſtis & doctis uiris, quorum nomina hîc adſcripta ſunt:

Petimus,

petimus, ut omnium ordinum Doctores, Magistri, & scholastici ad eius gradus renunciationem conueniant. Si qui uerò contemnunt hos ritus scholarum, hi Herodoti uoce grauissima admoniti, modestius iudicent, sic enim inquit. Οὐκ οὖν εἰκός ἐστι ἄλογε ἤ μαινόμενον ἔνδρα γελῶντα τοὺς νόμους τίθεσθαι, id est, Non igitur consentaneum est aliter affectum nisi furentem, delectari legum derisione, easq; ludibrio habere. Obtestamur autẽ omnes sanos propter Deum, qui suam doctrinam Ecclesiæ tuendam commendauit, ut scholas ament, & lætentur, de his nostris scholasticis operis dictum esse: Non est labor uester inanis propter Dominum.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR D.

Nostra sedulitas nõ defuit, nec deest captiuo scholastico, sed uoluntatem Principis magis exacerbabunt scripta seditiosa, quæ aliquoties iam sine nomine proposita sunt, & stolidi tumultus quorundam, qui noctu quietem ciuitatis turbant. Vtraq; res indigna est bonis & honestis, proponere seditiosa scripta, & quidem ἀδέσποτα, & noctu tumultuari.

Multum errant, si qui putant se calamitatem captiui his modis mitigaturos esse, sibi potius pericula accersunt. Nam si deprehenderentur illi, qui proponunt ista seditionum classica, capitali supplicio adficerentur, & nos ipsi, & omnes honesti & fortes uiri corpora sua seditiosè tumultuantibus opponent. Quisquis es igitur, qui heri seditiosum scriptum sine Epigrapha proposuisti, scito te contumeliosis, & seditiosis scriptis non effracturum esse carcerem. Illud etiam ridiculum erat, citare exemplum Lutetiæ. Si multitudo ibi potest opem ferre captiuis, cur non liberauit homines innocentes, & pios, qui propter Euangelij confessionem iniustis & horrendis supplicijs adfecti sunt? At in hac urbe lenitate plus, quàm asperitate peccatur. Nunc Deus æternus pater domini nostri Iesu Christi, ut aliquo exemplo ostendat sibi displicere iuuentutis petulantiam, & plurimorum securitatem, qui inconcessis uoluptatibus indulgent: unum aliquem rapuit ad pœnam. Hîc expauescere nos iudicij diuini metu decebat. Nam pœnæ publicæ non accidunt casu. Non decet furenter & seditiosè aduersus Magistratus tumultuari. Et quæ stultitia est, cum nihil proficias, tibi tantum pericula accersere?

Schola

Shola sit uelut Ecclesia, cœtus tranquillus, modestus, cogitans de uoluntate Dei, & de honestis officijs, non sit Bacchantium, aut latrocinantium turba. Mementote Christi fulmen, quod in seditiosos torquet, & quidem dictum uiro modestißimo, in causa optima, sed quem pugnare nolebat: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Nec putate Illustrißimum Principem defuturum suo officio, sic seditiosorum furore irritatus intelliget seueritate opus esse.

Nos igitur autoritate, quam Deus attribuit Magistratui, præcipimus omnibus scholasticis, ut sint modesti, nec turbent tranquillitatem ciuitatis illis seditiosis scriptis, aut exemplis. Scimus magnam partem scholastici agminis sua sponte improbare & uitare hos furores turbantium tranquillitatem. Si quid autem alij contumaces contra hoc edictum facient, hos Deus puniet, & reprimet, cũ sit custos politici ordinis, sicut scriptum est. Qui potestati resistunt, iudicium sibi acquirent. Et nos, & reliqui Magistratus Deo iuuante, tranquillitatem ciuitatis tuebimur.

LECTORI SALVTEM.

Didicerat Alexander, regi ac uariari hanc inferiorem naturam, motu & uiribus cœlestium orbium, & mirificam es-

ſe copulationem, ſocietatem, & cognationem ſuperiorum, & inferiorum corporum. Quare inceßit eum cupiditas cognoſcendi motus cœleſtes. Cumq; primos orbium Typos didiciſſet, ac iam ad demonſtrationem uentum eſſet, cur motus in Apogeo tardior ſit, quàm è regione: hîc hæſit ut in luto, & ignarus Geometriæ, illas angulorum collationes perſpicere nõ potuit. Inquit igitur Magiſtro, Doce me facilia: Reſpondet artifex ſapienter, & grauiter: Hæc eadem eſſe omnibus, & percipi, ſi ordinè diſcantur. Credo idem accidere multis, qui audiunt doctrinã de planetarum motibus, ac ſæpè tacitos flagitare, doce me facilia. Hi ſciant priùs Elementa Geometrica diſcenda eſſe, quod ſi facient, ordo perſpicuitatem adferet. Decreui igitur priores aliquot Euclidis libros explicare, quod eò ſignificandum eſſe duxi, ut ſi qui amore dulcißimè doctrinæ de motibus cœleſtibus, hæc Elementa à nobis audire uolent, ſciant meam operam ipſis non defuturam eſſe. Plato dixit duas alas humanæ menti additas eſſe, quibus in cœlũ ſubuehitur: Geometriam, & Arithmeticen. Quare ſine his artibus nemo ſperet ſe in cœlum aſcenſurum eſſe, etiamſi, uelut Gigantes, accumulet montes, & Caucaſo Alpes imponat. Sed mediocris cognitio Geometriæ, & Arithmetices,

Arithmetices, sistet te inter ipsa sydera, ut quasi coràm magnitudines & interualla passibus metiaris. Has igitur artes amate, & colite.

M. Ionas.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR D.

ETsi nihil est infirmius & fragilius humana natura: tamen hoc decus ingens & inenarrabile agnoscendum est, quòd Deus sibi æternam Ecclesiam colligit in genere humano, & huic semper attribuit sedem aliquam doctrinæ, seu scholam sonantem Euangelium, & alias honestas artes Ecclesiæ utiles. Si hanc Dei uoluntatem consideraremus, qui nos hoc modo ad æternam consuetudinem suam uocat: maiore studio, et Ecclesiam Dei, & scholarum domicilia uneraremur, ut certè fieri deberet. Sed semper Diabolus odio filij Dei excitat homines impios, ut pacem, studia, disciplinam Ecclesiæ & scholarum perturbet. Ita nunc nostræ politiæ, quæ qualis qualis est, tamen hospitium præbet Ecclesiæ Dei & studijs, ut olim uiduæ Sareptanæ casa erat hospitium Ecclesiæ Dei, insidiatur Diabolus, foris latrunculos instigat ad denuncianda

incendia & latrocinia, cum quidem constet magna beneficia ad multos ex hac ditione peruenire. Nunc talis gratia redditur.

Vt autem ciuitas intus tranquillior sit, primum mandamus seuerissimè, ne sint in Academia errones, qui rectori non dederunt nomen, neue quisquam recipiat ad se hospitem ignotum, neue scholastici Bombardas habeant, ac si quem habere Bombardam comperiemus, hunc notatum ignominia ex schola eijciemus. Sunt aliqui nimis multum sibi indulgentes, & ita uiuentes, ut sine ulla consideratione publici status, quocunq; cæci impetus rapiunt, sequantur. Hi sæpè tumultus mouent, & dici tamen honesti uolunt, clamitant se nihil facere, quod lædat famam. Quæ hæc noua sapientia est, cum petulantia sit manifesta: tamen qualicunq; prætextu, tumultus excusare? Bonus ciuis parcere debet publicæ tranquillitati, & suis eam officijs tueri, etiamsi leges non puniunt omnia delicta. Si quis in templo, ut in caupona, uociferaretur, non illum quidem leges ad supplicium raperent, sed si petulantia animaduerteretur, seueritate Magistratus duriter castigandus esset. Parcite igitur Ecclesiæ Dei, scholæ, tot senum, ac matronarum tranquillitati, imò oculos & iudicia Dei

inter

inter uos habitantis, piorum angelorum, & omnium honestorum hominum uereamini, & hac reuerentia cohibete impetus animorum, & mores diligentius regite. Nam haud dubiè Deus & ornabit præmijs obedientes, & contumaces puniet. Die tertio Martij.

M. PAVLVS EBERVS.

ARistoteles *dixit, hominum uitam longè minus ærumnosam fore, si artifices de artibus iudicarent. Nunc uidemus non solum indoctos, sed etiam sæpè hostes doctrinæ & uirtutis sibi iudicium de summis uitæ ornamentis sumere. Sed sæpè scholasticos uiri docti, quos longa ætas, usus, grauissimarum causarum explicationes erudiunt, monent, ut de artibus non illa barbarica iudicia, sed uitam ipsam hominum, imo ut Ecclesiam consulant. Necesse est omnes, si utcunq; ualetudinem suã, aut olim liberorum mediocriter regere uolent, aliquid doctrinæ physicæ tenere. Imo sæpè experimur ingentes morbos arceri, cum physica ratione initio occurrimus, qui cõfirmati nullis remedijs uinci possent Hæc utilitas etsi magna est: tamen fortasse minus mouet iuuenes, qui sunt in regenda ualetudine negligenti-*

negligentiores, qui quidem commonefaciendi sunt, non solum prodesse corpori diligentiam regendæ ualetudinis: sed etiam nutricem esse multarum magnarum uirtutum.

Deinde studiosi hoc cogitent, nunquam caruisse Ecclesiam Physica. Nam illi ipsi summi uiri, per quos initio propagatum est Euangelium, Abraham, Isaac, Iacob, Esaias, & alij multi, professione Physici & Medici fuerunt, longè antecellentes Hippocrati, Erasistrato, Diocli, & omnibus græcis, quorum tamen amplissima fuit eruditio, & qui reliquias artis utcunq; retinuerunt. Hæ nunc quoq; tuendæ sunt studiosis. Ac res ipsa ostendit, sine doctrina causarum, sine notitia partium, & uirium hominis, non posse perspicuè explicari doctrinam Ecclesiæ. Paulus inquit: Homines ueritatem captiuam tenere in iniustitia. Hîc discerni uires necesse est, discendum, in qua parte sit noticia legis, & quæ pars repugnet. Deniq; sæpè collatio physices, & sententiæ Ecclesiasticæ, lucem adfert rebus grauissimis. Non negant Stoici prouidentiã, adfirmant Deum adesse rebus: dicit idem Ecclesia, sed longè aliter. Stoicus Deus alligatus est secundis causis, & sidet rebus ut in carcere, fingitur non posse aliter mo-

ter mouere, nisi ut fert lex, seu ordo causarum secundarum, ut plærunq; humanæ mentes cogitant. At Ecclesia Dei scit Deum liberrimè præesse opificio suo, consilia salutaria inuocantibus monstrare, regere euentus, impedire conatus impiorum, imo sæpè & naturam rerum mutare propter utilitatem piorum, ac fouere uitam, etiam cum causæ secundæ languidiores sunt, quàm ut opem ferre possint, sicut dicitur: ipse est uita, & longitudo dierum tuorum. Hîc apparet collatione illustriorem fieri sententiam Ecclesiæ, idq; fit sæpe aliàs. Cum igitur multæ magnæ & graues causæ sint, cur Physica discenda sit, adhortor scholasticos, ut ad cætera utilia studia curam adiungant cognoscendi & hanc Philosophiæ partem. Cum autem mei officij sit, tradere initia seu Rudimenta, significandum uobis duxi, me proximo die Gregorij, Deo iuuante, inchoaturum esse Physicen, quam dictabo, atq; ita deinceps singulis Septimanis, biduum libro de Anima, & deinde biduum Physicis tribuemus, & operam dabimus, ut res uitæ, & moribus utiles, & cognitione dignas proponamus, non Democriti Atomos, aut alias præstigias uerborum. Oremus autem Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi, ut pacem, & tranquillitatem

Reipublicæ

Reipublicæ largiatur, ut ſtudia ueræ doctrinæ coli poßint. Bene ualete.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR D.

HEri deceßit ex hac uita uir honeſtus, & doctus M. Hermannus Mulpfort, qui cum ſe Medicæ arti dedidiſſet, ægrotis ſæpè fideliter opitulatus eſt, & ciuis fuit in omni officij genere diligens, & inculpatus. Quare hortamur omnium ordinum in Academia profeſſores, & ſcholaſticos, ut ad funus eius hodie hora quarta conueniant, ne piæ funerum ceremoniæ negligantur, & ut in his congreßibus ſinguli ſuam uitam Deo commendent, de uitæ, & mortis cauſis cogitent, & petant à Deo, ut ſeruet, ac iuuet bona ingenia, ut poſteritas habeat honeſtos & ſalutares gubernatores. Hac cura adfici nos Deus iußit. Cumq; ſciatis hoc anno multos nobis ereptos uiros doctos, & honeſtos, qui utiliter ſeruierunt Eccleſiæ & Reipublicæ, Georgium Spalatinum, Georgium Forchemium, cuius prudentia & uirtus multipliciter profuit Eccleſiæ Dei, & alibi alios, ardentius petamus ut Deus ſeminaria fœlicia ſeruet, ne lux doctrinæ extinguatur,

guatur, neue disciplina magis dissoluta, effera barbaries morum sequatur, quæ mala sequentur ruinæ imperiorum: sed ut inter nos maneant reliquiæ Ecclesiæ Dei, donec illuxerit lætissimus dies, quo resuscitabit mortuos Christus, Triumphum aget, & ornabit omnes gloria, qui ipsum uerè inuocauerunt, quo die, ut scriptum est, docti, ut stellæ, fulgebunt. Qua spe nos quoq; consolemur. 10. Martij.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM M. IOHANNES DVRSTENIVS.

IDeo hi pulcherrimi congressus in diebus festis instituti sunt, ut testimonia consideremus, in quibus se Deus patefecit humano generi, & horum confirmati cogitatione, uerè eum inuocemus, & colamus. Vt patefecit se Deus ducens populum per stantes aquas, item cum legem clara uoce edidit de monte Sinai: Ita patefecit se his diebus, cum excitauit Lazarum, & hoc ipso die, cum ingressus est Hierosolymam, multos in templo sanauit manefestis miraculis. Horum testimoniorum cogitatio in nobis accendat inuocationem, & alios pios motus, ac moneat, ut nos quoq; Christum excipiamus frondibus palmarũ & olea-

& olearum, id est, ut agnoscamus eum esse uic-
torem, leuantem miserias humani generis, &
autorem pacis. Et ut frondibus palmarum &
olearum, id est, ueris laudibus eum ornare possi-
mus, studia literarum ardentius colamus. Nam
cum singulari consilio Deus hanc doctrinam de
rebus æternis mandauerit literis, cognoscere li-
teras necesse est, & multarum rerum cognitio-
ne opus est, ad intelligenda prophetica, & Apo-
stolica scripta. Non quid Pasca, quid Hosianna,
quid palmæ, quid Oleæ significent, sine literis
sciri potest.

Erat consuetudo in deditione, & in Trium-
phis, prodeuntes obuiam Regibus gestare pal-
mas, quæ uictoriæ laudem Triumphanti tribue-
bant. Frondes uerò Oleæ petitionem pacis signi-
ficabant. Amemus igitur literas, quæ lumen ad-
dunt etiam his historijs Ecclesiæ. Adiungamus
nos ad eum cœtũ, de quo hodie Christus inquit:
Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti lau-
dem. Oremus Deum, ut faciat nos organa salu-
taria, Christum uerè celebrantia, quod cum sine
eruditione fieri non possit, etiam hæc nostra stu-
dia colamus ardentius.

Cum autem hoc tempore quidam gradum
Magisterij

Magisterij petant, & nos officij ratione moueamur, ut eos ad gradum admissuri simus, duxi hoc publicè significandum esse, ut si qui honesti & studiosi se illis adiuncturi sunt, nobis consilium suum exponant. Velim autem eos intra triduum ad me accedere.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR D.

ANnus hic est. 3054. à primo Pascate, quod Deus & instituit, educturus populum ex Aegypto, & celebrauit ipse noctu in transitu suo, interficiens Aegyptiorũ primogenitos, & seruans Israelitas, quorum limen conspersum erat sanguine Agni. Tot annos continuos usq; ad hunc diem seruauit Deus & Ecclesiam suam, & doctrinam, & hos ipsos ritus. Quare gratias ei agamus, quòd et se patefecit in Pascate, et filium pro nobis uoluit esse uictimam, & Ecclesiam hactenus seruauit, & causas tantarum rerum attenti consideremus. Nec disiungamus nos ab Ecclesia tot annorum 3054. sed cum ea, Pascha ueris officijs celebremus, quæ quidem nunc in cœlo ingentia, & inenarrabilia Dei beneficia hoc tempore exhibita recensent, & Deo

& olearum, id est, ut agnoscamus eum esse uictorem, leuantem miserias humani generis, & autorem pacis. Et ut frondibus palmarum & olearum, id est, ueris laudibus eum ornare possimus, studia literarum ardentius colamus. Nam cum singulari consilio Deus hanc doctrinam de rebus æternis mandauerit literis, cognoscere literas necesse est, & multarum rerum cognitione opus est, ad intelligenda prophetica, & Apostolica scripta. Non quid Pasca, quid Hosianna, quid palmæ, quid Oleæ significent, sine literis sciri potest.

Erat consuetudo in deditione, & in Triumphis, prodeuntes obuiam Regibus gestare palmas, quæ uictoriæ laudem Triumphanti tribuebant. Frondes uerò Oleæ petitionem pacis significabant. Amemus igitur literas, quæ lumen addunt etiam his historijs Ecclesiæ. Adiungamus nos ad eum cœtũ, de quo hodie Christus inquit: Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem. Oremus Deum, ut faciat nos organa salutaria, Christum uerè celebrantia, quod cum sine eruditione fieri non possit, etiam hæc nostra studia colamus ardentius.

Cum autem hoc tempore quidam gradum Magisterij

Magisterij petant, & nos officij ratione moueamur, ut eos ad gradum admissuri simus, duxi hoc publicè significandum esse, ut si qui honesti & studiosi se illis adiuncturi sunt, nobis consilium suum exponant. Velim autem eos intra triduum ad me accedere.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR D.

ANnus hic est. 3054. à primo Pascate, quod Deus & instituit, educturus populum ex Aegypto, & celebrauit ipse noctu in transitu suo, interficiens Aegyptiorũ primogenitos, & seruans Israelitas, quorum limen conspersum erat sanguine Agni. Tot annos continuos usq; ad hunc diem seruauit Deus & Ecclesiam suam, & doctrinam, & hos ipsos ritus. Quare gratias ei agamus, quòd et se patefecit in Pascate, et filium pro nobis uoluit esse uictimam, & Ecclesiam hactenus seruauit, & causas tantarum rerum attenti consideremus. Nec disiungamus nos ab Ecclesia tot annorum 3054. sed cum ea, Pasca ueris officijs celebremus, quæ quidem nunc in cœlo ingentia, & inenarrabilia Dei beneficia hoc tempore exhibita recensẽt, & Deo

gratias agit. Et consentaneum est, quod multi scripserunt, etiam ante exitum ex Aegypto, insigne hoc tempus pascatos fuisse nece Abel, & oblatione Isaac. Si qui igitur his diebus indulgent uoluptatibus, nec cura aut cogitatione maximarum rerum adficiuntur, quas Ecclesia proponit, ac Deo gratias agunt pro donato filio, nec petunt reconciliationem propter hanc uictimam, nec accenduntur ad inuocationem: atrociter peccant, nec sunt socij cœtus Ecclesiæ, sed sunt Thiasotæ diabolorum, ludeorum, ludæ. Expaucscant igitur pij, & cogitent, quo in cœtu esse uelint, sint modesti, ac dediti cogitationi de nostris miserijs, & de liberatione donata propter filium, accendant lectione prophetica hanc curam, & inuocationem. Profecto pœnæ impendent, quæ nos ad diligentiam hortentur. Deus tantum laboris suscepit, ut his diebus peragraret Aegyptum, adesset filio in passione, filius agonas ingentes aliquot diebus sustinuit, adfuerunt simul occupati & pij angeli, secuta Maria mater, ut testis esset passionis filij. Cur nos piget aliquot horas tribuere lectioni, & auscultationi? Terra contremiscit, saxa debiscunt, Sol obscuratur, denique tota rerum natura mouetur huius spectaculi magnitudine. Indignissimum autem fuerit, nec

nos mo-

nos moueri, propter quorum salutem hæc Christus sustinet, & agit. Obtestamur igitur uos omnes, ut uera pietate hos festos dies celebretis. Die uerò Resurrectionis etiam cogitetis, quàm mirandi congressus fuerint Christi & aliorum plurimorum, qui resuscitati sunt, & quàm dulcia horum colloquia cum Maria, & Apostolis. Mandamus autem, ut studium uestrum erga Ecclesiam declaretis collatione muneris ad Aram usitata, die Pascatos.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR D.

AGimus tibi gratias æterne pater domini nostri Iesu Christi, quòd literarum studia in hac Academia & accendisti, & foues, ac mediocrem hactenus tranquillitatem ad ea colenda dedisti, cum quidem omnia regna totius Europæ ingentibus tumultibus interea quassata sint: Et ardentibus uotis precamur, ut deinceps & Ecclesias harum regionum, & politias gubernes, et defendas. Crescunt enim pericula propter Turcicos successus, & propter Regum aliorũ sæuiciam. Recens in Italia, Gallia, & Belgico multi uirtute præstantes propter studiũ piæ doctrinæ interfecti sunt. Oremus igitur Deum,

ut furores diaboli reprimat, & cum alios pios, tum uerò has Ecclesias, unde studia piæ doctrinæ propagantur, defendat. Nam humanæ uires superantur magnitudine periculorũ. Sed Deus promisit, se etiam senescentem Ecclesiam gestaturum esse. Moueamur igitur & nostrorum periculorum metu, & publicarum miseriarum sensu, & auxilium à Deo petamus, & caueamus, ne morum turpitudine pœnas cumulemus. Ac duplex cura necessaria est, altera ut eruditione pectora instruantur, altera, ut mores honestè regantur. Etsi autem nota est nobis infirmitas nostra, tamen & studijs uestris prodest docentium labor, & Magistratus honesta uobis præcipiunt, & quantum possumus, petulantiam cohercere conamur. Ideo & leges Academiæ hodie hora 12. publicè in auditorio recitari curabimus, ad quam recitationem ut scholastici omnes conueniant, præcipimus. Est autem Dei opus, fœlix gubernatio. Ideo precor, ut Deus & studia discentium gubernet, & accendat in mentibus uestris amorem uirtutis. Vos etiam adhortor, & obtestor propter gloriam Dei, & salutem uestram, ut Deo uocanti uos ad res salutares, obtemperetis, & errantes impetus animorum coherceatis. Die 12. Aprilis.

Decanus

ANNO 1545.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS LIBERALIVM ARTIVM M. IOHANNES DVRSTENIVS.

NOn *dubitamus ſcholas literarum & Euangelij Deo curæ eſſe, & uerè eſſe templa Dei. Ideo à nobis omni officio iuuandæ, & ornandæ ſunt. Inſtituemus autem cras hora prima poſt meridiem publicum examen eorum, quibus decernetur gradus Magiſterij hac proxima ſeptimana, in quo cum frequentia ſit ornamento ſcholæ, & ſit utilis ſtudijs, petimus, ut Doctores, & Magiſtri ad illam explorationem eruditionis eorũ, qui gradum petunt, ueniant. Ipſi norunt prodeſſe Eccleſiæ, & totiuitæ humanæ hæc qualiacunq; linguarum & Philoſophiæ ſtudia. Nam ne in his ipſis quidem ferijs paſcatos enarrari poſſunt dicta, quæ ex Prophetis, & Apoſtolis in hoc feſto recitantur, niſi utcunq; adiuuemur hac doctrina, quibus rudia ingenia ad intelligendas, & percipiendas artes uitæ rectrices præparantur. Imo hodierni Euangelij lectio quàm multa continet, quæ à literatis melius explicari poſſunt, quam ab indoctis? Dicitur de diſcrimine politicæ poteſtatis, et*

Ecclesiasticæ. Thomas dicens: Dominus meus, & Deus meus, loquitur more Ebraico, quo usitatum erat coniungere hæc duo, Iehoua elohim, ut discerneretur uera inuocatio ab Ethnica, uerus Deus à commenticijs. Agnoscit igitur Christum natura Deum esse. Nam hoc dulcissimum est, quod significatur, qualis sit Spiritus sanctus, & unde procedat, cum ait: ἐνεφύσησε. Vt ab humano corde spiritus & flatus exiliunt: ita à uoluntate æterni patris, & filij, procedit spiritus sanctus. Et ut spiritus à corde hominis effervescens perfert amoris incendium: Ita spiritus Dei incendium amoris in nos perfert. Hæc & alia similia si quis attentè cogitat, animaduertet literarum nostrarum cognitione adiuuari studiosos in explicatione cœlestis doctrinæ. Quasimodogeniti.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM M. IOHANNES DVRSTENIVS.

QVod faustũ, ac fœlix sit, cras decernetur gradus Magisterij Philosophici aliquot honestis, & doctis auditoribus nostris. Hæc testimonij & iudicij nostri renunciatio

ciatio cum publica esse debeat: Petimus, ut usitato more conueniant omnes omnium ordinum professores, & scholastici, eaq; in re studium suum declarent erga has literas, & honestas artes, quæ à nostro Collegio docentur, quas constat bene mereri de tota hominum uita, & multum prodesse ad explicationem doctrinæ cœlestis. Nam sine linguarum cognitione non patet aditus ad lectionem propheticorum, & Apostolicorum scriptorum. Et Philosophiæ usus quotidie conspicitur in grauissimarum quæstionum explicatione. Nemo certam anni rationem nosset, si hæ artes negligerentur, quam tamen propter grauissimas causas Deus instituit & monstrauit, & quidem eruditè in huius mensis diebus recensuit. Nam cum Noha ingressus esset Arcam, die Aprilis 17. mansit in ea toto Solari anno, egressus est enim sequentis anni, Mense Apri-
li, die 27. Quòd igitur superant dies Vndecim, ἔπακται sunt, addendæ ad menses Lunares, qualibus tunc utebantur. Hæc & alia multa illustrantur nostris artibus. Erit autem proximo die 17. Aprilis annus ab ingressu Nohæ in Arcam 3851. Die 16. Aprilis.

ANNO 1545.

RECTOR ACADEMIAE
GEORGIVS MAIOR D.

SAepè auditis ideo genus humanum ad ſocietatem conditum eſſe, ut alij alios de Deo, & de alijs rebus bonis doceant, ut uerſiculi illi monent:

Vtq; alios alij de Relligione docerent,
Contiguas pietas iußit habere domos.

Ideo ſocietatem communem amemus, & tueri ſtudeamus, diſcamus intelligere & uereri uincula politici ordinis. Hanc diligentiam poſtulat Deus ab omnibus hominibus. Sic autem diſtinctæ ſunt Iurisdictiones, ut neceſſe ſit eorum nomina, qui ad Academiæ Iuriſdictionem pertinent, Rectorem in libro publico perſcripta tenere. Si igitur hoſpites tanquam ſcholaſtici in hoc oppido uerſantur, qui ſua nomina apud Rectorem nondum ediderunt, hi aut diſcedant quàm primum hinc, aut pareant honeſtis legibus, ac nomina ſua apud Rectorem edant. Maſſyliæ conſuetudo fuit, ut omnes hoſpites ingredientes urbem, arma ſua in portu relinquerent, quæ poſtea abituris reddebantur. Nomina uerò hoſpitum, cum in hoſpitia deducti eſſent, Magiſtratibus

ſtratibus indicabantur. Nam inſidiari uide=
tur, qui ut ſpeculator in aliena Republica uer=
ſatur, nec certum agnoſcit Magiſtratum. Nos ſi
deprehenderimus aliquos ita uagari inter no=
ſtros ſine certo Magiſtratu, ſeuerè in eos ani=
maduertemus. Mementote ſcholã eſſe cœtum, ut
Eccleſiæ partẽ, ubi uult Deus conuenire diſcentes
ad hoc munus omnium ſummum & maximum in
cœlo & in terra, ut doctrina uera de Deo, &
domino noſtro Ieſu Chriſto tradatur & perci=
piatur, non eſſe latronum aut nebulonum con=
ventum, aut ut Græci dixerunt, ἀγορὰν κοῤῥκώ=
πων. Vt in ſua Eccleſia uerè habitat Deus, ita
uerè habitat in ſchola pia fouente uocem Euan=
gelij. Quare ſciant ſcholaſtici, ſe non in propha=
no loco, ſed in domo Dei, piè & modeſtè uerſari
debere. Illud etiam eſſe adſcribendum duximus,
proximis calendis Maij Rector mihi ſucceſſurus
eligetur, & renunciabitur, ad eam renunciatio=
nem ut conueniant ſcholaſtici mane hora ſexta,
præcipimus, non ſolum ut audiant, cui mandatus
ſit Magiſtratus, ſed etiam ut pia & ardentia
uota multi coniungant, & petant, ut Deus ſtu=
dia doctrinæ, quæ uitæ neceſſaria & ſalutaris
eſt, regat, & diſciplinã & tranquillitatem tuea=
tur. Cohortetur ſingulos hæc uox Chriſti, ut in

bos congressus libentius conueniant: Vbicunq; duo aut tres conuenient in nomine meo, ero in medio eorum. Item: quidquid petent, impetrabunt. Die 26. Aprilis.

RECTOR ACADEMIAE
HVLDERICVS MORDEISEN
IV. V. DOCTOR.

ACcende æterne Deus pater domini nostri Iesu Christi pectora nostra spiritu sancto tuo, ut uerè agnoscamus beneficia tua propter filium nobis donata, quorum consideratio & hodie in Triumpho Christi ascendentis in cœlum uniuersæ Ecclesiæ toto orbe terrarum proponitur. Pompeio Triumphanti currum traxerunt Elephantes. Huius magnificentiam superaturus Antonius, à Leonibus currum trahentibus in Capitolium uectus est. Hæ ineptiæ stultis gloriosæ uidentur. At Christi Triumphus æternæ gloriæ testis longè uerius decus est. Vt autem frui bonis partis uictoria Christi possitis, obtestamur omnes, ut modesti sitis, & magnitudinem beneficiorum consideretis. Deinde cum sine literis & doctrina, memoria Triumphi retineri non possit, studia etiam amanda

sunt,

sunt, ac piè facit Illustrissimus Princeps Iohannes Fridericus dux Saxoniæ Elector &c. quòd & stipendia pauperibus scholasticis largitur, & præcipit eorum explorari eruditionem, ut cura discendi acuatur.

Cum igitur de examine mandata acceperimus, præcipimus omnibus scholasticis, quibus stipendia ab Illustrissimo Principe duce Saxoniæ Electore &c. dantur, ut proximo die dominica, qui erit dies Maij 17. conueniant in ea domo Academiæ, in qua est auditorium Iurisconsultorum, ibi ut Principi de singulis nostrum iudicium significemus, rursus examen instituetur. Nunc uerò in hac ipsa lætissimi Triumphi recordatione admonemus omnes pios, ut etiam Psalmi uoce studia publica Deo commendent, ac ueris uotis precentur: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, propter templum sanctum tuum &c. id est, serua, rege, & adiuua studia, ut maneat lux Euangelij, & mores piè regantur, & floreant Ecclesiæ ueris ornamentis omni tempore. Datæ die ascensionis Christi .1545.

Rector

ANNO 1545.

RECTOR ACADEMIAE
HVLDERICVS MORDEISEN D.

Scholastici regionis Mysorum, quibus ab Illustrißimo Principe decreta sunt stipendia, ueniant hodie hora 12. in domum Academiæ, in qua est auditorium Iurisconsultorum, ut inchoata doctrinæ inquisitio absoluatur. Toties autem de Grammatica discenda iuuentutem hortamur, & sæpè auditis, ipsam Ecclesiam quasi Grammaticam scholam esse, explicantem sermonem diuinum. Hæc tanta necessitas discendæ Grammaticæ propter Ecclesiam, certè mouere bonas mentes debebat. Ac Princeps uult seuerè inquiri studia Grammatices. Ideo examinandi ueniant instructiores, ac singularem esse diligentiam Mysorum decet, quos Homerus uocat iustißimos hominum.

RECTOR ACADEMIAE
HVLDE. MORDEISEN D.

Omnium beneficiorũ diuinorum longè maximum est, quòd Deus prodiens ex arcana sede sua, generi humano se patefecit, Ideo aũt se patefecit, ut uoluntatem suam nobis monstra-

monſtraret, ac ſemper aut legem, aut uocem Euangelij edidit, aut utranq; doctrinam ſimul complexus eſt. Inſignis autem patefactio in utraq; Pentecoſte facta eſt; in priore lex edita, in ſecunda Spiritus ſanctus in luce manifeſta miſſus eſt. Nec maius donum dari poteſt, quàm ſocietas diuinæ naturæ, transfuſo in nos ipſo Dei ſpiritu, qui eſt nexus ueri amoris. Hæc etſi ſemper cogitanda ſunt: tamen ut diligentius nunc cogitentur, tempus nos admonet. Cumq; hoc feſtum Deus ipſe, & Eccleſia Angelorum, & hominum, iam tribus millibus annorum, & annis quatuor & quinquaginta celebrauerint, nos quoq; in hoc feſto cum uniuerſa Eccleſia Dei, cœleſti, & terrena coniungamus uota, & gratiarum actionem, Agamus Deo æterno patri domini noſtri Ieſu Chriſti gratias, quòd Eccleſiam ſibi adiungit, & ardentibus uotis petamus, ut nos ſpiritu ſancto ſuo regat, accendat, & gubernet ſtudia literarum, & non ſinat extingui lucem Euangelij. Volumus etiam ſcholaſticos noſtros ſingulos munus ſuum ad aram cras adferre, ut hoc ipſo qualicunq; officio oſtendant, ſe miniſterium Euangelij uenerari, quod in Pentecoſte, Spiritus ſanctus conſpici maximè uoluit. Deinde ſeueriſſimè præcipimus, ut ſcholaſtici ſint modeſti, nec perturbent Spiritum ſan-

tum ſanctum, qui in multis pijs mentibus ingenti dolore adficitur, cum uidet cumulari ſcelera, ſcandala, pœnas, diſſipationes Eccleſiæ. Audimus autem quoſdam his diebus ſparſiſſe famoſa ſcripta, quæ res quantum periculi adferat Reipublicæ, non obſcurum eſt. Ideo noſtram commonefactionem proponendam eſſe duximus. Deteſtamur & execramur omnes, qui illa ſcribunt, quicunq; ſunt, & indignos ciuili conſuetudine hominum eſſe pronunciamus. Sciant etiam ipſi, Magiſtratum non defuturum eſſe officio, ſi autores aut conſcij talium Sycophanticorum ſcriptorum deprehendentur. Effunditur in pectora piorum Spiritus ſanctus, ut cum alias uirtutes, tum reuerentiam erga Magiſtratus accendat. Hanc præſtate, ne ſitis autores ſcandalorum & diſſipationum, quæ dolorem adferunt Spiritui ſancto. Præcipimus igitur, ut omnes Magiſtratus, qui autoritate Illuſtriſſimi Principis hic præſunt, ut & diſciplinam, & ueſtram tranquillitatem tueantur, honore adficiatis.

Decanus

ANNO 1545.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS PHILOSOPHICAE M. IOHANNES AVRIFABER VRATISLAVIENSIS.

VTinam sæpè & attentè cogitent Scholastici, quanta res sit hæc literaria militia, in qua præparanda sunt ingenia ad rem omnium in uita maximam & difficillimam, scilicet ad Ecclesiæ & uitæ ciuilis gubernationem, ad explicationem doctrinæ cœlestis, & ad diiudicationem grauissimorum negociorum uitæ humanæ. Nam etsi alij minus eruditi summa imperia tenent, tamen multa de literatorum consilio constitui necesse est. Vt autem eruditionem solidam & iudicij dexteritatem assequatur natura mediocris, magna uarietate artium opus est. Et ingenia per gradus prouehenda sunt, & paulatim ad ueritatis aspectionem & contuitum propius adducenda sunt. Nec uitæ ulla res pernicio-
sior est, quàm quòd ingenia iuuenilia, fera, nondum cicurata disciplina, nondum assuefacta ad intentionem, ad uias quærendæ ueritatis, & ad diligentiã ac circumspectionem in iudicando necessariam, repentè irruunt in doctrinas, quæ Ecclesiam & Curiam regunt. Vt igitur ordine

discantur

discantur artes, quibus ingenia præparanda sunt, uetustas gradus instituit, ac uoluit primum gradum complecti cognitionem Grammatices, Dialectices, Rhetorices, Arithmetices & elementorum Sphæricorum. Ad hæc nos adiungi uolumus doctrinæ Ecclesiasticæ κατήχησιν.

Cum enim agnitio & inuocatio Dei pertineat ad omnes homines, & ad omnes ætates, necesse est statim inculcari teneris animis doctrinam de Deo, præsertim in Scholis, quæ debent esse custodes doctrinæ cœlestis. Nec studia sunt salutaria, nisi à Deo mentes regantur.

In hac prima institutione uolumus etiam adolescentes nosse Epitomen historiarum de serie imperiorum.

Hoc primum Tyrocinium, etsi uidetur exiguum decus esse, tamen & eruditionem magnam continet, & adminicula ualdè utilia ad percipiendas cæteras artes.

Magna uirtus est et intelligere dicendi rationem, & mediocriter instructum esse facultate loquendi. Deinde quàm gratum est bonæ menti, posse expeditè uersari in lectione sacrorum uoluminum

uoluminum, & aliorum bonorum Scriptorum? Id hæc prima rudimenta adferunt, quibus qui non sunt instructi, cum in aliorum librorum lectione, tum uerò in sacris libris, paßim ut in lutohærebunt, ac sæpè in interpretando οὔτε γῆς, οὔτε οὐρανὸς ἁπτόμενα dicent.

Vt igitur Deo & Ecclesiæ rectè seruire, & suæ utilitati consulere adolescentes poßmt, in his primis rudimentis diligenter elaborent.

Postea uerò addant Geometriam, & doctrinam de motibus cœlestibus, quam ad rem, ut ordinè percipiantur artes, certis temporibus Euclides in Schola repetitur, quem ut discant Philosophiæ studiosi, præcipimus.

Olim Geometria initium erat Philosophici studij. Nam & Physica inde extruitur, & naturæ ordo postulat, ut hæc figurarum doctrina, quæ est regula certitudinis, initio percipiatur. Et sine his fontibus, uidelicet sine Geometria, & sine cognitione motuum cœlestium, mutilã esse Physicen, manifestum est.

Ideo ut curam discendi acuamus, ab ijs, qui Magisterij gradum petent, in examine poscemus, ut specimen studij Euclidis exhibeant, nec admittemus ad gradum scholasticos, qui aliquan

diu nos audierunt, & dici Philosophiæ studiosi uoluerunt, nisi publicam lectionem Euclidis audierint. His petentibus gradum, illud uetus dicemus, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. Requirimus autem hoc studium, ut inuitentur adolescentes ad expetendam solidam eruditionem, ut maiorem dexteritatem & grauitatem iudiciorum deinde ad illam doctrinam adferant, quæ Ecclesiam regit. Et mediocriter percepta Geometria, & cognitis motibus cœlestibus, non solum magis perspicua erit Physice, sed etiam dulcior.

Scimus Ecclesiam nec anni descriptione, nec Cosmographia carere posse. Necesse est igitur fontes discere, unde et illi riuuli promanant. Nostri officij est monstrare ueram, utilem, & salutarem discendi rationem. Vestrum est etiam, auditores, studia referre ad gloriam Dei, & ad communem salutem generis humani, nec tantum umbram doctrinæ, quæ aliquando sit quæstuosa, appetere, ut faciunt multi impostores, quorum inscitia & audacia postea nocet Ecclesiæ & toti generi humano. Cogitate uos à Deo uocatos esse, ad tuendam possessionem literarum; multosq; in cœtu uestro esse, de quibus scriptum est, Sedere filium Dei ad dextram æterni Patris;

tris, ac dare dona hominibus, id est, salutares Doctores.

Tales autem nec sunt ulli, nec erunt, qui literas, ueritatem, solidam eruditionem aspernantur. Vt igitur inter dona Ecclesiæ, non inter pestes numeremini, amandæ sunt literæ, inquirenda ueritas, cura adhibenda est, ut ordinè & integrè doctrinam uitæ necessariam discatis.

Hæc sit præcipua causa diligentiæ augendæ, ad quam possunt & aliæ multæ adiungi. Honestum & utile est uitæ hominum tueri artes, quæ sunt præsidia uitæ, imo quæ sunt, ut apud Xenophontem Cræsus de ciuitate dixit, πήγαι κάλλων, fontes ornamentorum uitæ humanæ, ac ciuilis consuetudinis. Datæ die fausto, quo memoria immensi beneficij Dei celebratur, exhibiti Spiritus sancti Apostolis manifesta luce, quem cum uerè sit autor doctrinæ & artium, toto pectore oramus, ut & mentes multorum accendat ad discendum, & regat ac adiuuet literarum studia, quoniam ideo præcipuè donatur Ecclesiæ, ut lucem Euangelij in ministerio publico & pijs mentibus seruet.

Anno 1545.

ANNO 1545.

RECTOR ACADEMIAE
HVLDERICVS MORDEISEN. D.

MVltæ honeſtæ cauſæ ſunt, cur Illuſtriſſimus Princeps dux Saxoniæ Elector &c. explorari ſtudia adoleſcentum uelit, quibus ſtipendia dantur. Et ad diſciplinam pertinet, adſuefacere iuuentutem, ut uocata in conſeſſus præceptorum, ſpecimen eruditionis exhibeat. Cum autem nondum omnes, qui ſtipendijs fruuntur, ad nos acceſſerint, ſignificandum duximus, nos hodie iterum conuenturos eſſe in domo Academiæ, in qua eſt auditorium Iuriſconſultorum, ac nomina eorum, qui examini interfuerunt, in aulam miſſuros. Scimus qui hactenus ad examen non uenerint, qui niſi hodie ad nos acceſſerint, exiſtimabuntur contumacia quadam, & diſciplinæ contemptu nos non acceſſiſſe. Id exemplum Illuſtriſſimus Princeps non negleCturus eſt. Iterum igitur præcipimus, ut hodie hora 12. reliqui, qui nondum interfuerunt examini, in Academiæ domum, quam diximus, ueniant. Magna uirtus eſt honeſta inſtituta iuuare, præſertim profutura Eccleſiæ, ut hæc ſtipendiorum diſtributio ad tuenda ſtudia doctrinæ Eccleſiaſticæ inſtituta eſt. Quare ſi

qui

tris, ac dare dona hominibus, id est, salutares Doctores.

Tales autem nec sunt ulli, nec erunt, qui literas, ueritatem, solidam eruditionem aspernantur. Vt igitur inter dona Ecclesiæ, non inter pestes numeremini, amandæ sunt literæ, inquirenda ueritas, cura adhibenda est, ut ordinè & integrè doctrinam uitæ necessariam discatis.

Hæc sit præcipua causa diligentiæ augendæ, ad quam possunt & aliæ multæ adiungi. Honestum & utile est uitæ hominum tueri artes, quæ sunt præsidia uitæ, imo quæ sunt, ut apud Xenophontem Cræsus de ciuitate dixit, πήγαι κάλλους, fontes ornamentorum uitæ humanæ, ac ciuilis consuetudinis. Datæ die fausto, quo memoria immensi beneficij Dei celebratur, exhibiti Spiritus sancti Apostolis manifesta luce, quem cum uerè sit autor doctrinæ & artium, toto pectore oramus, ut & mentes multorum accendat ad discendum, & regat ac adiuuet literarum studia, quoniam ideo præcipuè donatur Ecclesiæ, ut lucem Euangelij in ministerio publico & pijs mentibus seruet.

Anno 1545.

ANNO 1545.

RECTOR ACADEMIAE HVLDERICVS MORDEISEN. D.

MVltæ honestæ causæ sunt, cur Illustrißimus Princeps dux Saxoniæ Elector &c. explorari studia adolescentum uelit, quibus stipendia dantur. Et ad disciplinam pertinet, adsuefacere iuuentutem, ut uocata in consessus præceptorum, specimen eruditionis exhibeat. Cum autem nondum omnes, qui stipendijs fruuntur, ad nos accesserint, significandum duximus, nos hodie iterum conuenturos esse in domo Academiæ, in qua est auditorium Iurisconsultorum, ac nomina eorum, qui examini interfuerunt, in aulam missuros. Scimus qui hactenus ad examen non uenerint, qui nisi hodie ad nos accesserint, existimabuntur contumacia quadam, & disciplinæ contemptu nos non accessisse. Id exemplum Illustrißimus Princeps non negle-
cturus est. Iterum igitur præcipimus, ut hodie hora 12. reliqui, qui nondum interfuerunt examini, in Academiæ domum, quam diximus, ueniant: Magna uirtus est honesta instituta iuuare, præsertim profutura Ecclesiæ, ut hæc stipendiorum distributio ad tuenda studia doctrinæ Ecclesiasticæ instituta est. Quare si

qui

qui contumacia ſua offendent uoluntatem Illuſtriſſimi Principis, profecto non leuiter peccabunt. Omnibus officijs pios Principes inuitemus, ut faueant Eccleſijs, & literarum ſtudia iuuent. 25. Maij. Anno 1545.

PHILIPPVS MELANTHON.

PRopter ſcholaſticos, qui priores libros Ethicorum non audiuerunt, decreui ſexto libro relicto, redire ad primum. Nec dubium eſt, priores libros, qui de fine bonorum, & de cauſis, & de diſtributione uirtutum diſſerunt, utiliores eſſe Eruditi uident, hoc genus doctrinæ magnum uſum habere in multis artibus. Theologicas, forenſes, et Oratorias materias maiore dexteritate & perſpicuitate tractabunt, qui hæc elementa recte, & ordine didicerunt. Et hæc ipſa cultura acuit iudicia, & de multis magnis rebus in uita ſtudioſos commonefacit. Vtile eſt autem ipſos fontes Ariſtotelis noſſe. Ideo ſtudioſi emant exemplaria libri Ethicorum, & adiungant enarrationem recens editam, qua collata ad textum, lectores, & ſententiam Ariſtotelis facilius percipient, & de plæriſq; materijs dexterius iudicabunt.

ANNO 1545.

RECTOR ACADEMIAE
HVLDERICVS MORDEISEN
DOCTOR.

HEri discessit ex hac uita modestus, et studiosus iuuenis Caspar Vueibdingensis, cui funus hodie hora 12. fiet. Hortamur igitur scholasticos, ut ea hora conueniant ante domum Academiæ, in qua est Nosocomium, ut funeris cæremoniæ piè seruentur. Nam & ipse iuuenis magna pietate in inuocatione filij Dei Domini nostri Iesu Christi mortem adijt, sperans se mox in scholam multo præstantiorem sapientia, & omnium uirtutum gloria uenturum esse, uidelicet in Dei, Christi, Prophetarum & Apostolorum Collegia, ad quam scholã, & hæc doctrina, quam nunc auditis, uobis aditum præparat. In his igitur cæremonijs de utraq; uita cogitate, & petite, ut uos Deus regat, & seruet in hac militia nostra, aliqua bona ingenia, nec sinat extingui lucem Euangelij. Hæc eò ardentius nunc petenda sunt, quia crescit rabies Tyrannorum. Recens enim dicitur oppidum Fabianum in Gallia non procul à Gebenna situm, propter Ecclesiam piè institutam, funditus deletum esse, & ciues puberes & impuberes partim igni, partim ferro

ferro crudeliter necatos. Hæc ſunt exempla ue=teris ſæuiciæ Diocletiani, qui in Phrygia totum oppidum propterea deleuit, quòd præfectus Adauctus unà cum populo publicè deletis Idolis, diſciplinam Chriſtianam inſtituerat. Adficia=mur tali interitu tot piarum matronarum, & puerorum morientium, & precemur Deum, ut nos regat, & protegat. Die 6. Iunij. 1545.

IN PRAELECTIONEM EVCLIDIS.

AIunt Ariſtippum tempeſtate in Rhodi=um portum delatum eſſe, amiſſis rebus naufragio, quas ſecum domo uexerat. Erat autem ignotus Rhodi, & dum anxiè ſecum deliberat, quò egens & inops diuertat, uidet in portu pictas Geometricas figuras. Hîc reſtitit letus, & ad comites inquit, non defuturum in eo loco hoſpitium, quòd ibi hominum ueſtigia cerneret, monſtrans figuras Geometricas, quæ teſtabantur in eo loco homines eſſe deditos bonis artibus, & ſtudijs uirtutis.

Maximè uerò in ſcholis hæc hominum ue=ſtigia conſpici debent, in quibus præcipuè debent eſſe cœtus humani, hoc eſt, artium

& uirtutis ſtudioſi. Deinde cum in Scholis tradatur doctrina de Deo, de mundi opificio, de motibus, de natura hominis & eius officijs, ſpectentur paßim in priuatis & publicis tabulis figuræ illæ, ſint in manibus libri Geometrici. Nam doctrina illa, quam dixi, de mundi opificio, & natura hominis magna ex parte extruitur ex Geometria. Hæc initium eſt Phyſices, ac demonſtrat mundum finitum eſſe, & hanc ingentem molem mundi docet nos mente complecti & metiri. Poſtea uerò latè ſpargit ſua beneficia.

Magnum decus eſt tenere anni deſcriptionem, magna utilitas noſſe ſitus omnium Regionum, terras ac maria mente circumire, ac ſpacia limiteſq; notare, tam certò, quàm ſi oculis diſtingueres.

Hac doctrina nec Politica uita, nec Eccleſia carere poteſt. Quales enim tenebræ antiquitatis eſſent, ſi annorum ſeries ignota eſſet? Qualis inſcitia, ſi locorum diſtinctionem non teneremus? Geometria uerò menſuras fabricat, quibus comprehendere ac notare in cœlo ſpacia poſſumus. Deniq; fontes ſunt, Arithmetica & Geometria, uniuerſæ cœleſtis doctrinæ, Coſmographiæ & Phyſices.

Quare

Quare in Academia graui iudicio constitutum est, ut subinde proponatur Euclides. Vtinam uerò plures essent, qui has artes seriò colerent. Ac inuitare multos hæc ingens utilitas debebat, quòd ad alias Phylosophiæ partes aditus non possit patere, si desit Geometria. Deinde honestæ menti hæc ipsa artium tractatio eò dulcior est, quia hîc manifesta indicia cernuntur, quæ testantur & esse Deum, & hunc mundum regi prouidentia. Ideo Plato dixit, gratam Dei famam in artibus sparsam esse. Aristippus uocauit figuras Geometricas hominum uestigia. At non minus uerè Dei uestigia dici possent. Nam ille mirificus ordo & consensus, cum in hac doctrina, tum uicinis, illustria testimonia sunt, hanc hominum naturam à mente æterna ortam esse, quæ numeros, figurarum metas, & proportiones æterna & immutabili lege instituit, ac nobis monstrauit. Sed de dignitate atq; utilitate harum artium & sæpè aliàs dicitur, & sæpè dici utile est.

Nunc Scholasticos adhortamur & ego & cæteri professores, ac obtestamur, ut maiore frequentia ac studio has artes audiant. Scimus olim nobis gratiam habituros esse bonos, quòd eos inuitauerimus ad hæc studia, quòdq; optimos

autores proposuerimus. Sunt initia plana, expedita & plena suauitatis, quibus degustatis non solum facilè erit progredi, sed etiam rerum suauitas accendet animos, ut plura discere libeat. Inchoabo autem primum Euclidis undecimo die Iunij. Deo uolente. 1545.

Erasmus Reinholdus Saluelden sis.

RECTOR ACADEMIAE
HVLDERICVS MORDEISEN D.

SCholastici cœtus præcipuum agmen Ecclesiæ Dei sunt, seu paucos, seu multos habent intelligentes ac piè facientes officium. Multi autem sunt admixti dissimiles, alij propter ætatem parum cogitantes de suo officio, alij naturæ feritate non patientes disciplinæ ac legum. Ideo difficilis est gubernatio. Sed ut Moses Deum precabatur inquiens: Nisi tu præcedes, non educas nos de loco isto: ita nos precamur illum ipsum dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, ut sit in hoc nostro cœtu, sit Academiæ Rector & custos. Et cum tunc fuerit in cœtu populi Israel: non dubitemus nunc quoq; cum adesse pijs scholis, & nobiscum

nobiscum uersari, nobis anteire, & nos omnes protegere. Nec sine eo ulla gubernatio est fœlix. Est autem nostri muneris, ut uobis salutaria monstremus, & uobis præcipit Deus, ut obtemperetis. At utrorumq; diligentia fœlix est, iuuante Deo, excitari tamen diligentiam nostram oportet, ut Paulus inquit, ἀκριβῶς περιπατεῖτε, μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλα ὡς σόφοι, diligenter ambulate, non ut fatui, sed ut sapientes. Et exempla multa calamitatum hortantur nos ad diligentiam, & inuocationem Dei. Nuper perijt adolescens in flumine. Recens & iuuenis Lascius natus in familia præcipuæ nobilitatis, & patre præstanti uirtute, Dresdæ impie à ministro interfectus est. Interfectus est in salinis alius iuuenis equestri familia natus. Possunt & multa publica recitari. Turcæ 4000. fortissimorum uirorum in Styria trucidarunt. Ideo & dominum nostrum Iesum Christum oremus, ut nos seruet, & nos ipsi ambulemus, ut Paulus inquit, ἀκριβῶς, & moderemur uagos impetus. Præcipimus igitur reliquis, ne in flumen Albim ingrediantur. Quantum ibi periculi sit, exempla sæpè ostenderunt, quibus moueri animos omniũ oportebat. Deinde etiã præcipimus ne pacem uioletis, sed modestia uestra tranquillitatem communem, necessariam

necessariam non solum his studijs, sed etiam uitæ communi, tueamini. Etiam exigua initia tumultuum formidanda sunt. Quia ut Thucydides inquit, ἐξ ὀλίγου πολλὰ. Ideo propter uos & propter uniuersam Ecclesiam sitis tranquilli, nec uobis, nec alijs pericula accersite, nec imitate Diabolos: sed scitote uos Deo hanc obedientiam debere, ut uestra diligentia communem Ecclesiæ & ciuitatis tranquillitatem adiuuetis.

PHILIPPVS MELANTHON.

Pindarum quisquis uolet explicare,
Ille ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, uitreo daturus
Nomina ponto.
Forsan his uerbis aliquis monebit,
Vt relinquamus tenebras uetusti
Vatis, ad Dircen sua qui sonabat
Carmina fontem.
Multa sunt quamuis satis inuoluta
Delphicæ sortes ueluti fuerunt:
Sunt tamen rursus quoq; planiora
Plurima membra.
Quæ canunt Regum memoranda facta,
Literis nullis alijs relata,
Et regunt

ANNO 1545.

Et regunt mores hominum ſequaces
Laude bonorum.
Cum duces Græci petiere Colchos,
Phaſidos ripis legerent ut aurum,
Narrat Alciden agitaſſe remos
Lege coactum.
Sic docet ſummis etiam deorum
Filijs, legum patienda uincla.
Legibus uires & opes ſuperbas
Cedere iuſtum eſt.
Bella Titanum recitans nefanda,
Arma qui contra ſuperos tulerunt,
Impios fato ſimili perire
Præmonet omnes.
Ergo uirtutis ſapientiæq;.
Muſa doctrinam quia tradit iſto
Pindari ſcripto, iuuenes modeſti hunc
Noſcite uatem.

RECTOR ACADEMIAE
HVLDE. MORDEISEN D.

Miſit huc illuſtriſſimus Princeps dux Saxoniæ Elector &c. pecuniam numerandam delectis ad ſtipendia ſcholaſtica. Quare mandamus, ut hodie hora 12. delecti illi

illi omnes in Arcem ueniant, ubi à nobis, & à Quæstore pecunia distribuetur. Adducant autem secum præceptores suos illi, quorum ætas nondum idonea est tractandæ pecuniæ. Ac sciamus omnes Dei donum esse, quòd principes excitat in his Ecclesijs, ad fouenda studia cœlestis doctrinæ & literarum. Et ut gratitudinem nostram Deo, & principibus declaremus, iustißimum est, scholasticos esse modestos, & diligenter facere officium. Semper sit in conspectu diuinæ comminatio: Quia scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Excitemus igitur diligentiam in discendo, & regendis moribus, ne pœnæ tristißimæ sequantur, quæ secutæ sunt contemptum doctrinæ & disciplinæ in alijs locis, quæ olim floruerunt, Hierosolymis, Athenis, & alijs multis, quæ ita deletæ sunt, ut quibus locis sitæ fuerint, non possit certo adfirmari. Certißimum est puniri etiam præsentibus pœnis in hac uita omnium, & singulorum peccata, & cumulari publicas calamitates singulorum furoribus. Metuamus igitur iram Dei, & frenemus impetus animorum, et studeamus Dei dona retinere, sicut filius Dei inquit, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, hoc est, uerè amabit doctrinam cœlestem, & ueniemus ad eum, & domi-

& domicilium apud eum constituemus. Tantisper Deus nobiscum habitabit, donec studia Euangelij colentur, & disciplina mediocris retinebitur. Vt igitur Deus nobiscum habitet, nos regat & defendat: singuli maiore cura discamus, & mores nostros diligentius regamus. Et quia Ecclesia nunc celebrat congressus Mariæ, Elisabeth, Zachariæ, & tanquam primam Synodum noui Testamenti recitat, in qua promulgatus est Articulus de concepto Messia, cogitemus historiam, ut seruatæ sunt illæ piæ matronæ, grassantibus ibi exercitibus Romanis, Parthicis, Aegyptiacis, Herodianis: Ita & nos seruabimur. Imo sicut interest eorum colloquio Spiritus sanctus: ita & nobis aderit, & nos reget, donec de pia doctrina colloquemur.

RECTOR ACADEMIAE
HVLDERICVS MORDEISEN DOCTOR.

DEcessit ex huius uitæ ærumnis Adolescens pius & studiosus gentis Bauaricæ, natus ad Oenũ, Leonhardus Neuburgensis, cui funus fiet hodie hora 4. Ideo hortamur scholasticos, ut ante Nosocomiũ eo tempore conueniãt, ut funeris ceremoniæ seruentur. In his autem

tem

tem congreßibus cogitemus de periculis humá-
næ uitæ, & de cauſis humanarum miſeriarum,
& uitam noſtram pijs precibus Deo commende-
mus. Videtis enim Diabolum horribiliter inſi-
diari generi humano. Quare primum à Deo de-
fenſio petenda eſt. Deinde & diligentia noſtra
accedat, nec accerſamus nobis noſtris furoribus
calamitates.

O Ieſu Chriſte fili Dei, cuſtos Eccleſiæ tuæ,
qui dixiſti: Nemo rapiet oues meas è manibus
meis, defende & rege agmen ſcholaſticum, quod
ſtudia Euangelij amat & colit. 6. Iulij.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS PHILOSOPHI-CAE. M. IOHANNES AV-RIFABER.

SAepè auditis dictum eſſe à Cræſo apud Xenophontem: artes fontes eſſe honeſta-rum & bonarum rerum in hac hominum conſuetudine. Hoc Ethnicos uidere experientia cogebat. Nos in Eccleſia audimus longe maiora artium Encomia, cum diſcimus hominem ad imaginem Dei conditum, circumferre noticias, quas Deus uoluit uitæ rectrices eſſe, & adiuuari nos cognitione

cognitione literarum & artium in explicatione eius doctrinæ, quæ est Ecclesiæ propria, & ex arcano sinu æterni patris prolata est. Ideo necesse est literas disci, et has honestas operas scholarum conseruari. Cumq; gradus in scholis instituti sint, ut ordine iuuentus per artes ducatur, nos ipsi usu comperimus, eos profuisse multis, ut ordine discerent utilia. Ideo retinendos eos esse censemus. Et quoniam usitatum est hoc tempore instituere examina eorum, qui Magisterij Philosophici gradum petunt: publicè significandum duximus, nostrum officium non defuturum esse honestis & studiosis, qui nunc eum gradum petituri sunt, & hos iubeo, ut nomina sua apud nos edant his proximis octo diebus. Nam postea statim examina exordiemur. Euripides de sese dulcissimè inquit.

Οὐ παύσομαι τὰς χάριτας ταῖς μούσαις
Συγκαταμιγνὺς ἡδίστην συζυγίαν,
μὴ ζώην μετὰ ἀμουσίας.

Non cessabo gratias musis miscere dulcissima copulatione, Nec uiuere quidem uellem sine doctrina. Optimum uitæ genus esse significat, doctrinam colere, & ex hac regere uitam consilio, & assumere morum & actionum moderatio-

nem. Nos uerò in Ecclesia multo maiores causas discendi habemus. Præcipit Deus legi, cognosci, enarrari illa ipsa scripta, per quæ se patefecit. Hæc autem sine literis et sine eruditione perspicuè et dextrè enarrare uelle, est profecto uelle sine pennis uolare, aut certe sine remis & uelis nauigare.

Quare propter gloriam Dei, & salutem Ecclesiæ studia literarum diligenter colamus, & hæc doctrinarum domicilia omnibus officijs tueri & iuuare studeamus. 26. Iulij.

RECTOR ACADEMIAE
HVLDERICVS MORDEN SEN DOCTOR.

NOn est uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis, inquit filius Dei, Quare non dubium est adolescentes in Ecclesia Dei, & in uita curæ esse Deo, & morientes excipi à Deo, & æterna salute donari. Hac fide petere uitæ defensionem pij adolescentes debent: hac fide etiam honestißimus adolescens Ioachimus uom Holt, Senatoris Hamburgensis, uiri prudentia, & uirtute præstantis, filius, discessurus ex hac mortali uita, se Deo aßiduè commendauit,

dauit, qui in confessione & inuocatione filij Dei proxima nocte mortuus est, cum & longa febri conflictatus esset, & naturæ uis per sese admodum in eo imbecilla fuerit. Hortamur igitur scholasticos, ut in uico, qui propinquus est templo, ad ædes Typographi Iosephi hora quarta conueniant, ut funeris ceremoniæ piè seruentur, ubi de causis mortis, ac ingentium ærumnarum humanarum, & de filij Dei beneficijs cogitandum est, & petendum, ut Deus seruet bona ingenia, ut maneant Ecclesiæ reliquiæ. Harum maximarum rerum cogitatio, & cura, etsi semper in animis circumferenda est, tamen maximè in his ceremonijs excitanda est, Valde multa mutis in hac uita accidunt longe tristiora morte. Ideo uitam suam quisq; Deo ueris uotis commendet. Deinde & de exitu cogitet, ut tunc, cum euocamur, uera fiducia filij Dei uincamus mortem, sicut scriptum est: Hæc est uoluntas, ut omnis quis credit in filium, habeat uitam æternam.

Exempla etiam dissimilia cogitemus, ac deprecemur Tragicos & impios exitus, & petamus salutares, ut hunc Ioachimum non dubium est traductum esse in cœlestem consuetudinem Christi, Prophetarum, & Apostolorum. Fuit

enim ex paruulis illis, qui Deo pladent, & cœlestem doctrinam didicerat, amabat, & in inuocatione exercebat.

PHILIPPVS MELANTHON.

PAulus ad Ephesios scribit singulari ope Dei seruari ministerium docendi Euangelij in Ecclesia, ne luce ueræ doctrinæ extincta, circumferamur uarijs uentis opinionum, ut Ethnici, & alij impij abiectis libris Propheticis & Apostolicis, subinde noua numina, & nouas superstitiones horribili furore excogitarunt. Hæc in Ecclesia ne accidant, necesse est unam, certam, firmam, perpetuam formam teneri, scilicet Prophetico & Apostolicos libros, in quibus Deus patefecit uoluntatem suam. Hos uult legi, & cognosci, & ut natiua sententia non corrumpatur, subinde excitat interpretes idoneos, quos uult audiri. Non enim frustra ministerium docendi instituit. Hoc ingens beneficium Dei agnoscamus, & audiamus synceros interpretes, conferamus etiam aliorum temporum Doctores, & eos discernamus, uideamus qui ueteres congruant ad normam à Deo traditam in Euangelio, qui non congruant. Hac collatione iudicium exercetur,

exercetur, & bonæ mentes iuuantur ueris testimonijs antiquitatis. Ideo nunc Reuerendus dominus Doctor Iohannes Bugenhagius Pomeranus, Postor Ecclesiæ nostræ, enarraturus est librum Augustini de Spiritu & litera, in qua enarratione ostendet, quo iudicio antiquitas legenda sit. Etsi enim summa eius operis Augustini pia est, tamen interdum loca mutila, indigent uoce interpretis, qui ostendat, quid desideretur. Libri autem uenales inuenientur apud Typographum Iosephum, quos ut studiosi emant & legant, inuitentur studio antiquitatis, quod ingeniosos homines ualde decet.

Vt autem plures audire possint, nec impediantur Physica prælectione: Reuerendus dominus Pastor decreuit transferre suam prælectionem in horam maturinam sextam, & præleget biduo singulis septimanis die 5. & die 6. Incipiet proxime die quinto.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS PHILOSOPHICAE M. IOHANNES AVRIFABER VRATISLAVIENSIS.

HOneſtis & placidis congreſſibus eruditorum, in quibus ſententiæ conferuntur de rebus dignis inquiſitione, nihil dulcius eſt. Imo hæc iudiciorum collatio, & doctrinæ communicatio imago eſt futuræ uitæ, in qua Dei conſpectu fruemur, & Chriſtum audiemus doctorem, & cum Prophetis & Apoſtolis familiariter diſſeremus de illis ipſis rebus maximis, quarum Elementa nunc diſcenda ſunt. Nunc audimus filium Dei λόγον eſſe καὶ εἰκόνα æterni patris. Id quanquam nondum intelligimus, tamen Deus tradidit, & ſonare hanc ſententiam in Eccleſia uoluit. Sed poſtea in illa æterna ſchola hoc arcanum Myſterium euolutum proponetur, ut alia multa. Nec tamen ad illam æternam ſcholam aditus patet ullis, niſi ijs, qui in hoc Eccleſiæ Tyrocinio, & huius uitæ ſcholis præparantur. Hanc umbram nos prius aſpicere uult, poſtea oculis res ipſas cotuebimur.

Amemus igitur eruditorum congreſſus, & ornare eos ſtudeamus, & conſeramus operam ad conſeruationem ſalutaris doctrinæ. Nam ſine collatione non poſſunt artes uerè percipi. Quare Euripides dixit: conuerſationem καὶ ὁμιλίαν peperiſſe artes. Ideo hortamur omnes Magiſtros, ut ad publicum examen eorum, qui nunc

gradum

gradum Magiſterij petunt, hora prima conue=
niant.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM M. IOHANNES AVRIFABER.

QVod faustum fœlixq; sit, die primo Septembris decernetur publicè gra=dus Magisterij Philosophici, aliquot auditoribus nostris doctis & honestis, quorum nomina adscripta sunt.

Petimus igitur ut omnium ordinum profes=sores, et Auditores, ad eam renunciationem gra=dum conueniant, non solum ut suum studium er=ga harum artium doctrinam, quas constat Ec=clesiæ Dei & uitæ humanæ necessarias esse, de=clarent: sed etiam, ut in illo ipso consessu gra=tias agant Deo æterno patri domini nostri Iesu Christi, quòd lucem doctrinæ non sinit extingui, & ardentibus uotis petant, ut harũ regionum Ec=clesias et scholas, & earũ domicilia gubernet, & protegat, & salutaria doctrinæ studia accendat. Hunc uitæ præcipuum finem intelligere nos de=cet, uidelicet conditam esse hanc hominum naturam, ut sit Templum Dei, & noticiam

Dei circumferat, ut filium Dei dominum nostrum Iesum Christum agnoscat, ac celebret, & propagationem doctrinæ honestis moribus ornet. Ad hunc finem consilia uitæ præcipua dirigantur, ad quem assequendum & tuendum in hac communi uitæ consuetudine etiam Deus ipse & testatur opus esse literis, & studia excitat ac defendit. Nam profecto sola humana diligentia sine ope diuina non possunt tanta uitæ bona seruari. Te igitur Iesu Christe fili Dei crucifixe pro nobis, & resuscitate, oramus, ut nos regas & adiuues, ut labor noster sit salutaris Ecclesiæ tuæ, & ut fructus noster maneat, sicut dixisti te mittere discipulos, ut fructum ferant, & ut fructus eorum mancat.

RECTOR ACADEMIAE HVLDE. MORDEISEN D.

DEcessit ex hac uita honestus adolescens Bauaricus, natus in oppido N. Leonhardus Zeller, cui hodie hora 4. funus fiet.

Hortamur igitur scholasticos, ut tunc conueniant ad uicum, cui à cupro nomen est. Adferamus autem ad hos congressus cogitationem de communibus

communibus & priuatis miserijs, & oremus Deum, ut eas leniat. Non solum in Germania, sed & in Italia, & Gallia fames formidatur, & nunc in Italiam ex Germania inuehitur frumentum. Quare Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi oremus, ut nos regat, & colligat sibi inter nos Ecclesiam perpetuam, & seruet aliqua Ecclesiæ & studiorum domicilia. Die 9. Septembris.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS THEOLOGICAE.

AGnoscendum est, & non solum grata uoce prædicandum, sed etiam omni officio fouendum, tuendum & ornandum ingens beneficium Dei, quòd ministerium Euangelij, quo colligitur Ecclesia æterna, seruat in mundo, nec deleri sinit. Id autem ita seruat, ut uelit studia doctrinæ cœlestis coli, & ex hoc ipso discentium numero, & ex hac nostra militia scholastica excerpit ministros. Ideo semper Ecclesijs frequentibus fuerunt adiunctæ scholæ Euangelij, ut Alexandriæ, Antiochiæ, Ephesi. Hanc uoluntatem Dei Iuuentus cogitet, ac discat has

ſcholas non eſſe palæſtras licentiæ & petulantiæ, ut fuerunt Ethnica gymnaſia, ſed eſſe cœtus congregatos in nomine filij Dei, imo eſſe templa, in quibus uerè habitat Deus. Vt igitur atrox ſceleſſet, turbare congreſſus in templis: ita ſciant ſcholaſtici, uerè ſceleſſe, exempla edere in ſcholis indigna bonæ mentis hominibus, præcipuè autem uenerentur ſtudia Euangelij, propter quæ Deus reliquas artes ſeruat.

Proximo autem die 17. Septembris publicè renunciabitur teſtimonium Collegij noſtri de ſtudijs & gradu uiri uenerabilis M. Petri Hegemonis. Hortamur igitur omnes honeſtos, & uenerantes miniſteriũ Euangelij, ut ad eam renunciationem gradus uſitato loco conueniant, ubi adoleſcentes & eruditas commonefactiones audiant, & ardentibus uotis petant à Deo, ut propter ſuam gloriam hæc noſtra literarum & Euangelij ſtudia, & honeſtam diſciplinam, quæ ſunt ſumma huius uitæ bona, regat & defendat. Sicut in Eſaia clementer promittit: propter nomen meum, & propter laudem meam reprimam indignationem meam, ne pereas, propter me, propter me faciam, ut non blaſphemer. In hanc promiſſionem mentes noſtræ defixæ ſint,

ANNO 1545.

& eius cogitatione precationem accendant.

RECTOR ACADEMIAE

HVLDERICVS MORDEI-SENI. V. DOCTOR.

SIcut in aluo matris sedet fœtus tectus suis inuolucris, quæ si ruperit ante tempus, abortum & interitum sibi accersit: Ita tota hominum natura lege Dei contineri, & coherceri quasi inuoluta debebat. Sed quia lacerata lege multis errantibus cupiditatibus, & magnis furoribus à Deo discedunt homines, ruunt in horribiles pœnas. Hinc sunt tam multæ publicæ & priuatæ calamitates, quæ sunt commonefactiones de ira Dei, quæ quidem tanta est, ut placari non potuerit, nisi Filius λόγος καὶ εἰκὼν ἀϊδίου πατρὸς fieret uictima, qui pro nobis deprecans, & sanguinem sudans, sensit in sese effusam æterni patris iram. Hic autem factus est ἱκέτης, & placator, non ut nos effrenes prauis cupiditatibus indulgeremus, sed ut nos rursus Deo tanquam capiti membra adiungeret, ut Paulus inquit, Christum omnia, quæ sunt in cœlo & in terra ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est, dispersum genus humanũ reuocasse, et adiunxisse

Deo

Deo tanquam capiti uniuersam Ecclesiam in cœlo & in terra. Rursus igitur uclut in aluum inclusi, amemus legem Dei, nec eam petulantia nostra laceremus.

Ad hæc officia discenda & præstanda, omnes gradus disciplinæ instituti sunt, Magistratus, leges, scholæ, doctrina, pœnæ. Et ad magistratuum officium pertinet, assiduè de his tantis rebus suos cœtus commonefacere, ut scribit Paulus: Hæc dicito, sis hortator, & obiurgator cum omni imperio. Ac Deo iuuante labor hic multos retinebit in officio. Itaq; præcipimus, ut hodie hora 12. omnes scholastici ueniant in auditorium Collegij, ac audiant uocem legum. Recitabuntur enim statuta Academiæ, quæ & legem Dei proponunt, & quædam ciuilia uincula disciplinæ continent, quæ Deus uoluit magistratibus curæ esse, ut pœnis coherceantur petulantes, & tollantur contumaces. Verissima est enim uox Aeschinis recitata à Demosthene: Οὐδὲν ὄφελος πόλεως, ἥτις μὴ νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἔχει, id est, Nihil ualet Respub: quæ non habet neruos ad cohercendos improbos. Oramus autem Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi, ut hanc scholam, in qua uox Euangelij sonat, seruet & regat. Et quanquam

bellum

bellum geritur, ut scitis, satis periculosum: tamen speramus Deum protecturum esse & Ecclesias has sonantes uocem Euangelij, & politias, quæ sunt earum hospitia, Quia scriptum est: Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & ego & pater ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Die 11. Octobris.

RECTOR ACADEMIAE
HVLDERICVS MORDEISEN.
VTRIVSQVAE IVRIS DOCTOR.

QVod faustum ac fœlix sit, cras hora 7. eligetur Academiæ Rector, qui usitato more in publicum adducitur, ut scholasti magistratum sibi præponi sciant.

Mandamus igitur omnibus auditoribus huius scholæ, ut cras in hoc maximo auditorio hora septima conueniant, ac Rectoris electi renunciationem audiant. Imo uero etiam, ut pijs precibus à Deo æterno patre Domini nostri Iesu Christi petant, ut studia doctrinæ, quæ uitæ necessaria est, regat, iuuet et defendat. Ac bonæ & piæ mentes excuscitent se ad precandum cogitatione belli periculosi, & ueterum Historiarum, in quibus

de ira

de ira Dei nos ruinæ florentißimorum Imperiorum commonefaciunt. Cum igitur Dei beneficium ſit, ſeruari politias, doctrinam, & diſciplinam, hæc bona ardentibus uotis ab eo petamus, & ut mentes ſint attentæ precationi, ſit uita moderata, & frenentur iuuenilis impetus. Tales preces Deus ſeueriſſimè poſtulat, & non eſſe irritas toties adfirmat. Meminiſtis enim uocem filij Dei, Quanto magis pater cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus? Quæleſcunq; ſunt hæ ſcholarum politiæ, certe ſi in eis rectè ſonat uox Euangelij, ſunt præcipua pars Eccleſiæ Dei, & uerus ac perpetuus Rector eſt filius Dei, qui cum nominetur λόγος, etiam ſtudia noſtra, quæ ſunt λογικὴ λατρεία defendet. Pridie Lucæ.

IVSTVS IONAS IVNIOR.

MAgnum profecto decus & ornamentum eſt uitæ & Eccleſiæ, cognitio Philoſophiæ, ſi rectè percipiantur artes, & genera doctrinarum. Nec fruſtra putemus uitam conſilio Dei inſtructam eſſe artibus: Deinde nobis quoq; in hac ſcholaſtica militia, intelligamus diuinus mandatum eſſe, ut poſſeßionem literarum tueamur. Etſi igitur operæ noſtræ in ſtudijs lite-

dijs literarum ab indoctis non magni æstimantur, tamen nos uoluntati Dei seruiamus, nec extingui doctrinæ lucem sinamus, quæ uitam hominum præcipuè regit. Multorum uita consumitur acerbis contentionibus de nihili rebus, ut olim Periclis, Cleonis, Alcibiadis, Lysandri, & aliorum innumerabilium. Nos uerò gaudeamus, nos uocatos esse ad tales labores, qui prosunt Ecclesiæ & posteritati in totam æternitatem, ut Paulus inquit: Non est inanis labor uester in Domino. Harum causarum cogitatione nos ad discendum excitemus, & ordine per artes duci nos sciamus, ut initia rectè percipiamus. Nam ob hanc causam toties proponuntur admonitiones de Arithmetica & Geometria inter discendum. Vt igitur studia nostro loco pro uirili iuuemus, decreui rursus aliquot Euclidis libros enarrare. Idq; significandum publicè duxi, ut plures ad hæc Elementa audienda inuitarem. Deus uult nos cœlum aspicere, ut commonefacti arte ac ordine motuum, uerè statuamus, hunc mundum non extitisse casu, sed uerè ab æterna mente Architectatrice conditum esse. Et multis uitæ partibus utilis est mediocris cognitio motuum cœlestium. Ad hanc artem nõ patet aditus, nisi numerorũ, et figurarũ doctrina percepta. Ideo artes de his duabus

rebus

rebus Plato alas mentis uocat, quæ ſubuehunt nos in cœlum. Hæc ſæpè cogitanda ſunt, ut ad hæc ſtudia nos exuſcitemus. Qui autem hac noſtra opera uti uolent, conueniant me intra hoc triduum in mea habitatione. Calend. Nouemb.

RECTOR ACADEMIAE AVGVSTINVS SCHVRF MEDICAE ARTIS DOCTOR.

SEmper Deus aliquas politias uoluit eſſe hoſpitia Eccleſiarum, & aliquos gubernatores fouere ſtudioſos doctrinæ cœleſtis. Vt quanquam in Iſrael reges cœtum ſcholaſticum, qui audiebat Heliam, undiq; pellebant, tamen Abdias multos incluſos in ſpeluncas montium, texit & pauit: Ita nunc Deus hæc ſcholaſtica agmina ſeruat. Dum reges alibi ſæuiciam exercent, dum bella impia moliuntur, nos tamẽ ut in Abdiæ ſpelunca diuinitus tegimur. Hæc diuina beneficia agnoſcamus, & Deo gratitudinem præſtemus ueris officijs, celebremus eum, & propter ipſum ſimus modeſtiores, cum ſciamus nos & Eccleſiæ membra, & ei curæ eſſe. Vt autem Abdias pauit aliquos Heliæ auditores: Ita nunc Illuſtriſſimus Princeps ſtipendia aliquot ſcholaſticis conſtituit

& horum

& horum uult inſpici ſtudia. Ideo examen hodie inſtituemus. Et quoniam non omnes uno die audiri poſſunt, nunc partem uocamus. Præcipimus igitur ijs, qui ex hac Saxonica ditione, quæ eſt Ducis Electoris propria, ad ſtipendia delecti ſunt, ut hodie hora duodecima in domo nouæ Academiæ, in qua eſt auditorium Iuris Conſultorum, conueniant, ubi examen inchoabitur. 15. Nouembris.

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF. D.

Dies me admonet de pia matrona Eliſabeth principe Thuringica, cuius uidi literas, in quibus donat certos reditus pauperibus urbis Gotthæ. Ita Deus ſubinde aliquos principes excitat, qui foueant Eccleſias, & ſua bonitate eos tegit. Oremus igitur, ut nunc quoq; Illuſtriſſimum Ducem Saxoniæ regat, adiuuet, & ſeruet, qui etiam iuuat ſtudia pauperum. Et quoniam examen ſcholaſticorum, quibus ſtipendia decreta ſunt, inchoatum eſt, duxi ſignificandum ijs, qui ex regione gentis uetuſtæ Myſorum delecti ſunt ad ſtipendia, ut proximo die Saturni conueniant in domo Academiæ, ubi eſt auditorium Iuris Conſultorum. Sint Myſi eo ſtudio-

flores uirtutis, ut ueterem laudem tueantur. Nam ab Homero hominum iustißimi uocantur.

PHILIPPVS MELANTHON.

TEmpestates significari positu stellarum, hoc anno illustribus exemplis animaduerti potuit. Nam siccitas post Iulium insignes causas habuit, & post duos menses ceperunt exiguæ pluuiæ esse, cum Luna uenit ad humida signa, & nunc est in Cancro, & concurrit Hædorum, & Orionis occasus, de quo Virgilius inquit, Nimbosus Orion &c. Harum rerum doctrinam amare utile est. Ibi enim & hoc animaduerti potest, Deum sapientißimum consilio ita ordinasse ortus & occasus, ut terræ conducant. Ideo enarro Ptolemei Quadripartitum, & hodie hora tertia secundum librum inchoabo, qui eruditè de tempestatibus, & regionum uicißim differit. Quare scholasticos adhortor, ut frequentiores audiant.

RECTOR ACADEMIAE AVGVSTINVS SCHVRF DOCTOR.

Vt Prophe-

ANNO 1545.

VT Propheta Deum orat, Domine in ira tua misericordiæ recorderis: Ita nos agnoscamus, calamitates humanas non casu accidere, scriptum est enim: Omnes capilli capitis uestri numerati sunt, sed castigationes esse, quibus ad Pœnitentiam uocamur, & ardentibus uotis oremus, ut mitigentur pœnæ, ut sint superstites aliquæ Ecclesiæ, scholæ, & politiæ, in quibus Deus celebretur. Ideoq; cum iam magna pars oppidi Gotthæ perierit incendio, expauescamus cogitatione iræ Dei, & nos ad pœnitentiam, modestiam, & ad ardentes precationes excitemus. Erimus autem erga calamitosos magis officiosi, si uere cogitabimus, nos quoq; pœnas meritos esse, & Deum uelle ijs mitigare pœnas, qui afflictis opem ferunt, ut dicitur: Beatus qui intelligit super egenũ & pauperem, in die mala liberabit eũ dominus. Itaq; Academia de publico largietur Elemosynam Gotthanis, & hoc triduo uestras Elemosynas collectura est. Id publice hîc significatur, ut benignius conferatis, quod facerẽ uos iustißimũ est. Quia Deus uult nos adfici dolore in aliena calamitate, uult etiam parcere ijs, qui misericordia erga alios adficiuntur.

Virtute etiam ciuitatis Gotthæ mouea-mur. Nam eius loci Ecclesia & schola piè

reguntur, & multum prosunt toti uiciniæ. Et in oppido firma & salutaris est ministrorum Euangelij, & Senatus concordia, & disciplina honestè communibus consilijs defenditur. Ac Senatus studijs literarum fauet, eaq; mediocriter adiuuat. Hæc sunt uera politica ornamenta, longe maiora, quàm opes aut imperia.

Cogitemus autem eos non solum propter sua aliqua uitia, ut humana diligentia non cauet omnes lapsus: sed etiam propter exemplum castigatos esse, ut nos aliorum pœna commonefacti, simus modestiores. Non putate casu, sine consilio Dei, politias aut florere, aut concuti. Nota est enim uox: Nisi dominus custodierit ciuitatem &c. Ideo agnoscamus præsentiam Dei, & simus diligentiores in regendis moribus, ac oremus, ut nos seruet & regat. Die 22. Nouembris.

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF D.

DElecti ex Thuringica iuuentute ad stipendia, hodie hora duodecima conueniant in domo Academiæ, in qua est auditorium Iuris consultorum, Sciunt enim Illustrissimi Principis

mi Principis uoluntatem de examine, cuius be=
nignitatem nostra diligentia confirmare debe=
mus. Et quidem hodierna lectio nos admonet, ut
in omni officio simus diligentiores, in qua com=
memorantur pericula horrenda ultimæ ætatis,
Sed addit Christus consolationem, quæ nobis sæ=
pe cogitanda est. Promittit enim mitigationem
malorum pijs in Ecclesia discentibus, & inuo=
cantibus eum, imo significat se tantisper seruatu=
rum esse politias, donec in eis colentur Euangelij
studia. Vigesima secunda Nouembris.

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF D.

Vocamus ad examen adolescentes gentis
Variscæ, quam nunc Voitlandiam uo=
cant, delectos ad stipendia, eosq; die pro=
xima Saturni hora duodecima, in domo Academ=
miæ, in qua auditorium est Iuris consultorum
conuenire uolumus. Eo autem studiosius conue=
niant, & sint instructiores, ut modestiam & di=
ligentiam Illustrißimo principi prædicare poßi=
mus, ut eius erga literas benignitas confirmetur.
Deum etiam pij scholastici orent, ut has politias,
quæ sunt Ecclesiarum hospitia, seruet, & ornet,

ut ornauit domum uiduæ Sareptanæ, quæ hospi=tium Heliæ præbebat. Die 26. Nouembris.

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF D.

HEri *significaui delectis ad stipendia ex gente Varisca, quæ est Voitlandia, ut cras hora 12. in domo Academiæ, in qua est auditorium Iuris consultorum conueniant. Idem rursus significo, ut si qui hesternam chartam non uiderunt, nunc commonefiant. Vetus appel=latio indicat fuisse eximiam eius gentis fidem. Opinor enim Variscos à germanica uoce, quæ ueritatem significat, dictos esse, quasi ueraces. Hoc pulchrum decus nunc quoq; tueri studeant, & non solum in ciuilibus pactis, sed etiam in do=ctrina cœlesti ueritatem ament, & colant. Et ut hoc studium nobis declarent, cras hora 12. ut di=ctum est, conueniant. Die 27. Nouembris.*

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF. D.

PLærique *uidistis senem ciuem egressum an=nos* LXXX. *cui nomen fuit* Tilo Den, *cu=ius & in iuuenta magnum fuit ingenium, & nunc*

& nunc in senecta, memoria, ratiocinatio, & mentis uires adhuc admodum uigebant. Cumq; fuerit eximia eius prudentia, magistratus in hoc oppido gessit, & de literarum studijs bene sensit. Nam & ipse in Iure, gradu primo ornatus fuit, & Deum piè inuocauit, ac sæpè testatus est, se gaudere, quòd emendata doctrina Ecclesiæ, ueram inuocationem, & firmas consolationes didicisset.

Hic senex hac nocte ex hac mortali uita, ad eternam Christi, & beatorum consuetudinem euocatus est. Vt igitur funeris ceremoniæ pie seruentur, hortamur scholasticos, ut ante eius edes hora quarta conueniant, ubi cum cæteris cogitanda sunt, quæ de causis mortis, de iudicio futuro, de resurrectione, de beneficijs filij Dei in Euangelio traduntur: Tum hoc etiam cogitetur, quàm rarum bonum sit curriculum LXXX. annorum, in quo nulla bella in patria uidit. Pro hoc tanto bono seniores agant Deo gratias, & petant iuniores, & seniores, ut deinceps quoq; Deus his regionibus pacem salutarem Ecclesijs, studijs, & disciplinæ concedat. Simus etiam modestiores, cogitantes uitæ fugacitatem, & iudicium Dei. Nam etiam longum uitæ spacium, quid est, cum præterijt? ut

uere inſcriptum ſit ueteri cuiuſdam urnæ, πάντα βαιὰ βίος, id eſt, omnia uitæ fugacia & breuia ſunt. Die Andreæ, Anno 1545.

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA ANNO POST NATALEM CHRISTI. 1546.

RECTOR ACADEMIAE AVGVSTINVS SCHVRF D.

DElecti ad ſtipendia hodie hora duodecima in arce conueniant, Miſit enim Illuſtriſſimus Princeps dux Saxoniæ Elector &c. Pecuniam, quam uult eis diſtribui, ac nunc quidem plus octingentis aureis diſtribuetur, quod eo recenſemus, ut ſcholaſtici uerè amantes Eccleſiam Dei, conſiderata hac munificentia, agant Deo gratias, flectenti mentes aliquorum piorum Principum ad curam tuendi ſtudia literarum, & ſua diligentia in diſcendo, & regendis moribus, alant talium principum beneuolentiam erga ſcholaſticum ordinem, imo precentur etiam Deum æternum Patrem Domini

noſtri

nostri Iesu Christi ardenti fide, ut pro hac Elemosyna uicissim benefaciat his politijs, quæ præbent hospitia Ecclesiæ Dei, ut Sareptana uidua Heliæ præbuit. Et multa sunt illustria testimonia, hactenus has politias non tam humanis præsidijs, quam diuinitus tectas, & defensas esse, ut discamus & nostris exemplis, uerè custodiri Ecclesiam etiam in hac senecta à Deo, sicut apud Esaiam inquit Deus, Ego condidi Ecclesiam, ego gestabo, ego senescentem portabo, ego saluabo. Hanc dulcissimam promissionem, cum nobis tradiderit Deus, non putemus eam inanes sonos esse, sed statuamus reuera Deo curæ esse cœtus discentes Euangelium. Cum igitur sciamus nostros labores non fore irritos, sed salutares nobis & alijs, quia à Deo gubernantur, & defendantur: hac fiducia colamus & ornemus studia, & defensionem & successus fœlices petamus, & expectemus à Deo. Decima Ianuarij. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE

AVGVSTINVS SCHVRF D.

IN Deuteronomio scriptum est de Deo: ipse est uita tua, & longitudo dierum tuorum. Oremus igitur Deum, ut seruet aliqua bona

ingenia tanquam seminaria Ecclesiarum, & diligentia quadam ipsi tueamur ualetudinem. Hac nocte honestus & doctus adolescens Iohannes Scheffer Sangerhusanus ex hac uita & schola, in æternam Christi scholam euocatus est, cui funus fiet hora duodecima. Quare scholasticos hortamur, ut conueniant in platea paululum infra Collegij ædes, ut funeris ceremoniæ pie seruentur, & in cœtu pro sese, & pro alijs Deum precentur, ut det & gubernet uitam nostram, & cogitatione iudicij futuri nos ad pietatem excitemus. Vtinam quidem Adolescenti huic Sangerhusano longior uita concessa esset. Nam & mores eius erant honestissimi, & ingenium erat usui futurum Reipub. Nam erudite scribebat solutam orationem, & uersus, & nunc in extremo uitæ actu, uera inuocatione filij Dei testatus est, se uerè coluisse & colere Deum. Cum autem hinc Dei uoluntate euocatus sit, commonefieri nos de nostra imbecillitate cogitemus, & à Deo ardentius petamus, ut seruemur & regamur. Die decima octaua Ianuarij. 1546.

Rector

ANNO 1546.

RECTOR ACADEMIAE AVGVSTINVS SCHVRF D.

Scitis Ecclesiam Dei subiectam esse cruci propter multas causas. Quare uult Deus, ut communes ærumnas modestè feramus, & quantum possumus, mutuis officijs eas leniamus. Postquam igitur annonæ precia creuerunt, & impoßibile est nobis in collegio mensam usitato precio quatuor grossorum tueri: nõ est æquum, ut solus Oeconomus sustineat illam molem. Re igitur deliberata, decreuimus, ut singuli conui-ctores deinceps ab hac Septimana addant unum grossum, atq; ita pro Septimanæ sumptu sol-uantur quinq; großi, laxata uerò annona fu-tura æstate, ut ßperamus, hanc acceßionem precij etiam remittemus. Non captamus lucra, nec quicquam auare in hac re decreuimus, imo prudentiores scholastici omnes haud du-bie uident, cogi nos neceßitate nunc petere ac-ceßionem aliquam. Deus uberiorem messem dabit, si onerum æqualitate iusticiam colemus utrinq;, nos & nostri hoßpites. Quare scho-lasticos hortamur, ut boni consulant hoc nostrum decretum. Cogitemus Ecclesiam ubiq; terrarum multas magnas difficultates sustinere,

ſuſtinere, nec nos à communi lege eximamus, ſed ſocietate communium ærumnarum commonefaciamus nos ipſos de uoluntate Dei, de pœnis peccatorum, de inuocatione, & petamus mitigationem à Deo æterno Patre Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut ſcriptum eſt: Iacta curas tuas in Deum, & ipſe te enutriet. Alit Eccleſiam mirandis modis deſertam à potentibus, ut pullos coruorum, gignens in nidis uermiculos, etiamſi parentes auolantes negligunt implumes natos.
Die uigeſima quarta Ianuarij.

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF D.

APud Eſaiam inquit Deus de pijs doctoribus: Poſui uerba mea in ore tuo & umbra manus meæ protego te, ut plantes cœlos. Qua uoce teſtatur Deus, à ſe defendi Eccleſias ſuas, & pias ſcholas, quod nos ſæpe experimur, & Deo protegenti nos, gratias agamus. Præcipimus etiam noſtris auditoribus, ut cogitent præcipuum ornamentum Eccleſiarum Dei eſſe, agmina ſcholaſtica, quæ recte faciunt officium ſuum, & modeſtiam præſtent conuenientem Eccleſiæ Dei.

Quanquam

Quanquam autem plæroſq; ſcimus mediocriter regere mores, tamen magno cum dolore uidemus in tanta turba peregrinorum, multos etiam eſſe ignauos & petulantes. Suſpicamur etiã aliquos inſidiatores, ut in alienis caſtris, hîc uagari. Nuper enim fomites incendiorum duo in tenebris nocturnis coniecti ſunt in loca certa, ubi plurimum erat periculi. Hoc publicè ſignificandum eſſe duximus, ut boni, & iuſticiæ amantes ſint magis intenti in alios tum petulantes, tum ſceleratos, & talia conantes reprimant. Si qui etiam à nobis & à Magiſtratibus deprehendentur, adficientur iuſtis pœnis, quibus legum ſeueritas graſſatorum furores reprimi iubet. At nunc omnibus, qui ad noſtram Iuriſdictionem pertinent, prohibemus fomites incendiorum iaculari. Et huic noſtro edicto religione Iuriſiurandi, ſemper obtemperare omnes uolumus, pronunciaturi periuros, quicunq; contra hoc edictum fecerint. Ac ſperamus quidem Deum æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, hæc templa, has doctrinæ ſedes, & paruorum puerorum tuguriola cuſtoditurum eſſe, quod & ueris uotis ab eo petimus. Sed ſcelerati illi, quos diabolus armat, ut hoc Eccleſiæ hoſpitium turbent, certè in pœnis hærebunt. Quia punit Deus

periuria.

periuria. Et Filius Dei inquit: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Magis enim scelerati sunt insidiatores, qui titulo scholasticorum intra moenia uelut abditi in equo Troiano excidia moliuntur: quam latrones, qui foris quatiunt muros machinis bellicis, & tectis faces inijciunt. Sub umbra scholastici nominis latronum animos circumferre, furor est à Diabolo sceleratis immissus: non tantum audacia est humano consilio suscepta. Quare omnes honesti coniungere ad communem defensionem uoluntates & uigilantiam debent. Cumq; scriptum sit in Psalmo, Circumuallat angelus Domini timentes eum, & eripiet eos: Precamur Deum, ut hanc Ecclesiam, in qua sonat uox Euangelij, hæc templa, scholas, nostras domos, & nostras familias custodiat, & nos ac studia nostra regat.

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF D.

EGimus cum Magistratibus huius oppidi, ut ciues puniant, qui insidiantur pecuniæ scholasticorum per ludos chartarum, alcam, aut alios ludos. Ac promisit Senatus, se non defuturum esse suo officio. Nunc iustum est, &

scholasticos

ſcholaſticos auidos talium ludorum obiurgare, & præcipere, ne tempus & pecuniam ita perdant, & malas artes, & malos mores ſibi accerſant. Non enim tantum prædam aufere per fraudem in ludo furtum eſt: ſed etiam furtum eſt Deo diſplicens pecuniam à parentibus ad ſtudiorum ſumptus miſſam perdere, aut ad alios uſus transferre. Vult enim Deus nos facultatibus, etiam hæreditarijs & proprijs, frugaliter uti, cum ſint ipſius dona, quæ uult collocari in res neceſſarias. Et Parſimonia aliarum multarum uirtutum nutrix eſt. Deinde iactura temporis magni facienda eſt, & ſodalitia luſorum corrumpunt mores. Cum igitur multa mala concurrant in ludis inhoneſtis, moueantur eorum conſideratione ſaniores, & fugiant illos ludos indignos honeſtis hominibus. Habent ſtudioſi delectationes alias multas, Muſicen, Colloquia hiſtorijs, ſententijs, & multis iucundis artium materijs referta. Hæc ad hilaritatem, & ad ſuauitatem congreſſuũ multo ſunt accommodatiora, quàm iniuſta pecuniæ aucupia, aut inanes pecuniæ perditiones. Ideo & prohibemus intempeſtiuos ludos, & ludorũ aucupia, & fraudes. Et ſi deprehendemus aliquos intempeſtiue luſiſſe, aut aucupia illa exercuiſſe, ſeuerè eos puniemus. Xeno-

phon

phon inquit de Agesilao: Non modo seria negocia honestorum hominum, sed etiam ludos uirtute regi. Id Scholasticis quoq; præstandum est, qui in studio uirtutis uersantur. Vigesima quarta Ianuarij.

IVSTVS IONAS IVNIOR.

HOdie memoria Conuersionis Pauli Apostoli celebratur, quæ Historia propter multas causas diligenter & sæpe cogitanda est. Est enim & hoc ipsum factum unum ex testimonijs, in quibus se Deus Ecclesiæ euidenter patefecit. Deinde & exemplum proposuit, quo testatur nos recipi, quanquam male meritos. Cogitemus autem & de Pauli doctrina, cumq; eius disputationes sine literis non possint explicari, magis hæc studia amemus. Ac profecto sine Dialectica Paulum enarrare, est prorsus cœca nocte, sine stellis monstrantibus portum, nauigare. Deinde & ipse Paulus præcipit ὀρθοτομεῖν λόγον θεοῦ, quod sine Dialectica fieri non potest. Deniq; ignari Dialectices sæpe in alijs etiam controuersijs turpissimè hallucinantur. Quare adolescentes toties inuitantur, ut hanc artem ament, & sibi familiarem faciant. Ego igitur

igitur domi eam repetam, idq; publicè significan dū duxi, ut si qui alij me audire uolent, sciant me= am operam eis non defuturam esse. Longißima & splendidißima oratio de laudibus, et utilitati= bus huius artis haberi posset: sed nobis in Ecclesia Dei manifestum est, huius artis cognitionem ma= xime necessariam esse, ut antea mentione Pauli ostendi. Et res ipsa clamat, non posse dogmata de æterno Patre, Filio, & Spiritu sancto explicari, nisi doceantur homines, quid sit οὐσία, quid ὑπό σασις, quid λόγος, quid εἰκών, quid Spiritus, quid imputatio Iusticiæ, quid iusticia, quæ est qualitas, significent. Hæc sine Dialectica nemo explicare potest. Et Deus tantisper, donec Ec= clesiam seruabit, seruabit & huius artis doctri= nam, quæ ad enarrationem dogmatum pluri= mum lucis adfert. Tradam autem præcepta fi= deliter, & pro uirili adiungam exempla perspi= cua. Et si qui me audituri sunt, accedant ad me hac Septimana.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS PHILOSOPHI= CAE, M. IOHANNES STOL= SIVS VVITEBERGENSIS.

ANNO 1546.

BOnæ menti nihil dulcius est colloquio eruditorum, in quo de optimis artibus candidè conferuntur sententiæ, & iudicia mutua commonefactione formantur & acuuntur, Planeq; hæc collatio imago est æternæ uitæ, & scholæ, in qua cum filio Dei, Patribus, Prophetis, & Apostolis in terra, & inter sydera euntes, de Deo, & de uniuersæ naturæ opificio disseremus. Amanda sunt igitur, et tuenda scholastica exercitia, quæ talium colloquiorum facultatem nobis præbent. Deinde nos quidem, qui eiusdem doctrinæ studia colimus, libentius conuenire decet, alendæ amicitiæ causa, τέτηξ μὲν τέτηγι φιλῶ, μύρμακι δὲ μύρμηξ, inquit Poëta. Si hic sensus est in illis minutis insectis, ut natura inter se ament, multo magis inter homines Philosophos fœdus sit propter naturam & studiorum similitudinem. Petimus igitur, ut magistri Philosophiæ studiosi, cras hora prima ad publicum examen ueniant, ubi de studijs Philosophiæ, & doctrinæ Christianæ cum ijs disserendum erit, qui nunc eruditionis suæ testimonia petunt.

Rector

ANNO 1546.

RECTOR ACADEMIAE AVGVSTINVS SCHVRF D.

AVdimus quosdam petulantes in ponte deijcere lapides, & impedire operas sarcientium pontem, qui hoc præsertim tempore aliquo in periculo est. Cum autem petulantia per sese turpissima sit, & in hac re magnum detrimentum Reipub. adferre possit, seuerè præcipimus omnibus scholasticis, ne quoquo modo turbent operas in ponte, neue res conuectas, in flumen abijciant, ac ut obtemperent nostro edicto, moueantur his iustis rationibus: Quod in primis omnes hospites cauere decet, ne Reipublicam detrimentis adficiant. Deinde quòd scholastici magis etiam parcere doctrinæ hospitijs debent. Si qui autem huius edicti autoritate spreta, sument sibi licentiam grassandi in talibus locis, ut Centauri & Lapithæ apud hospites: hi instam magistratuum seueritatem experientur. Scimus multa modesta ingenia detestari suo iudicio hanc affectatam nequitiam. Cæteri uerò commonefacti hoc edicto, frenare hos barbaricos impetus discant, qui certè indignissimi sunt auditoribus filij Dei, Prophetarum & Apostolorum. Quid turpius est, quam

Centaurorum, aut Cyclopum uelle similes esse eos, qui mittuntur in Ecclesiæ scholam, ut Dei doctrinam, ut Prophetarum & Apostolorum uocem audiant? Deus igitur contumaces puniet, & Magistratui curæ erit, ut coherceatur petulantia. Datæ Calendis Februarij.

CASPARVS CRVCIGER DOCTOR,

VAlde necessarium est omnibus eruditis in Ecclesia, uniuersam antiquitatẽ, & omnium temporum certamina de doctrina nosse, ut una perpetua, consentiens, catholica sententia, certis testimonijs à Deo tradita, & magnis miraculis defensa, retineatur, & ad posteros propagetur. Et prodest legere & audire scripta Methodica, quæ integram doctrinam continent. Vt autem Esaias clamitat ad Deum, obsigna legem in discipulis: Ita et nos præsertim, in hac ultima mundi senecta, in qua plus est inconstantium & mutabilium ingeniorum, imo & deliriorum, quàm olim fuit: ardentibus uotis à Deo petimus, ut seruet multos ueræ doctrinæ custodes, & mentibus nostrorum auditorum uerè imprimat σφραγίδα, id est, Spiritum sanctum,

ſtum, ut ueras ſententias conſtanter tueantur, & Deus uerè inuocetur.

Enarrabo igitur Symbolum Nicenum, in quo ſeries articulorũ cogit nos complecti integram doctrinam, & hodie hora quarta, Deo iuuante, eam enarrationem inchoabo. Ac primum de ipſis Symbolis diſſeremus, unde ſint tradita, & quæ ſit autoritas Synodorum, an ſint teſtes prius traditæ doctrinæ, an uerò autores nouæ alicuius ſententiæ. Anno M. D. XL VI. Die undecima Februarij.

PHILIPPVS MELANTHON.

QVeritur Theocritus, ſuas Charitas ſæpè domũ redire triſtes, & accuſantes ingratitudinem hominũ, de quibus bene meritæ fuerunt, & aßidere arculis gementes, & capita prona in genibus ponentes, ut ſit in mœrore: Idem ſæpè nunc bonis ſcriptoribus accidit. Miſit huc Stigelius egregiam lucubrationem argumentorum in lectiones Euangelicas feſtorum. Oro igitur (ut redeant ei χάριτες hilariores) ut reliqua exempla ſtudioſi emant. Vtilis lectio eſt, & honos ingenio Stigelij habeatur, quod profecto eſt eximium Dei donum, & ornamentum

huius ætatis. Amplo munere donandus esset uel pro hac sola precatione, quam nuper ex Esaiæ carmine reddidit. Die decima octaua Februarij. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE AVGVSTINVS SCHVRF D.

NOn dubium est, reuerendũ uirum. D. Martinum Lutherum, patrem & præceptorem nostrum charißimum, diuinitus excitatum esse, ad repurgandum Euangelij ministerium, & monstrandum filium Dei, ut Deus immensa misericordia subinde mißis bonis doctoribus, Euangelij lucem Ecclesiæ restituit depulsis tenebris. Hoc beneficiũ Dei agnoscendum est, & cum Deo habenda est gratia, tum uerõ amandi ipsi legati cœlestes: sicut Ethei ad Abraham dicunt, Princeps Dei es uere inter nos: Ita uere inter nos Princeps Dei fuit D. Martinus Lutherus. Dolcamus igitur cum ex hac nostra consuetudine euocatum esse, & oremus filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut Ecclesiam hanc clementer seruet. Cum autem funus ei hodie faciendum sit, fortaßis statim à meridie (Nam horam nondum scimus, sed sonitu Campanæ

pænæ minoris, ſignum dabitur, quando conue-
niendum ſit) mandamus, ut in foro omnes ſcho-
laſtici conueniant, ac ibi Reuerendum D. Paſto-
rem Eccleſiæ noſtræ expectent, eumq; deinde ſe-
quantur excipientem exuuias, quæ fuerunt, &
rurſus erunt Spiritus ſancti tabernaculum.

In ipſo autem funere cogitent de beneficijs
donatis Eccleſiæ per hunc doctorem, & pro eis
Deo gratias agant. Certum eſt enim, doctrinam
de Pœnitentia, de uera Dei inuocatione, & ueris
cultibus, ab eo piè illuſtratam eſſe, cum antea te-
tris ſordibus, & falſis ac Ethnicis opinionibus
obruta fuerit. Hæc doctrina, etſi à magna mul-
titudine contemnitur, tamen uerißimè illud
margaritum eſt, quod omnibus opibus anteferri
filius Dei iußit. Petant etiam ardentibus uotis,
ne Deus ſinat extingui Euangelij lucem, & mo-
res noſtros maiore cura regamus, ne Deus irri-
tatus, iram ſuam aduerſus nos exerat.

Stillico Dux de Ambroſio ſæpè dixit, Itali-
am extincto Ambroſio, perituram eſſe, nec
uanum fuit hoc Vaticinium. Nam mor-
tuo Ambroſio, ſtatim Gotthi & Vandali
Italiam ubiq; uaſtârunt: Ita cogitemus mor-

morte huius noſtri Doctoris, aliquas pœnas denunciari, quas Deus mitiget. Vigeſima prima Februarij. Anno 1546.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS PHILOSOPHICAE, M. IOHANNES STOLSIVS.

SEmper fuit erudita uera Eccleſia & optimarum artium conſeruatrix. Quia ad explicationem doctrinæ cœleſtis profecto cognitione linguarum, & quadam naturæ conſideratione, & multis artibus opus eſt. Quare ſemper frequentioribus Eccleſijs adiunctæ fuerunt ſcholæ, in quibus pariter ſtudia doctrinæ cœleſtis, & aliarum artium floruerunt. Ideo fauere omnes bonos & huius ætatis ſcholis decet, in quibus fideliter utrumq; genus doctrinæ proponitur, Theologicum & Philoſophicum. Execrandus eſt furor multorum indoctorum, qui Eccleſiam malunt eſſe, barbaricam, ſqualidam, plenam inſcitiæ, errorum, & tenebrarum extinctis literarum ſtudijs, quàm ornatam eruditione & ueris ac rectis iudicijs. Conducunt autem hæc examina inſtituta in petitione graduum ad excitanda ſtudia, & formanda iudicia. Propter hanc cauſam

causam præcipuè consuetudinem tribuendi testimonia doctrinæ retinemus. Petimus igitur, ut omnes, qui in hac Academia uersantur, cras ad renunciationem conueniant, ut hoc officio studium suum erga Philosophiam declarent. Cogitemus nos non tantum nobis, & nostra causa uiuere, sed Deo, & ad celebrandum Deum uera inuocatione, & ueris officijs. Hoc ut fieri possit, necesse est & tueri cœlestem doctrinam, & alias artes, quæ literis continentur, quæ sunt dona Dei propter Ecclesiam generi humano præcipue tradita, & non solum ornamenta, sed nerui sunt uitæ ciuilis, quarum quidem magna laus hæc quoq; est, quod ut Plato inquit, grata Dei fama in eis sparsa est, & testantur esse Deum æternam mentem, conditricem & gubernatricem naturæ, & earum tractatio flectit animos ad moderationem, & excitat ad uerum intellectũ. Quare etiam in Ethnico poëmate dicitur, Circen non posse nocere ijs, qui studia doctrinæ colunt. Sic enim inquit Theocritus in Idyllio nono.

Οὔτε γὰρ ὕπνῳ,
οὔτ' ἔαρ ἁδυόσας γλυκερώτερον, οὔτε μελίσσας
Ἄνδεα, ὅσσον ἐμὶν μῶσαι φίλαι. ὃν δὲ καὶ ἄλλος
ὄρῃσαι

ANNO 1546.

Ϝαθεύσιμ, τῶς δ' οὔλα ποτῷ δ' αλήσατο κίρκα.
Die uigesima tertia Februarij. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE AVGVSTINVS SCHVRF DOCTOR.

HAc nocte honestus & eruditus adolescens, Petrus Ripertus, natus Francofordiæ ad Viadrum, ex hac ærumnosa uita euocatus est ad æternam consuetudinem Dei Christi, Prophetarum & Apostolorum, & iam in schola longè eruditiore & iucundiore uersatur, quàm antea, etsi hîc doctrina, & agnitione filij Dei se præparauit, ut nunc in ipso morbo animaduerti potuit. Nam assiduè fiducia filij Dei Domini nostri Iesu Christi Deum inuocauit, & se promissione reconciliationis ita confirmauit, ut admodum tranquillo animo esset. Etsi uiuere aliquos diutius pro gubernatione iuniorum necesse est: Tamen profecto his, qui iam rectè didicerunt doctrinam de Deo, & prius ex hac uita discedunt, quàm maioribus miseriis implicantur, hoc iter multo facilius est, quàm alijs, quos longa uita peccatis & ærumnis maioribus onerauit, Sed tamen uita ad hoc optanda est, ut supersint custodes doctrinæ, & cultores Dei.

Vt autem

Vt autem funeris ceremoniæ pie ſeruentur, uolumus conuenire ſcholaſticos ante ædes, quibus nomen eſt à mola uentis agitata, hora quarta, ubi & de uitæ periculis, de iudicio Dei, & noſtra liberatione cogitemus, & oremus Deum, ut bonis ingenijs concedat uitam longiorem & regat nos, ſua luce, et Spiritu ſancto. Die Matthiæ, qui eſt Natalis Caroli Quinti, Imperatoris ſemper Auguſti. Anno. 1546.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS THEOLOGICAE.

CVm omnis gubernatio uitæ humanæ, tum uerò Eccleſiaſtica omnium difficillima eſt, nec ſine præſentia & auxilio Dei ſuſtineri poteſt, ideo & nos adſiduis & ardentibus uotis ad Deum æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti clamemus, ut Moyſes, Si non præcedes nos, ne educas nos, Niſi te ipſo gubernante conſilia, & colligente, foucnte, ac tuente Eccleſiam, noſtri labores, noſtræ contentiones atq; conatus quid proficient? Eſt autem et ueſtri officij, angi cogitatione periculorum Eccleſiæ, & petere, ut ſit eius ſtatus Διόσεβὴς, *honeſtus, tranquillus & durabilis, ut præcipit Pſalmus, Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem. Hæc uota etſi quotidie repetenda ſunt, tamen*

præcipuè

præcipuè in congreßibus ſcholaſticis ingeminanda ſunt, in quibus tribuitur teſtimonium doctrinæ ijs, qui ſeruiunt in miniſterio Euangelij.

Petimus igitur, ut omnes, qui amant Eccleſiam Dei, & miniſterium Euangelij, conueniant die Martij 16. in templo arcis, ubi publicè renunciabitur Theologiæ Doctor uir honeſtus & doctus, Magiſter Maximilianus Maurus Vuitebergenſis. Vult Deus eſſe ſcholas & pia ſtudia ſcholarum Euangelij, quæ pars ſunt miniſterij Euangelici. Ex his diſcentium agminibus deligit miniſtros filius Dei, ſedens ad dextram æterni patris, dona dans hominibus, paſtores & Doctores. Fouendæ ſunt igitur ſcholæ, & iuuandæ, cum alijs officijs, tum præcipue pijs precibus. Date die 14. Martij. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF D.

HAc nocte ſtudioſus & pius adoleſcens, Henricus Appel Vratislauienſis, ex hac mortali uita, & ex hac ſchola in æternam Academiam uocatus eſt, ubi iam coram audit uidetq; Deum æternum patrem, & filium

eius

eius Dominum nostrum Iesum Christum. Et ut hîc à Spiritu sancto de Deo erudiri cœpit, & amore eius accensus est, Ita ibi iam & clariore luce perfunditur, & totus in conspectu Dei acquiescit. Exhalauit enim animam inter assiduas preces, & toto morbi tempore egregium specimen pietatis præbuit, mirifica tolerantia & animi æquitate.

Fiet ei funus hora quarta, ad quod conueniant scholastici ante bibliopolium Mauricij Bibliopolæ, & in hac uita de causis mortis, de futuro iudicio cogitent, & pijs precibus singuli suam uitam & totam Ecclesiam Deo commendent, ac petant, ut Deus bona ingenia, ut sint Ecclesiæ seminaria, seruet. Datæ Vuitebergæ, Die 13. Martij. Anno 15 46.

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF D.

IN hodierna lectione Euangelij proponitur imago utriusq; regni, Tyrannidis Diaboli, & regni filij Dei Domini nostri Iesu Christi, quæ commonefacti cogitemus, quàm tristis seruitus sit eorum, qui non sunt liberati per filium Dei à furoribus Diaboli, grassantis aduersus genus humanum.

humanum. Contra uerò quanta misericordia Dei sit, quòd filiũ nobis præsidio esse uoluit aduersus Diabolum, sicut scriptum est: Apparuit filius Dei, ut destruat opera Diaboli.

Agnoscamus igitur hæc, & filium Dei inuocemus, ut nos regat, nec sinat nos compelli à Diabolo in Tragica mala. Hæc semper & assiduè meditanda sunt, maximè uero quando fiunt congressus Ecclesiæ. Cum autem hac nocte, honesta, pietate & bonis moribus prædita coniunx Francisci Zulsdorff ex hac mortali uita euocata sit, hortamur scholasticos, ut ad funus hora quarta conueniant, & pijs precibus salutem Ecclesiæ Deo commendent. Datæ Dominica Oculi. Die 28. Martij. 1546.

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF D.

DEcessit hac nocte ciuis honestus & literis excultus Vrbanus Cranapel, qui multos annos in hac ciuitate iudex fuit, atq; in eo munere integritatem, iusticiam & diligentiam totius ciuitatis testimonio præstitit, donec

nec morbo difficili correptus, ex illa sua statione, in ocium se recipere coactus est. Mira autem constantia & patientia multos annos durantem morbum pertulit, seq; uerbi diuini lectione & auscultatione sustentauit, & expectauit horam, qua ex hac ærumnosa uita, in æternam consuetudinem Christi, quem hic agnouisset, confessus esset, & piè inuocasset, transferretur. Quam quidem, ut adesse sensit, gratias Deo æterno patri liberatoris nostri Iesu Christi egit, eiq; post confessionem constantem, animam suam pijs precibus commendauit. Huic Vrbano Cranapel funus fiet hora 12. Volumus igitur, ut omnes scholastici ad ædes ipsius, quæ sunt uicinæ arci, conueniant, & suum officium in conseruanda honestißima funerum cæremonia piè declarent, qua admonemur, ut cogitemus de nostra mortalitate, de causis peccati & mortis, de beneficijs Christi, de reparatione huius fragilis naturæ, & de uita æterna. Decet enim nos, ut pios milites, bonis omnibus prosequi eos, qui in communi militia rebus pro suo loco bene gestis, ex acie in tutum receptum euocantur, & precari, ut nobis quoq; liceat confecto utiliter nostro curriculo,

curriculo, cum bona conſcientia hinc decedere, & expectare noſtri imperatoris Chriſti & totius cœleſtis exercitus iudicium de rebus, quas in ſua quiſq; uocatione geſſit. Datæ 3. die Aprilis. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF D.

OBijt heſterno die pia ac honeſta matrona Benedicta, relicta uidua clariſſimi uiri Ioannis Hondorfij, olim conſulis huius ciuitatis, qui de Eccleſia, Republica, & ſchola noſtra præclarè meritus fuit. Et ipſa Benedicta cum uiuo marito fidem ac pietatem coniugalem egregiè præſtitit, tum poſt mortem eius, uidua ſanctiſſimè uixit, & magno ſtudio ac aſſiduitate, Dei uerbum legit ac publice audiuit. Ita ut uere dici queat, quod de Anna prophetiſſa Lucas ſcribit, non diſceſſiſſe eam de templo ſeruientem ieiunijs & obſecrationibus, non tantum ut luctum ſuum leuaret, & ſolitudinis dolorem leniret, ſed multo magis ut Chriſtum filium Dei recens his locis patefactum, ulnis ſuis exciperet, & complecteretur, quem quidem pie, dum uixit, coluit, & moriens ardentibus uotis inuocauit, ſuamq;

ſuamq; pietatem, liberalitate tum erga alios egentes, tum erga pauperes ſcholaſticos & miniſtros Eccleſiæ declarauit. Ei *funus fiet hodie hora 2. Volumus igitur, ut omnes ſcholaſtici ante ædes ipſius conueniant, & in conſeruanda piæ funerum cæremoniæ officium ac obedientiam ſuam declarent, ut decet homines agnoſcentes ſuam mortalitatem, & reparationem huius fragilis naturæ expectantes.* Datæ *Quarta Aprilis.*

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF. D.

DEceßit hodie honeſtus & ſtudioſus & bene literatus adoleſcens, Henricus *Nouiomagus* Geldrenßis, *qui cum antea piè uixit, tum uerò in hoc ipſo agone perſpicua confeßione & inuocatione filij* Dei *oſtendit, ſe quoq; teſtari, ueram eſſe doctrinam de* Deo, *quæ ſonat in* Eccleſia Chriſti. *Quare ſperamus eum iam in alia ſchola multo eruditiore & iucũdiore uiuere, in conſuetudine* Dei, Chriſti, Prophetarum *&* Apoſtolorũ. *Corpus autem ſepelietur hodie horâ quartâ à meridie: Ideo ſcholaſticos hortamur, ut ad funus in foro ante ædes* Chriſtiani Beiers *conueniant, ut ritus funerum piè ſeruentur, qui*

instituti sunt, ut ibi de causis mortis, de iudicio futuro, & de beneficijs Christi cogitemus, & uitam suam quisq; Deo commendet. Etsi enim uetustas ignara Dei dixit: Optimum esse non nasci, *aut cito mori, tamen nos sciamus, uitæ longius spacium propter tres causas expetendum esse, Primum ut ipsi doctrinam de* Deo *discamus, Secundo, ut eam in uitæ periculis & in inuocatione exerceamus, & in nobis ueram sententiam confirmemus. Postremo ut confirmati alios quoq; erudiamus. Datæ Octaua Aprilis.*

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF
DOCTOR.

VEtustissimæ in Ecclesia pœnæ duæ fuerunt, segregatio, & excommunicatio, quarum exempla à primis patribus sumpta sunt. Et in ueteribus Canonibus, prior, quæ est mitis commonefactio uocatur ἀφορίζεσθαι. Altera multo tristior, uocatur ἀναθεματίζεσθαι, quæ pœna præcidit hominem à tota societate Ecclesiæ, quæ quidem & Deum contra præcisos tanquam hostes inuocat. Nec est uana hæc inuocatio. Has pœnas & nostri conuentus doctrinæ

doctrinæ causa instituti, minantur. Relegatio leuior est, sed exclusio atrocior. Et in his, qui propter uiolatam iuris iurandi religionem ex nostris conuentibus eiiciuntur, crimen ipsum non solum infamiam parit inter homines, sed etiam irritat iram Dei. Et expressè minatur Deus pœnam periuris, cum ait in secundo præcepto: Non erit impunitus, quicunq; nomen Dei uane usurpauerit. Et hanc uocem Deus omnibus seculis, uniuersalibus exemplis confirmat, quæ etiam Ethnicos mouerunt, ut prouidentiam diuinam, & iram aduersus scelera agnoscerent, ut dicta plurima grauissimorum scriptorum ostendunt, Et noti sunt uersiculi:

Ah miser, & si quis primum periuria celat;
Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.

Est enim iuramentum inuocatio Dei, quâ duæ res maximæ continentur. Nam in ea inuocatione testamur, nos Deo tribuere debitam gloriam, quòd sit inspector rerum humanarum, amans ueritatem, & puniens fraudes, ac simul petimus, ut nos puniat, si fefellerimus. Qui igitur contra iuramentum

faciunt, facto ipso ostendunt, se negare Deum esse inspectorem rerum, & cum prouocauerint Deum, ut puniat fallentes, & sit hostis. Deus gloriam suam defendit, & iustè irascitur ijs, qui detrahunt ei uerum honorem, scilicet prouidentiæ, & insuper tanquam lacessere ausi sunt, quasi dicerent, si est Deus, declaret in hac pœna. Hic tantus contemptus Dei, inest in uiolatione iurisiurandi. Ideo homines summo studio reuerentiam iuramenti in sese & in alijs confirment, nosq; iuuentuti hanc admonitionem sæpè proponendam esse censemus. Sciunt autem nostri auditores, in legibus Academiæ disertè positum esse, Cum iurisdictionis neruus sit iuramentum, intelligi omnes, qui mandato Rectoris retinentur, seu uadimonio obligantur, aresto ut uocamus, retineri iuramenti religione, eosq; iudicari periuros, qui discedunt ignorante, aut non concedente Rectore. Sic autem discessit hinc nuper, N. nec sciente nec permittente Rectore, qui cum manere iusserat, & cognitionem negotij expectare, cum quidem alium atrociter læsisset. Optamus autem, ut à Deo ueniam delictorum petat, & discat mores diligentius regere. Quare cum mitiore pœna commonefaciendum esse duximus,

ximus, & relegamus eum, ut hinc triennium proximum abſit. Die 12. *Aprilis.*

RECTOR ACADEMIAE AVGVSTINVS SCHVRF D.

INtelligimus ex hominibus dignis fide, multos conſcendere aggerem, nec tantum impedire operas, ſed etiam illa diſcurſatione paßim uel ceſſpites, uel arenarum cumulos impellere, qui impulſi magnas ruinas trahunt. Cum autem & prius edicta propoſita ſint, quæ conſcendi aggerem prohibent, iuſtè uituperatur contumacia illorum, qui eius edicti autoritatem contemnunt.

Nunc igitur rurſus & de ſententia Illuſtrißimi Principis, Ducis Saxoniæ, Electoris etc. & Burggrauij Magdeburgenſis, & noſtro nomine ſeuerè præcipimus omnibus, qui ad noſtram Iuriſdictionem pertinent, ne in aggerem conſcendant. Suntq; tres graues cauſæ huius noſtri edicti, quarum prima eſt, quòd ingrati & ualde iniuſti ſunt hoſſpites, qui Rempub. quæ præbet hoſſpitium, detrimento afficiunt, ut faciebant Centauri & Lapithæ. Ac præſertim impium eſt, literarum & doctrinæ cœleſtis hoſſpitia turbare.

Scitis autem uos esse hîc hospites, & frui optimarum rerum necessaria doctrina. Cum igitur in uniuersum omnes hospites deceat modestia, maximè uos in literarum hospitijs oportebat tranquillos & bene moratos esse.

Altera causa est, quòd uolumus uos reuerentia Illustrissimi principis & Rectoris moueri. Nimis barbari sunt, qui cogitant leuem autoritatem esse horum edictorum. Quæcunq; causa erat harum prohibitionum, tamen uoluntati Illustrissimi principis & nostræ parere uos iustum est, nec confirmanda est petulantia uiolatione huius edicti & similium, sed moderatione & obsequio alenda est reuerentia magistratuum. Nos igitur si quos audiemus contra edictum fecisse, carceri inclusos commonefaciemus, ut discant hospitij iura, & reuerentiam, quæ Magistratibus debetur.

Tertia causa est, quòd in turbatione operarum, rixæ exoriri possent. Vt igitur respublica sit tranquillior, & singulorum incolumitas tutior sit, occasiones rixarum prohiberi necesse est. Vetus est illud uerissimè dictum, uitare peccata est uitare occasiones peccatorum. Idem de

periculis

periculis uerißimè dici poteſt. Non ita indulgeat ſibi iuuentus, ut omnes ludos, omnes omnium congreſſus, omnibus temporibus & omnibus locis ſibi permitti uelit. Sit ratio gubernatrix omnium officiorum, & quadam diligentia mores regantur, ut quid ſit, quod uocant ſapientes diſciplinam, intelligere diſcant. Deniq; ſæpe cogitent Pauli uocem, qui iubet nos uerſari inter homines, cum quadam eximia conſideratione omnium officiorum, & attentione, non ut inſipientes ſeu fatui, qui ſine delectu & ſine conſideratione ambulant, quocunq; rapiunt cœci impetus. Sic enim ait Paulus ad Epheſios, βλέπατε ἀκριβῶς, πῶς μὴ ὡς ἄσοφοι. Moueant igitur ſingulos hæ grauißimæ cauſæ, quas recenſuimus, & meminerint hoc noſtro edicto rurſus præcipi, ne quis in aggerem conſcendat. Dominica Palmarum, Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF D.

DVæ ſummæ res ſunt, & optimæ, ad quas præcipuè conferri ſtudium, & diligentiam oportet, ſcilicet cognitio

doctrinæ ſalutaris, & diſciplina, id eſt, honeſta morum gubernatio. Hæc duo bona ſunt omnium in uita præcipua. Non ſi omnium regnorum, quæ unquam fuerunt, opes in unum acceruum conferrentur, tantum bonum eſſet, quantum eſt mediocris doctrina, & honeſta diſciplina. Longeq; antecellit opulentiſſimo regi Cambyſi Daniel, aut aliquis inferior rectè eruditus, & non pollutus atrocibus ſceleribus.

De his duabus uitæ noſtræ quaſi metis ſæpe cogitemus. Et Paulus eas nobis monſtrat, iubens militare bonam militiam, uidelicet retinentes fidem & bonam conſcientiam. Ac omnia imperia debebant utriuſq; rei curam ſuſtinere, ut homines rectè doceri curarent, & diſciplinam regerent. Talia fuerunt Dauidis, Salomonis, Ioſaphat, Ezechiæ, Ioſiæ imperia, & ſubinde aliquos gubernatores Deus excitat ad hac curam.

Sed ſcholis literarijs maximè commendata eſt utriuſq; rei tuendæ diligentia, Doctrinæ & diſciplinæ. Itaq; Dei beneficio auditoribus omnes artes honeſtæ, quæ literis continentur, & ad agnitionem Dei, & naturæ rerum, & ad mores regendos neceſſariæ ſunt, mediocriter proponuntur. Diſcipli-

Disciplinam utinam possemus regere seue-
rius. Sed tamen nostræ commonefactiones non
desunt, & contendimus aliquo cum labore, fre-
nare & cohercere petulantiam. Qua in re ut
Deus nos adiuuet, ardentibus uotis precamur,
quia scimus, sine Deo nullam gubernationem
fœliceem esse. Sed filius Dei inquiens: nihil pote-
stis sine me facere, iubet nos anniti, & auxilium
promittit, & affirmat copiosum fructum latu-
ros esse eos, qui manent palmites ipsi inserti. Hic
custos & adiutor nostræ gubernationi aderit.
Scimus enim nos esse Ecclesiæ Dei membra. Ideo
non solum doctrinam, sed etiam leges de mori-
bus proponemus. Ac significamus uobis, hodie
hora duodecima nos publicè statuta Academiæ
recitaturos esse, Ad eam recitationem præcipi-
mus, ut frequentes conueniatis. Sæpe enim iam
accidit, ut ad eam auscultationem non ita mul-
ti conuenerint. Ideo uos monendos esse duximus,
ut maiori frequentia ad uocem Magistratus au-
diendam conueniatis. Deinde & hoc monemus,
utrumq; esse mandatum Dei, ut disciplinæ fre-
nos patiamini, & ut magistratibus honesta præ-
cipientibus obtemperetis. Has uirtutes maximè
intelligi, & coli decet in Ecclesia, præsertim cum
Deus etiam pœnas contumaciæ, & præmia obe-

dientiæ proposuerit. Quare si membra Ecclesiæ Dei esse uultis, amate disciplinam, & uos ad reuerentiam assuefacite, quia scitis Deum sic uelle regi genus humanum.

O æterne Deus pater domini nostri Iesu Christi, conditor omniũ rerum & Ecclesiæ tuæ, tuere doctrinam ueram & disciplinam honestam in his domicilijs Ecclesiarum. Nec sinas in his locis grassari impiam barbariem aut spurcicicm. Sed maneant hîc honestæ scholæ, te uere inuocantes in agnitione & fiducia filij Dei, domini nostri Iesu Christi, & ueris officijs te colentes. Datæ postridie Paschatos,

Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE
AVGVSTINVS SCHVRF D.

QVod fœlix & faustum sit, Christo gubernante, cras mane hora sexta iuxta leges Academiæ alius Rector eligetur. Ad eius renunciationem, quia ea publica esse debet, ut scholastici conueniant, hortamur. Facile est imperium in bonis, ut inquit Plautus. Ingenia enim erudita, & recte educata, intelligunt, quantum

quantum beneficium Dei, & quàm manifestum atq; euidens argumentum sit præsentiæ diuinæ, mediocris gubernatio & disciplina. Quare & non grauatim obedientiam præstant, & quicquid possunt officij ad ornandum & tuendum magistratum & gubernatorum ordinem, libenter conferunt. Sunt enim scholæ ob hanc præcipuè causam institutæ, ut sint pietatis, legum, disciplinæ, & omnium honestorum officiorum Gymnasia. Quapropter homines literarum & doctrinæ studijs deditos, nihil magis decet, quàm reuerentia erga leges & Magistratus. Præclarè dictum est à Platone: Illum esse optimum ciuem, qui omnibus victorijs ac Triumphis obedientiam erga leges potiorem ducat. Sua sponte igitur honesti scholastici hoc officium præstabunt, ac cogitabunt in hoc congressu etiam uota & preces coniungendas esse, ut Deus per Christum Ecclesiam suam, Reip. statum, & pietatis ac doctrinæ studia tueri uelit, & conseruare. Pridie Calendas Maij. Anno 1546.

PHILIPPVS MELANTHON.

IN tantis humanæ uitæ miserijs nihil est magis expetendum uera agnitione Dei, & huius

& huius ipsius doctrinæ intellectus, in qua Deus se patefecit. Idq; studium ita ornat Deus, ut affirmet hos cœtus suum domicilium fore, in quibus leguntur, audiuntur, discuntur libelli, continentes Euangelium. Ideo non differamus hanc doctrinæ cœlestis explicationem in scholis institutam. Deinceps igitur sicut usitatum est hora Octaua in æstate prælegam Pauli Epistolam ad Romanos biduo singulis septimanis. Vltima Aprilis. Anno 1546.

IN EVCLIDEM.

NOn dubito, quin moderatæ & generosæ mentes, considerantes egregium illud Symbolum, quod Platonem in foribus scholæ suæ pinxisse aiunt, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω, summo impetu ad studium Geometriæ rapiantur. Nam præter illas maximè illustres demonstrationes, quæ magnam uim habent etiã in alijs liberalioribus studijs, ac inenarrabilem certitudinem, qua ad Dei cognitionem ducimur, etiam maximas & grauissimas utilitates ad omne genus uitæ adfert. Videmus enim Geometriam non tantum prodesse Mechanicis, sed etiam philosophis, quibus in suis disputationi-

bus ma-

bus maximè opus est demonstrationibus, ut confirment mundum esse finitum, Non plures esse mundos, Terram in medio collocatam, obtimere centrum uniuersi, aliaq; his similia, quæ sine Geometria tractari commodè nequeunt, Sicut passim in Platone: Aristotele, Galeno, & alijs uidere licet. Vt enim ex multis unum dicatur, Quis illud Galeni libro 10. de usu partium intelligit, oculorum qualitatem reduci ad unitatem, ideo, quia conorum axes sint in uno plano, qui non mediocriter hisce elementis institutus est? Demonstrat enim Galenus illud Geometricè, adducta propositione ex undecimo Euclidis. Ad hæc quid iucundius est, quid homine liberaliter instituto magis dignum, quàm in metiendo non solum terræ, sed cœlestium etiam corporum, ac spaciorum magnitudine occupatum esse? Cuius tractationis principia, progressiones, & quasi perfectionem quandam ex Geometria peti necesse est. Astronomia enim, ut plærisq; notum est, nihil certi tradere potest sine Arithmeticis & Geometricis demonstrationibus, quibus tanquam alis in cœlestium corporum contemplationem euehitur, & distinctiones temporum, aliaq; multa utilia tradit, quibus in uita commodè carere non possumus, nisi in extrema barbarie degere uellemus.

Sit

Sit enim semper nobis in conspectu heroïca illa uox Aristippi, qui amissis omnibus naufragio rebus, cum paucis accedens Rhodium littus, ac inueniens Geometricas quasdam figuras delineatas, bono animo socios esse iussit, se enim agnoscere hominum uestigia, uolens significare, nihil timendum esse in eis locis, in quibus harum artium studia colerentur. Vt igitur inter nos etiam sint hominum uestigia, summo studio conandum est, ne illarum disciplinarum simus rudes, quod tum demum fiet, si diligenter Euclidis elementa degustauerimus. Petierunt itaq; à me quidam meorum familiarium, ut ipsis priores aliquot libros Euclidis explicarem, quod cum uideam D. nostris præceptoribus etiam probari, publicè hoc significare uolui, ut ij, qui mea opera uti uellent, scirent meam sedulitatem & operam eis non defuturam. Incipiam autem enarrationem Deo iuuante proxima die sabbathi hora 12. 18. Martij.

SEBASTIANVS THEODORICVS.

ETsi Aristotelis disputationes in Physicis admodum exiles sunt & angustæ, tamen

men

men ipsos fontes legere utile est, & cum consuetudo eos discenti familiares facit, magis conspicitur usus. Cum igitur muneris, quod mihi mandatum est, ratio postulet, ut aliquos Physicos libros Aristotelis prælegam, iam enarraturus eram μετέωρα. Sed scio exempla deesse, Ideo nunc dulcissimum carmen Pontani, quod inscripsit μετέωρα, enarrabo, quod profecto dignum est cognitione. Nam & res in natura multas, quarum cognitio uitæ utilis est, continet, & has exponit sonantibus uersibus, credo melioribus, quàm fuit olim Empedoclis carmen de ijsdem rebus. Sunt autem exemplaria in omnibus bibliopolijs uenalia. Interpretationem exordiar, Deo iuuante, proxima die Iouis post meridiem hora 3. in auditorio medicorum. Nec dubito omnibus utilem & suauem fore huius carminis cognitionem. Quare scholasticos adhortor, ut ad eam enarrationem frequentes conueniant. Addam & Physicam explicationem. Et uix alia materia illustriora mixtionum exempla continet, ubi de qualitatum actione mutua & συμπαθείᾳ multa dici necesse erit, quæ postea in uniuersa doctrina de natura rerum, imo in ualetudine tuenda, & in morborum & remediorum

dijudicatione

dijudicatione cognouisse prodest. Spero autem aliquanto post Græca & latina exempla aliquot librorum Aristotelis, qui sunt utiliores, edituros esse Typographos, quæ cum haberi poterunt, ipsum textum interpretabimur, Die 10. Maij. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIÆ M. IOHANNES MARCELLVS REGIOMONTANVS.

EXamen delectorum ad stipendia cras Deo iuuante inchoaturi sumus. Quare scholasticis delectis ad stipendia ex hac Saxonia, quam tenet Dux Elector, quæ fuit olim Senonum pars, præcipimus, ut cras hora prima in domo Academiæ, ubi est auditorium Iuris consultorum, conueniant. Necesse est enim fieri studiorum inspectionem. Quare singuli specimen suorum scriptorum adferant, & sciant eos, qui defugient examen, stipendia amissuros esse. Profecto in tanta confusione omnium imperiorum, singulare Dei beneficium est, quòd alicubi adhuc Principes cura literarum tuendarum & ornandæ Ecclesiæ afficiuntur. Pro eo beneficio grati simus Deo, & oremus, ut has piorum studiorum

rum sedes gubernet ac seruet, quarum certe tantisper mediocris status, ac tranquillitas erit, donec nos studia diligenter colemus, & non abijcemus curam inuocationis, Ac hodierna Euangelij lectio hortatrix esse debet ad diligentiam in studijs. Nemo enim sine eruditione intelligit hoc genus sermonis in hac narratione, Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Etsi enim & politica potestas horribiliter arguit partem mundi de peccatis, de iusticia, & de iudicio, tamen Spiritus sanctus in ministerio Euangelij arguit totum mundum, de alio peccato, scilicet contemptu filij Dei. De alia iusticia, scilicet imputata & donata nobis propter filium Dei intercedentem apud patrem. De alio iudicio, scilicet iudicijs sapientiæ mundi contemnentis Euangelium. Magna caligo fuit expositionis quondam in hac optima concione, propterea, quia genus sermonis erat ignotum. Vt igitur Lux doctrinæ, quæ necessaria est Ecclesiæ, retineatur, accendatur in omnibus maior discendi cura, Die 23. Maij. Anno 1546.

ANNO 1546.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES MARCELLVS.

Scholastici Turingi, quibus stipendia dantur sub Illustrissimo Principe Duce Saxoniæ Electore etc. cras hora prima ueniant ad examen in domum Academiæ, in qua est auditorium Iuris consultorum. Si qui defugient examen, amittent stipendia. Scitis autem omnes, Deo præstandam esse hanc obedientiam, ut uero studio doctrinam Ecclesiæ necessariam discamus. Et propter eam causam præcipuè Deus seruat politias, ut sint aliqua studiorum domicilia, & pio studio discentibus uerè adest. Hæ causæ ualere in omnibus debent, ut serio discant. Sed multo magis debent Ecclesiæ suam operam hi, qui tanquam milites, certa ab Ecclesia stipendia accipiunt. Moueat autem Turingos etiam uetus decus, ut literis & uirtute excellere studeant. Nomen enim, Tyrigetæ, significat eos fuisse uetustæ & laudatæ gentis præstantissimos, ac fuisse in Turingis magna literarum studia, multæ historiæ luculenter ab eis scriptæ testantur. Et hodie Turingia ingenium habet Stigelij, quod eruditissima antiquitas Virgilij & Ouidij tempore, magna cum admiratione probasset. Die 28. Maij. Anno 1546.

Rector

rum ſedes gubernet ac ſeruet, quarum certe tantiſper mediocris ſtatus, ac tranquillitas erit, donec nos ſtudia diligenter colemus, & non abijcimus curam inuocationis, Ac hodierna Euangelij lectio hortatrix eſſe debet ad diligentiam in ſtudijs. Nemo enim ſine eruditione intelligit hoc genus ſermonis in hac narratione, Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. Etſi enim & politica potestas horribiliter arguit partem mundi de peccatis, de iuſticia, & de iudicio, tamen Spiritus ſanctus in miniſterio Euangelij arguit totum mundum, de alio peccato, ſcilicet contemptu filij Dei. De alia iuſticia, ſcilicet imputata & donata nobis propter filium Dei intercedentem apud patrem. De alio iudicio, ſcilicet iudicijs ſapientiæ mundi contemnentis Euangelium. Magna caligo fuit expoſitionis quondam in hac optima concione, propterea, quia genus ſermonis erat ignotum. Vt igitur Lux doctrinæ, quæ neceſſaria eſt Eccleſiæ, retineatur, accendatur in omnibus maior diſcendi cura. Die 23. Maij. Anno 1546.

ANNO 1546.

RECTOR ACADEMIAE M. IOHANNES MARCELLVS.

Scholastici Turingi, quibus stipendia dantur ab Illustrissimo Principe Duce Saxoniæ Electore etc. cras hora prima ueniant ad examen in domum Academiæ, in qua est auditorium Iuris consultorum. Si qui defugient examen, amittent stipendia. Scitis autem omnes, Deo præstandam esse hanc obedientiam, ut uero studio doctrinam Ecclesiæ necessariam discamus. Et propter eam causam præcipuè Deus seruat politias, ut sint aliqua studiorum domicilia, & pio studio discentibus uerè adest. Hæ causæ ualere in omnibus debent, ut serio discant. Sed multo magis debent Ecclesiæ suam operam hi, qui tanquam milites, certa ab Ecclesia stipendia accipiunt. Moueat autem Turingos etiam uetus decus, ut literis & uirtute excellere studeant. Nomen enim, Tyrigetæ, significat eos fuisse uetustæ & laudatæ gentis præstantissimos, ac fuisse in Turingis magna literarum studia, multæ historiæ luculenter ab eis scriptæ testantur. Et hodie Turingia ingenium habet Stigelij, quod eruditissima antiquitas Virgilij & Ouidij tempore, magna cum admiratione probasset. Die 28. Maij. Anno 1546.

Rector

ANNO 1546.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES MARCELLVS.

AGimus gratias toto pectore Deo æterno, patri domini nostri Iesu Christi, quòd Ecclesiam æternam sibi colligit & seruat, & nunc quidem in his ipsis regionibus lucem Euangelij accendit, & studia & disciplinam tuetur. Celebratur autem quotannis memoria patefactionis admirandæ Spiritus sancti, quæ facta est die quinquagesimo, postquam ex morte filius Dei reuixit. Et congruunt dies ad Pentecosten, in qua post Pascha primum in Aegypto celebratum, Lex in monte Sina illustribus testimonijs promulgata est. Nam has patefactiones uult nos Deus assidue intueri, ut certo statuamus, ueram esse doctrinam in Ecclesia sonantem, & ut inuocemus hunc uerum Deum, qui se patefecit. Hæc magna Dei beneficia in his ferijs consideranda sunt, & mens ad inuocationem & omnia pia officia excitanda. Quanta bonitas est, quòd Deus se patefecit, quòd confirmauit nos certis testimonijs, quòd in illa priore Pentecoste dedit sapientiam legis, quòd in posteriore misit Spiritum sanctum, & testimonium nobis manifestum ostendit, Spiritum sanctum esse hypostasin, &

ſin, & quòd hoc agitatore ex eſſentia ſua procedente, nos ſibi copulat, & accendit in nobis nouam lucem, iuſticiam, & uitam æternam? Vult etiam peti hoc donum, & reuera petentibus largiri. Iam cogitemus, quantus furor ſit, hanc munificentiam aſpernari, nec petere hanc Dei ſocietatem promiſſam. Obteſtamur igitur uos omnes propter gloriam Dei, & propter ſalutem ueſtram, ut hæc tanta Dei beneficia conſideretis, quæ ut declaretis uos magni facere, ardentibus uotis petite uos ipſos & hanc totam ſcholam regi Spiritu ſancto. Sit & in moribus ueſtris modeſtia, ne in uobis & in alijs mœrore Spiritum ſanctum adficiatis. Eſt autem & inter Spiritus ſancti dona miniſterium Euangelicum: Quare id quoq; ueneremur, & ut ſignificatio extet noſtræ reuerentiæ erga miniſtros Euangelij, mandamus, ut ſinguli ſcholaſtici cras ſua munera ad aram offerant. Hoc anno 1546. à natali filij Dei, annis 3055. Pentecoſten tota Eccleſia in cœlo & in terra celebrauit. Ad hanc nos adiungamus, & ſimul cum uniuerſa Eccleſia Deo gratias agamus, pro patefactionibus in utraq; Pentecoſte factis, & pro donato Spiritus ſancto, Et petamus deinceps quoq; in his regionibus Eccleſiam, pia ſtudia, diſciplinam & politias

litias ſeruari & regi. Te igitur æterne Deus, unice pater domini noſtri Ieſu Chriſti oro, ut propter filium tuum, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, nos & Eccleſiam, & ſtudia huius noſtri cœtus gubernes, & deinceps multis ſeculis hæreditatem filio tuo inter nos colligas, ut multi te æternum Deum uerè inuocent, celebrent, & ueris officijs colant. Anno 1546.

IOHANNES SAXONIVS HATTESTEDIVS, GERMANICÆ iuuentuti Academiæ Vuitebergensis, ſtudioſæ Latine dicendi.

S. P. D.

IVlij Cæſaris commentarios de bello Gallico hactenus enarraui, & quia hiſtoriæ cognitio uitæ hominum neceſſaria eſt, & quia ſermonem Iulij & formam narrandi utcunq; imitari utiliſsimum eſt, deniq; patriæ amore iucundior eſt Iulij hiſtoria, quia nemo uetuſtior ſcriptor Germaniæ meminit. Et hic non ſolum bellicam uirtutem noſtrarum gentium, ſed etiam domeſticam diſciplinam & integritatem celebrat, cuius conſideratio mentes generoſas ad uirtu-

tem accendit. Nunc enarrabo commentarios belli ciuilis, in quibus florentißimi imperij mutatio orta ex dissensione ciuili duorum præstantissimorum ciuium recitatur, qua in lectione conspici potest, non solum quæ semina sint ciuilium bellorum, sed etiam quàm necessaria sit moderatio gubernatoribus, quæ domita ambitione, & repressa uindictæ cupiditate, cedit æmulis, ne publica tranquillitas turbetur, ut cessit Aristides Themistocli, Themistocles Eurybiadi. Ita si paulum remißisset de contentione Pompeius, non exarsisset tam triste bellum, quod totam imperij formam mutauit. Deniq; multa sunt exempla à summi ingenij artifice, & peritißimo reipublicæ scripta, quæ lectorem de uitæ gubernatione utiliter monent. Vos autem adolescentes præcipuè amate Iulij scripta propter sermonis genus. Nullius sunt in tota lingua Latina narrationes rectiores. Nam consilio, rerum ordine, proprietate uerborum, et perspicuitate, omnibus Iulianæ antecellunt. Et tota forma orationis pura, propria, uenusta, & interdum mollibus metaphoris, non procul accersitis distincta, plurimum gratiæ habet, ac ad phrasin lectori parandam, & ad parabilem facundiam utilißima est. Etsi enim Ciceronis oratio splendidior & amplior est, tamen

est, tamen eius ambitiosos periodos, ne illa quidem ætate eloquentissima, multi imitari potuerunt, quæ quidem præsertim in texendis narrationibus aliquid adferunt impedimenti, ut ostendit historia Pontani, qui dum effingere periodos Ciceronis conatur, sæpe admodum lentas & frigidas narrationes efficit. Hæc uerò Iuliana natiua, candida, & sine adfectatione fluens oratio, multo & ad usum nostrum accommodatior est, & in narrationibus illustrior. Experientur itaq; omnes studiosi, plurimum sibi & ad loquendum, & ad scribendum prodesse Iulij lectionem. Illud etiam inter legendum sæpe cogitent bonæ mentes, diuinitus mutari imperia, & mutari propter hominum furores, eamq; ob causam singulis maiore cura mores suos regendos esse. Nam etsi hoc uerum est, Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui, tamen illud diuinitus dicitur, propter populi peccata sæpe imperia mutari, ut apud Salomonem scriptum est. Singuli igitur sciant, sua bene, & secus facta, ad totam rempub. pertinere, maximeq; salutarem esse moderationem, frenantem animum, ne de omnibus rebus pugnet, ut sapientissimè apud Euripidem in Oreste dicitur, &

Deo & ciuibus immoderatas contentiones displicere. Sic enim ibi dicitur.

Καὶ ναῦς γὰρ ἑστηθεῖσα πρὸς βίαν ποδί,
ἔβαψεν. ἔσκε δ' αὖθις, ἣν χαλᾷ πόδα.
Μισῶ γὰρ ὃς τὰς ἄγαν προθυμίας,
Μισῶ δ' ἀσοφούς.

Enarrabo autem eos tantum libros, qui ab ipso Iulio scripti sunt, Vt antea septem de bello Gallico, qui sunt natiui Cæsaris, interpretatus sum, ita nunc omisso octauo, commentarios belli ciuilis inchoabo, quorum tres sunt γνήσιοι Cæsaris, Reliqui & alieni sunt, & admodum mendosi. Quanquam autem perspicua est oratio Cæsaris, tamen interpretis opera iunioribus opus est, non solum in explicandis gentium & locorum appellationibus, sed sæpè etiam in consilij expositione, & in illustranda phrasi, & ostendenda forma orationis, & compositione, & in enarrandis locis aut obscuris, aut uitio temporum deprauatis. In his spero me diligentiam & fidem meam studiosis probaturum esse. Vale. Vuittebergæ pridie Idus Iunij. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES MARCELLVS.

Adolescens

ANNO 1546.

ADolescens Austriacus natus in familia nobili, non procul à Fabiana, quæ nunc Vienna uocatur, Augustinus, qui cum natura moderatus & placidissimus esset, & Deum uera pietate coleret, modestissimè apud nos uixit. Hunc Deus ex hac ærumnosa uita, hac nocte euocauit. Etsi autem necesse est propter doctrinæ explicationem, & propter gubernationem, aliquibus longiora uitæ spacia concedi, tamen tantum est ærumnarum in hac uita, ut uideatur, non de nihilo dictum esse à Menandro, Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος, Quem Deus diligit, moritur iuuenis. Ac profecto nisi causas uiuendi ex doctrina cœlesti sciremus, non ualde optanda longior uita uideretur. Sed tres sunt causæ ueræ & præcipuæ, cur opus sit mediocri uitæ spacio. Prima, ut discamus doctrinam de Deo. Secunda, ut eam exercitijs diuturnis inuocationis confirmemus. Tertia, ut alios iuuare docendo, gubernando, & alijs officijs possimus. Hæc militia non est leuis. Ideo utrunq; pijs precibus à Deo petamus, Et ut uitæ spacia longiora bonis ingenijs concedat, & ut eorum militiam postea adiuuet. Quia profecto, nisi Deo gubernante, non sunt fœlices humani labores. Hæc in funerum cæremonijs cogitate ad accen-

dendam *inuocationem* Dei *pro nobis ipsis*, & *pro tota* Ecclesia. *Fiet autem funus huic Augustino hora quarta. Ideo scholastici conueniant ea hora ante ædes* Reuerendi D. *Doctoris Martini Lutheri. Fortassis hic Augustinus ideo citius extinctus est, ne Turcicos exercitus in patria grassantes uideret. Nam qui Turcica arma non metuunt, ualde errant, quæ quidem iam prodigijs denunciata sunt. Nuper enim in Pannonia inferiori crebri ignes ceu* πύρακες *è cœlo decidérunt, Et conspectus est niger bos in aëre eijciens ingentes flammas. Hæc prodigia non sunt ridenda. Nam & ante interfectum regem Ludouicum, memimus igneã crucem è sublimi in fontem Heraclij delapsam esse. Et post mortem Regis Ioannis uuæ, quarum* χυμὸς *intus non fuit uinum, sed cruor, repertæ sunt. Deus æternus pater domini nostri Iesu Christi, Ecclesiam æternam in his regionibus sibi colligat, & hospitia Ecclesiæ defendat, & regat. Pridie calendas Iunij. Anno 1546.*

RECTOR ACADEMIAE
MAGISTER IOHANNES MARCELLVS.

INter dona, quæ filius Dei ſedens ad dextram æterni patris dat Eccleſiæ, nominatim recenſet Paulus docendi miniſterium. Sciamus igitur pias ſcholas non tantum humano conſilio conſtitui & ſeruari, ſed filium Dei earum autorem & gubernatorem eſſe.

Ideo eas maiori diligentia tueri ſtudeamus. Et Dei beneficium eſſe ſciamus, quòd flectit aliquorum principum mentes ad hoc opus, ut ſcholas foueant, & aliquibus pauperibus ſcholaſticis dent ſtipendia. Sint igitur in hac ſchola, præcipuè delecti ad ſtipendia, modeſtiores.

Cum autem explorentur ſtudia eorum, uocamus hodie eos, qui ex Myſia delecti ſunt ad ſtipendia, Quos quidem & uetus patriæ nobilitas ad literarum ſtudium & uirtutem inuitare debet. Nam & Homerus eos iuſtiſſimos hominum uocat, & in Argonautico carmine, laudatur eorum erga hoſpites Argonautas beneficentia. Hic eſt enim uerſus in primo Argonautico.

τοὺς μὲν ἐὺξείνως Μυσοὶ φιλότητι
κίοντας δεδέχαται.

Sit nunc etiam hæc magna laus Myſiæ,

quód

quòd Argonautas, id est, hoc scholasticum agmen benignè fouet. Veniant igitur scholastici delecti ad stipendia ex Mysia, hodie hora prima ad domum Academiæ, in qua est auditorium Iurisconsultorum. Die 3. Iunij. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES MARCELLVS.

SAepe cogitandæ sunt cum omnes Dei patefactiones, tum uerò hæc ipsa, quæ facta est filio Dei in cœlum ascendente coram magno agmine Ecclesiæ eius temporis, & inter plausus angelorum, Moysi, Eliæ & aliorum, ac inenarrabili lætitia complectentibus se æterno patre & filio.

Hic triumphus omnium, qui unquam fuerunt, pulcherrimus fuit, nec frustra hoc spectaculum oculis Ecclesiæ exhibitum est, nec ad illos tantum pertinuisse putandum est, qui tunc aderant.

Nos quoq; tanquam in rem præsentem uenientes, mente aspiciamus illud iter, & sciamus testimonium esse futuræ uitæ, ac gratias Deo agamus, quòd immensa misericordia se toties tam illu-

tam illustribus modis generi humano patefecit, ut testaretur nos sibi curæ esse.

Et quidem filius Dei ascendens in cœlum disertè testatus est, se nobiscum semper affuturum esse. Hæc pij sæpè multumq; cogitent, ut se ad inuocationem excuscitent, & uerè lætentur bonitate Dei.

Hos etiam dies ducant esse iucundiores propter memoriam tantarum rerum. Adest nobis filius Dei spectator omnium actionum, exaudiens ac iuuans inuocantes, puniens uerò impios, à quibus contemnitur.

Ac Paulus inquit, filium Dei sedere ad dextrã æterni patris, ut dona det hominibus, inter quæ nominatim recenset doctrinæ ministros. Verè est igitur filius Dei piarum Academiarum Rector, cui ut obtemperemus, mores nostros piè regamus.

Audio autem quosdam tumultus cieri in uicinis pagis. Quare hoc edictum proposui, ac præcipio omnibus scholasticis, ut sint modesti, & caueant, ne tumultus in oppido uel in uicinia cieant, nec horum dierum, quibus Dei beneficia cogitanda sunt, lætitiam suis furoribus turbent. Ac si quos resciuero contra hoc edictum feciſſe, seuerè eos puniam.

Præcipio etiam ne lauent ſcholaſtici in flumine. Qua in re periculo ſuo quiſq; moueatur, & cogitet diabolum inſidiari hominum uitæ. Interdum etiam in ripa moleſta eſt nautis et alijs petulantia iuuenum.

Errant ſi qui putant, ſcholaſticos debere cyclopum ſimiles eſſe. Agmen eſtis Eccleſiæ Dei, in quo lucere uirtutum exempla debent: Quare petulantes ex noſtro cœtu ejiciendi erunt. Die 3. Iunij. Anno 1546.

PHILIPPVS MELANTHON.

HOdie hora prima cõueniant in domo Academiæ, in qua eſt auditorium Iuris conſultorum, delecti ex Voitlandis ad ſtipendia. Sciunt enim nomina eorum, qui ad examen uenerunt, Illuſtriſſimo Principi mittenda eſſe. Et ſtudijs utilem eſſe hanc inſpectionem doctrinæ, & ad diſciplinam prodeſſe ſperamus. Decet autem omnes bene moratos amare neruos diſciplinæ. Nec nomen tantum gentis Variſcæ à ueritate factum, Sed etiam res magnæ olim pro defenſione libertatis Germanicæ geſtæ, ſignificant, magnæ

magna uirtutis exercitia in ea gente fuisse, quæ imitari posteros necesse est. Datum 5. Iunij. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES MARCELLVS.

SEmper in hoc aliquod furiosi turbine mun-
Hospitium cœtus uult Deus esse pij. (di,
Lacte Sareptanæ uiduæ sic uiuit Helias,
Sidonio tristis dum furit orbe fames.
Sic & in Israel premerat cum sæua Tyrannis,
Cultores ueræ qui pietatis erant.
Abdias occulta multos sub rupe latentes,
Abscondit, largis muneribusq; fouet.
Abditur Abdiaca quoq; nunc Ecclesia ualle,
Dum pariunt Reges funera, bella, famem.
Iusta sed ut sacrum pauit matrona prophetam,
Abdias expulsis hospitiumq; dedit:
Sic habet hîc aliquos Princeps Elector alumnos,
Dat quibus ad musas æra dicata bonas.
Illis cras summam ueniant, mandamus, in arcem,
Hîc etenim sumptus distribuendus erit.
Hunc iustos referant ueræ uirtutis ad usus,
Turpia sunt sacris non facienda bonis.

Ac pia

ANNO 1546.

Ac pia turbentur ne diris agmina bellis,
Oremus ſummum ſupplice uoce Deum.
Datæ Vuitebergæ 28. Iunij. Anno 1546.

IOHANNES STIGELIVS DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI.

VT Deus humana miſſurus origine natum
Zachariæ patrio texit amore domũ.
Cum populis motis, paſsimq; uagantibus armis,
Sæua Paleſtinus bella timeret ager,
Nã licet hinc Italus patrijs pedes horridus armis
Hinc Parthus celeri bella moueret equo.
Attamen Abiades parua cum gente Sacerdos,
Propicium coluit, tutus ab hoſte, Deum.
Et Synodum hanc paruã conuentus fouit amici,
Quæ norat natum non procul eſſe Dei.
Iam tum natus erat Chriſti tuba prima Iohannes
Inq; ſuis cunis dulce iacebat onus.
Hũc, ut erat præſens, coniũctaq; ſanguine uirgo,
Plena Deo, Chriſti caſta futura parens,
Excipiens tenerum blandis tractabat in ulnis,
Et patrio puris more lauabat aquis.
Decretiq; memor cœleſtis, ut abluit illum,
Sæpe dedit teneris oſcula blanda genis.

Senſit

Senſit, ut accreſcens humanos induit artus,
Iam noua ſub matris pectore forma Deus,
Applaudenſq; inter dulciſsima ſuauia, flatu
Infantis complet corda tenella ſuo.
Ergo ut difficili fidentem tempore Vatem
Seruauit, generis membraq; ſancta, Deus:
Sic nunc cum ſubito Germania mota tumultu
Horrida ciuili ſanguine bella timet,
Conatiq; diu Chriſtum extirpare Tyranni
Miſcere horrendo cuncta cruore parant.
Noſtra, Deo fiſi, firmemus pectora, certi
Tecturum hunc cœtus omnia membra ſui.
Debita nec doctis ideo commercia Muſis
Mens noſtra audito ſegnior hoſte neget,
Sed ſtudia hæc nulla fracti aſperitate colamus,
Quæ uerum uitæ, dantq; fouentq; decus,
Organa quæ præbent, quorũ aut Eccleſia Chriſti
Officio, aut legum publica norma uiget.
Hæc tua militia eſt, ſtudijs addicta iuuentus,
Hæc decet officij te bona noſſe tui.
Ac uelut his adfert meritas infamia pœnas,
Pierides ficta qui pietate colunt.
Calliope merita ſic illos fronde coronat,
Eſt quibus officij cognita cauſa ſui.
Sint procul, accedunt qui ſic penetralia Phœbi,
Vt medicata fugax pocula muſca petit.

ANNO 1546.

Qui ſtudijs animum uitæ ciuilis ad uſum
Excolit, hunc merito publicus ornat honos.
Si quos ergo caput ſacras efferre per artes
Iuuit, & ingenio conciliare decus.
Si qui operam tali nauarunt artibus œſtro,
Vt ſibi deberi præmia recta putent.
Secerniq; rudis cupiant à nomine uulgi,
Et celebre à ueris nomen habere bonis.
Temporis his aliquot certi decernimus horas,
Et cauſam alloquij colloquijq; damus.
Noſtra nec his deerit recta & ſtudioſa uoluntas,
Qui recto officium pectore tale petunt.
Fortiter eſtq; bonis ſtudiorum hic ordo tuendus,
Quem ratio ueteri publica more probat.
Vt pia ſeruetur ſtudij poſſeßio noſtri,
Quod multi extinctum funditus eſſe uolunt.
Dum licet ingenio ditari, diſce iuuentus,
Iſte dabit fruges, iſte colendus ager.
Cætera fide Deo, preßis qui ſubuenit, ille
Excubias noſtro pro grege ſemper agit.

Hoc octiduo accedant Decanum petituri gradum Magiſterij, ut uſitato more nomina dent.

Rector

ANNO 1546.

RECTOR ACADEMIAE

M. IOHANNES MARCELLVS.

TAnta fuit modestia ueterum militum belli tempore, ut Vrias domum uocatus, cum quidem coniugem haberet ingenio & forma præstantem, noluerit cubare domi. Sed toto eo tempore, quo in castris exercitus erat; iudicarit sibi perinde ac si in templo esset, etiam honestas uoluptates omittendas esse, ut animus & ad præliandum intentior esset, & ad orandum. Et Ecclesia eius temporis, sua bella, uocabat bella Dei, Quia, ut defenderentur hospitia doctrinæ, gerebantur. Tale nunc bellum geritur. Et optandum est, ut milites aliqui imitentur Vriæ modestiam, ut certe sperarnus aliquos esse. Etsi autem nostri scholastici nondum in acie dimicant, tamen sciant se in ijsdem castris mente & precibus esse debere, & petere, ut Deus adsit exercitui. Sint igitur modesti, & de peccatis suis & Ecclesiæ cogitent. Vt autem ciuitas hoc tempore tranquillior sit, præcipimus scholasticis, ut nitent frequentiam, sicubi uident uagari milites. Ac mandamus, ut hoc præsertim tempore ita rem gant mores, ut adpareat eos publicam pacem expetere, & affici cura salutis Ecclesiæ totius orbis terrarum. Datæ 8. Iulij. Anno 1546.

ANNO 1546.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES MARCELLVS.

*DVrate, & uosmet rebus seruate secundis. Quam ad spem non tantum humanis ratio*nibus erigamur, sed ijs consolationi=bus, quas Deus proposuit. Semper fuerunt, sunt & erunt magni tumultus Imperiorum, aliàs ali=bi. Inter has & Ecclesia duriter quassatur, quam tamen mirabiliter seruat Deus, ut seruauit stantem inter aquarum montes in mari rubro. Cum igitur certum sit mansuras esse reliquias Ecclesiæ Dei, & quidem ibi mansuras, ubicunq; sonabit uox Euangelij, & doctrinæ studia erunt, non abijciamus literas, nec hanc nostram militiam deseramus, sed bona cum spe seruiamus Deo, etiam inter arma, & inter classica. Misceamus autem studijs gemitus & uota, & nobis hac Dei uocem inculcemus: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos.

Duximus itaq; uobis significandum esse, de migratione nostra nihil hactenus decretum esse, nosq; deinceps donec Deus concedet, hîc operas scholasticas facturos esse. Nec tamen prohibemus, quo minus discedant, si qui malunt alibi esse quacunq;

quacunq; de causa. Illis uero qui adsunt, præcipimus, ut sint moderati, non solum, ut urbs tranquillior sit, cuius rei tamen habenda est ratio, sed multo magis, ut pœnitentiæ significationem modestia morum ostendat.

Nam eos qui non uere nobiscum inuocant Deum, nec pœnitentiæ officia curant, mallemus procul à nobis abesse, quàm inter nos uersari. Illis uero qui discessuri sunt, mandamus, ut quod iustum est, satisfaciant ijs, quibus debent. De locatione etiam sciant omnes, qui non extruduntur, sed sua sponte migrant, pensionem integram pro semestri soluere debere.

Postremo admonemus uos decreti ueteris, de neruo Iurisdictionis nostræ, ne quis discedat ex uadimonio seu Aresto, ut uocant.

Cum autem his diebus contra eam legem discesserit N. nec solucrit ijs quibus debet, Relegamus eum de sententia consilij nostri ex hac Academia, ut absit hinc triennium, Hoc exemplo commonefacti cæteri maiore fide præstent iusticiam & alia honesta officia. Datæ die 20. Iulij. Anno 1546.

ANNO 1546.

DECANVS FACVLTATIS ARTIVM M. IOHANNES STIGELIVS.

QVanquam magnis fluctibus cymba Christi concutitur, tamen obrui eam non sinet. Defendet Deus aliqua studiorum hospitia, & seruabit Ecclesiæ reliquias. Vult autem & peti hanc defensionem pijs uotis, & interim doctrinam coli, quæ ministerio Euangelico necessaria est. Sicut in lectione Euangelij hodierna laudatur mulier, quamuis despecta, lauans, ungens, tergens, ac dissuauians pedes filij Dei. Significatum est enim, hæc Deo gratissima officia esse, pedes, id est, ministerium Euangelicum tueri, quod faciunt & scholastici recte discentes, & pij principes bellum gerentes, ne deleantur puræ doctrinæ Euangelij studia, ne restituantur εἰδωλομανίαι.

Cum autem usitatum sit ad publica examina Magistros conuocari, significamus nos crastina hora prima conuenturos esse, & petimus ut cæteri Magistri Philosophiæ intersint illis eruditis colloquijs, & suas sententias amanter nobiscum & inter sese conferant. Hæc sententiarum collatio, & dulcissima est, & uitæ ac artibus utilis,

& hoc

& hoc quidem tempore leuatio aliqua est eorum dolorum, quos cogitatio periculorum publicorum adfert. Quæ ut mitiget Deus oramus, & certe mitigaturum esse non dubitamus. Die 26. Iulij. Anno 1546.

IN HESIODVM PAVLVS EBERVS.

CVm Syracusæ à Marcello obsidione cinctæ in summo essent discrimine, Archimedes adeo nihil remisit de studijs suis Geometricis ac Mechanicis, ut eam etiam oppugnationem, qua capta urbs est, intentus demonstrationi, quam instituerat, non senserit. Fecit id quidem ille amore earum artium, ad quas maximo animi impetu ita rapiebatur, ut auellere eum nulla difficultas potuerit. Quarum tamen omnem fructum ad defensionem patriæ suæ contulit, quam aduersus hostes sua industria & mirificis machinarum inuentionibus diu tutam reddidit. Ita nos quoque in hoc bellico tumultu retineamus studium bonarum artium, cum sciamus eas Ecclesiæ necessarias esse, quæ sine ullo dubio in ruinis regnorum permansura est usque ad finem mundi, iuxta immu-

tabiles Dei promiſsiones, qui nos quoq; in medijs procellis teget & tuebitur, ſi ſeria morum emendatione declarabimus, nos uerè iram eius timere, & fiducia mediatoris Chriſti, mitigationem impendentium malorum petemus, uocationis noſtræ opera ſedulo & fideliter faciemus, & Deo eucntum huius periculi committemus, Sicut monet ac promittit Pſalmus: Reuela domino uiam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet: Et alibi cum inquit: Vacate & agnoſcite, quòd ego ſum Deus, prohibet trepidationem ex conſternatione in periculis ortam, quæ & preces impedit, & uocationis officia interrumpit. Vult nos eſſe tranquillo animo, facere officium noſtrum, & petere à Deo ac expectare proſperum negociorum exitum. Quare non ſinamus nobis adhuc quidem utiles artes terroribus præſentibus de manibus excuti, ſed tempus, quod à precibus iam non minus neceſſarijs quàm Syracuſis erant Archimedis machinæ, & à lectione ſacrarum literarum, reliquum habemus, ponamus in cognitione ſcriptorum antiquitatis, qui res utiles generi humano complexi literis, ad nos tranſmiſerunt. Ex quorum numero cum in primis ſit HESIODVS, iuſſus ſum eius opuſculum, cui titulus eſt, Ἔργα καὶ ἡμέραι, adoleſcentibus explicare,

explicare, maximeq; illos locos, qui aut de stellarum ortibus loquuntur, aut ex doctrina de natura rerum desumpti sunt. Eam igitur enarrationem, iuuante Deo, cras hora quarta auspicabor, eiq; tribuam binos in Hebdomade dies, videlicet Lunæ & Martis. Reliquis diebus dicturus, ut ante hac, Physicen. Datæ die 26. Iulij. Anno 1546.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. IOHANNES STIGELIVS.

SEmper in animis circumferamus hoc dictum: Non erit labor uester inanis in Domino, semper hæc necessaria consolatio sit in auribus ἔνσωλον, Deum effecturum esse, ut studia nostra salutaria sint Ecclesiæ, nobis, & magnæ parti generis humani, etiamsi magni imperiorum tumultus existant, qui minantur doctrinæ & cultoribus eius interitum. Deus enim immensa misericordia reliquias ibi seruat, ubi puræ doctrinæ studia mediocri sedulitate colunтur. Hac spe & hoc tempore scholasticas operas facimus, & Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi oramus, ut seruet hanc Eccle-

siam, & hanc scholam, & nostros labores regat. Exploravimus autem eruditionem quorundam his diebus, de quibus renunciatio testimonij fiet die 3. Augusti, ad quam ut conueniant omnium disciplinarum Doctores, & auditores, petimus, ut ostendant se fauere linguarum & Philoso-phiæ studijs, & hoc tempore confirment discen-tes. Tribuant etiam id officium honori horum, qui nunc gradu Magisterij Philosophici ornabun tur, quia in hoc numero multi sunt & in Philo-sophia præclarè eruditi, & qui carmen latinè, & Græcè non aspernandum scribunt.

Fiet autem hæc renunciato, quod faustum ac fœlix sit die 3. Augusti, qui est insignis duabus victorijs Græcorum. Nam eo die ante annos bis mille & uiginti quatuor, Græci & ingentem exercitum Persarum ad Plateas profligarunt, & alibi ad Mycalen, classe uicerunt. Hæ etsi fue-runt claræ victoriæ, tamen Atticæ ciuitatis hoc maius decus fuit, quòd ultro cesserunt Athenien ses de loco honestiore Spartanis, ne discordia ex ambitione orta noceret Reipub. Ac modestißi-mè dictum est ab Atheniensibus, οὐκ ἐμ τῷ τοιῶ-δε τάξιος ἕνεκα στασιάζειμ πρέπει. πάντη γὰρ πεταγμένοι, πεφασόμεθα χρησοὶ εἶναι.

Quod

ANNO 1546.

Quod utinam in uita omnes imitaremur, ut recte faceremus, & saluti communi consuleremus, omissis priuatis contentionibus, quæ ex κενοδοξίᾳ oriuntur, Die 1. Augusti. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES MARCELLVS.

IN secundo libro Xenophontis inquit ante prælium Thrasybulus, unum quemlibet in exercitu, suo loco sic conniti debere, quasi in uno ipso plurimum momenti sit ad uictoriam futurum. Sic semper in publicis periculis de se quisq; cogitare debet. Sic uiuito, quasi in tua unius diligentia aut negligentia plurimum momenti sit. Et profecto ita est. Sæpe unius temeritas omnia euertit. Sæpe unius peccatum iram Dei irritat aduersus totam multitudinem.

Hæc nunc in periculo publico orbis terrarum sæpe cogitemus, & mores diligentius regamus. Sit etiam in scholasticis maius studium tranquillitatis & modestiæ, ac discedant à militari turba. Multi uesperi ueniunt in forum, cum milites in excubias distribuuntur, & ibi

inepta

inepta curiositate miscent se concionibus militaribus, Eam rem ipsi ductores ordinum iudicant esse periculosam nostris. Ideo præcipimus, ne deinceps ad illas militares conciones accedatis. Vt autem in hodierna lectione Euangelij filius Dei ostendens uerè sibi curæ esse auditores suos, dulcissimis uerbis inquit, ὡς λαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον: Ita nunc quoq; speremus uerè eum misericordia affici, & petamus assiduo gemitu, ut restituat piam & salutarem pacem. Datæ 5. die Augusti. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE M. IOHANNES MARCELLVS.

QVo die traditum est, Mariam matrem Christi ex hac mortali uita euocatam esse, in qua annos duodecim superstes fuerat filio, eadem die heri decessit pia mulier Margarita Socrus œconomi nostri Collegij. Funus autem hodie fiet hora quarta, ad quod scholastici conueniant, ut pijs ceremonijs declaremus, nos discernere mortem hominum à morte pecudum, & testemur, uitam esse Dei beneficium, & uitæ totius cursum & mortis iter à Deo petamus. Cumq; œconomus bene mereatur de

Repub.

Repub.& multis pauperibus ſcholaſticis,pij qui eius beneficio uſi ſunt,orent Deum,ut & coniugem piam, & honeſtam fœminam, & matrem multorum liberorũ, & uere οἰκοδρομ ſeruet incolumen. Has preces debent ei pauperes multi, ſicut uiduæ Thabitæ, cuius fit mentio in Actis Apoſtolicis,pauperes debebant in Ioppe. Die 16. Auguſti. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES MARCELLVS.

BOno conſilio & ucrè paterno animo quotannis præcipimus,ne ſcholaſtici in flumen aut ſtagna ingrediantur,& iuuentutem de periculis commonefacimus. Quia nimis multa exempla nos docuerunt, quàm ſit infidum flumen & inimicum hominibus. Sed hæc tota ætas nec legum reuerentia, nec periculorum ſuorum cura ualde adficitur. Quanquam autem nobis magnum & aſſiduum dolorem hæc negligentia iuuentutis adfert, tamen hoc triſtius eſt, quòd ſæpe ipſis, qui non ſunt morigeri,exitioſa eſt.

Iterum igitur præcipimus, uitari lauationes in flumine. Et cum heri adoleſcens bene literatus

& ho-

& honestis & pijs moribus præditus Basilius Storcensis in stagno perierit, hodie funus ei fiet hora duodecima. Hortamur igitur scholasticos, ut conueniant ad Nosocomion quod proximũ est ipsi loco sepulturæ communis extra portam, ut & funerum cærcmoniæ seruentur, & ibi pijs precibus suam uitam quisq; Deo commendet, Quod eo faciendum est studiosius, quia huius adolescentis interitus ostendit, diabolum insidiari nostræ uitæ, Ideo autem filius Dei se ostendit humano generi, ut destruat opera diaboli. Confugiamus igitur ad filium Dei, & ueris uotis petamus, ut conculcato capite serpentis, nos seruet & regat. Die 4. Septembris. Anno 1546.

M. SEBASTIANVS THEODORICVS.

SVnt omnino dulciora studia doctrinæ, præsertim Philosophicæ tranquillis temporibus, Sed tamen præsertim eruditos, qui sciunt causas humanarum miseriarum, erigere & confirmare animos oportet, etiam difficilibus temporibus, ne aut dolore aut desperatione abijciant doctrinam de Deo, & de alijs rebus bonis. Imo tunc à uoce Dei, & sapientum sermonibus, qui no-

qui nobiscum in literis loquuntur, petenda est quædam leuatio. Quare tantisper donec concenditur, fruamur doctrina, Imo cum libros habemus in manibus, sæpe sustpicientes in cœlum, gemitu & uotis á Deo pacem & doctrinæ conseruationem petamus. Cum autem & Ecclesiæ Dei, & uitæ communi, doctrina de anima utilissimá sit, Aristotelis textum Græcum hora 3. quæ mihi attributa est, enarrabo. Ad eam interpretionem inuitet auditores utilitas huius partis Physices. Videtis in Ecclesia explicatione potentiarum Animæ, discrimine noticiæ & appetitionum, opus esse. Hæc nihil lucis habent sine his elementis. Dicendum est, quid sit λόγος, cum filius Dei nuncupetur εἰκὼν æterni patris, dicendum quid differant λόγος & πνεῦμα, dicendum quomodo, ut in homine, spiritus ex corde uehit omnes cordis motus, amorem, iram, misericordiam, & alios: Ita & Spiritus sanctus æterni patris & filij pectora amore mutuo iungit. Imo Deum & nostra pectora iungit, ut in suauiolo amor maternus hæret in genis infantis. Hæc & alia multa lumen accipiunt ex his dulcissimis disputationibus de anima. Et aliqua uoluptas erit, Aristotelicos fontes gustare, ut dicitur:

Nam

Nam quanquã ſapor eſt ablata dulcis in undâ,
Gratius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

Auſpicabor Deo dante proxima die Martis in loco ſolito. Die 5. Septembris. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHAN. MARCELLVS.

OREmus Deum æternum patrem Domini noſtri ieſu Chriſti, ut mitiget nobis publicas & priuatas calamitates, ac in ira, miſericordiæ ſuæ recordetur. Nam profecto duriter exercemur. Heri deceſſit ſcholaſticus honeſtus & ſtudioſus Iohannes Mittagk frater Magiſtri, qui in hac Academia fidem & diligentiam in docendo præſtat. Huic Iohanni funus fiet hodie hora 12. ad quod conueniant ſcholaſtici ante collegium, & ut funerum cæremoniæ piè ſeruentur, & ut ſuam ibi quiſq; uitam Deo commendet. Veriſſimum eſt enim, á Deo uitam noſtram pendere, ut uidemus leuiſſimis caſibus robuſtos homines extingui. Oremus igitur Deum, ut nos ſeruet & gubernet. Die 9. Septembris. Anno 1546.

Rector

ANNO 1546.

RECTOR ACADEMIAE MAGISTER IOHANNES MARCELLVS.

MEministis Martinũ Hopp oeconomum; & uirum honestum fuisse, & uera pietate Deũ coluisse, & in œconomia pauperum scholasticorum, fidelem; beneficum, et facilem fuisse, & huic nostræ Reipub. non solũ utilem, sed etiam propter multas uirtutes ornamento fuisse, Deniq; uerè bonũ publicum fuisse, ut in Græco uersu dicitur:

Χρηστὸς ἀνὴρ ὡς φασι κοινὸν ἀγαθὸν ἔστι.

Quare non dubitamus, quin in cœlestem consuetudinem æternæ Ecclesiæ traductus sit. Sed nos eius interitum, propter honestam coniugem, magnum gregem paruorum liberorum, & nostræ œconomiæ mutationem, merito lugemus. Et hic accidit casus tempore alioqui difficili. Sed Deus orandus est, ne hanc cymbam, qua uehimur, quæ multis magnis procellis concutitur, mergi sinat. Funus autem Martino fiet hodie hora 12. ad quod conueniant scholastici; & ut piæ funerum cæremoniæ seruentur, & ut ibi uitam nostram & Rempub. Deo pijs precibus

commendemus. Profecto etiã omine mouemur, quòd talis uir, cuius tanta fuit utilitas, hoc tempore nobis ereptus est, sed filius Dei promisit se mansurum esse apud eos, qui eum inuocant. Die 10. Septembris. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES MARCELLVS.

TEmpore Arcadij & Honorij, uenit Romam uir pius ex oriente, cui nomen fuit Dirimachius. Ibi cum uidit crudelia spectacula gladiatorum, & plausus furentes populi, quoties in arena aliquis interficiebatur, postridie concionari cœpit, & aboleri illum morem iussit, Hunc populus lapidibus obruit. Adeo placent consuetudine confirmati furores. Occurramus igitur malis exemplis summa seueritate. Intelligimus autem magna petulantia discurrere noctu adolescentes, & heri multipliciter iritasse ciues delectos ad excubias agendas. Scitis autem hoc tempore maiore cura, quàm aliàs, tranquillitatem ciuitatis tuendam esse, & mores oportuit modestiores esse ad precationem.

Quare præcipimus, ne uesperi in foro discur-

rant scholastici inter ciues delectos ad excubias, neue eos ulla petulantiæ significatione interturbent, neue interrogati, cur obambulent, contumaciter respondeant. Si non obtemperabunt, seueris exemplis punientur. Datæ 20. Septemb.

PAVLVS EBERVS.

EX libello de anima hactenus didicimus, quanta sit præstantia ac dignitas HOMINIS, cuius non solum corpus inæstimabili sapientia ita conditum est, ut omnes particulæ ad certas functiones destinatæ, propterea ac conueniente substantia, figura, ac situ fabricatæ ac collocatæ sint, sed etiam Anima ornata est imagine Dei conditoris, quæ etsi obscurata est lapsu primorum parentum, tamen uestigia adhuc aliqua prioris lucis in Mente, & libertatis in Voluntate reliqua ostendit, quæ res Hominem longe omnibus animantibus excellentiorem esse declarat.

Cum autem ante Nondinas Lipsicas nõ queat commode enarratio alicuius longioris scripti institui, putaui me non inutiliter facturum, si hoc interuallo Hominis sedem & cubile quasi, Terram uidelicet, studiosæ iuuentuti

conſiderandam & metiendam proponerem, ubi cognita uaſtitate terreni globi, uiciſsim hominis infirmitas & paruitas animaduerti poterit, rep= tantis in terra non aliter, quàm ſi in ampliſsimo agro Formicas uideas diſcurrentes aut congre= gratas, has quidem ut colliculum aliquem pedā= li latitudine, habitandi cauſa excauent, illas uc= ro ut frumenti grana, paleas, & ſtipulas con= gerant.

Rurſus tamen dignitatem hominis æſtimare licebit ex eo, quòd ratio humana diuinitus exci= tata & adiuta, huius ipſius uaſtiſsimæ molis ter= renæ, quā homo nullus unquam perreptare to= tam potuit, figuram, quæ ſenſum fugit, & ma= gnitudinem inquirere & prodere auſa fuerit, & in terra uarie diſtantes urbes, flumina, ma= ria, montes, ita depingere ac monſtrare ualue = rit, ut aliquis etiam ſedem patriam ſuam nun= quam egreſſus poſsit præcipuas terræ regiones ſcire & indicare, & locorum interualla certa ratione metiri. Hæc quoq; induſtria Hominem à beſtijs in eadem terræ ſuperficie oberrantibus, diſcernit, & digniorem ipſa terra facit.

Præterea cognitio magnitudinis terræ, quæ de corporum cœleſtium interuallis & ma= gnitudine

gnitudine in Astronomia dicuntur, declarat & illustrat.

Et habet necessarium usum in historiarum & poëtarum lectione, posse regiones terræ habitabilis discernere, urbium interualla metiri, dierum ac noctium quantitatem, æstatis ac hyemis temperatas aut immoderatas uires in qualibet regione nosse.

Nec Scriptura diuinitus patefacta ullo modo hac doctrina carere potest. Vt enim cætera nunc omittam, certe inuocantes Deum, debemus orare fiducia filij ipsius coæterni Domini nostri Iesu Christi, nati ex maria uirgine in Bethlehem, educati in Nazareth, patefacti in Hierusalem, ibidemq; crucifixi, sepulti, & resuscitati, ad generis humani liberationem. Illorum autem locorum certum situm & interuallum in Iudæa, iacente inter Arabiam, Syriam & Aegyptum, monstrat hæc doctrina de terræ dimensione, ne putemus esse conficta locorũ nomina, sicut quidam nostra ætate lusit descriptione florentissimi & beatissimi regni in Vtopia.

Deinde magnopere commendat nobis filij Dei immensam misericordiam hæc ipsa terræ contemplatio, cum cogitamus, quanto amore ge-

neris humani flagrare oportuerit filium Dei, qui ex æterna gloria, ac infinito maiestatis suæ throno egressus, abiecit se, & concludi passus est in hanc angustißimam aream terræ, quæ respectu cœlestium corporum puncti rationem habet, ac reptauit inter Homines, hoc est, fœdißimos & uerè ἐφιμέρους uermiculos, ipse quoq; uermis factus, ut ipse de se loquitur Psalmo 21. & passus est se ut uermiculum à crudelißimo serpente conculcari & conteri, ut genus humanum à peccato liberaret, & ex his angustiis & sordidis cauernulis secum transferret in cœlestem illam infinitæ amplitudinis gloriam. De his tantis rebus etiam hæc terræ mensuratio pium auditorem commonefacere poterit.

Cum igitur hæc doctrina homine dignißima sit, & utilitates maximas, nec nullam uoluptatem afferat, hortor scholasticos, ut hanc Physicæ partem reliquæ adiungant. Dictabo autem rationem de dimensione terræ, ac postea addam modum usitatum, quo ex longitudine & latitudine loci cognita, urbium interualla ac situs peruestigantur, quanta potero perspicuitate & breuitate, & hodie hora quarta, Deo iuuante, incipiam.

Cum

Cum autem, sicut in reliqua uita ampliſsimus & neceſſarius eſt uſus Arithmetices, ita hæc quoq; ratio metiendi terram ſine eius artis mediocri uſu abſolui nullo modo poßit, hortor ſcholaſticos, ut à profeſſore Sphærici libelli Arithmeticen diligenter diſcant, & in primis cognoſcant & exerceant, modum quærendi radicem, ut uocant, quadratam, quam partem Arithmetices hãc ipſam ob cauſam profeſſor Sphæræ hiſce diebus ſe auſpicaturum promiſit, ut audituris hanc locorum dimenſionem gratificetur. Grato igitur animo hanc prouidentiam & beneuolentiam Lectorum amplecti debetis, quæ ueſtris ſtudijs quàm rectißimè conſulere ſtudent. Die Aprilis 8. Anno 1546.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. IOHANNES STIGELIVS.

CRas hora prima Deo iuuante, publicum examen eorum, qui nunc gradum Magiſterij Philoſophici petũt, inſtituemus. Cum autem deceat doctrinæ explorationem in quadam fieri eruditorum frequentia, hortamur Magiſtros, ut tunc ad nos accedãt. Hi congreſſus

in quibus de Deo & rebus bonis disseritur, per se iucundissimi sunt, & dignissimi uiris bonis, Et hoc tempore non solum communicatione sermonis leuanda est mœsticia, Sed etiam accendenda uota mutuis consolationibus, ut filius Dei inquit: Si quid duo aut tres consentientes petent, fiet.

Declaremus igitur & in tali congressu commune studium petendi auxilij cœlestis, ne doctrina Ecclesiæ necessaria delatur. Vult enim inuocari Deus, & ideo magnis periculis exercetur Ecclesia, ut liberationes mirandæ testimonia sint præsentiæ Dei in Ecclesia, Quare non frangamur animis, Sed nos consolationibus diuinis confirmemus, qualis hæc est, Omnes capilli capitis uestri numerati sunt, & sciamus gratum Deo officium esse, & non inutile, defensionem & gubernationem petere, Quod ut à pluribus fiat, libentius conueniamus, ut Paulus inquit, ἵνα ἐκ πολλῶν πρόσωπον τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ. Propter has causas hi congressus etiam hoc tempore appetantur & amentur, quos ut Deus defendat, toto pectore oramus. Datæ die 26. Septembris.

Anno 1546.

Decanus

ANNO 1546.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. IOHANNES STIGELIVS.

HOdie unà cum Ecclesia Dei, gratias agimus Deo conditori Rerum, quòd addidit nobis custodes suos angelos, ipsum diligentes, & coràm cernentes. Et precamur nunc, cum magna agmina impiorum spirituum crudelibus parricidijs delere hanc Ecclesiam & scholam conantur, ut filius Dei dux noster nos defendat, & aduersus diabolos, & satellitium impium exercitus piorum angelorum opponat, & seruet doctrinam diuinitus monstratam. Quod eo faciat, quia literis extinctis, nec agnosci ipse, nec celebrari angeli commilitones nostri possunt. Cumq; uocet Angelos πνεύματα λειτουργικὰ, Spiritus curantes bona publica, maxime scholas & studia doctrinæ eis curæ esse consentaneum est, quæ uerissimè sunt bona publica, generi humano præcipuè necessaria. Hæc ut defendat, toto pectore precamur. Optamus etiam, ut angeli intersint renunciationi gradus cras futuræ, & parietes scholæ nostræ & iuuentutem tueantur, sicut in Euangelio dictum est: Angeli eorum semper uident faciem patris. Cum

autem & angelos Deo caros, & sine superbia seruientes nobis, adfuturos renunciationi spere-mus, hortamur & scholasticos, ut simul adsint, & nobiscum uota faciant, ut Deus seruet hanc scholam, quæ certe propter studium ueræ doctri næ magnis periculis exercetur. Non sinat igitur Deus ueritatem suam deleri, nec permittat, ut aduersarij uincant, qui dicerent euentũ testari, sua idola recte coli. O æterne Deus pater domi-ni nostri Iesu Christi, sana & serua & rege Ec-clesiam, extricatam ex erroribus. Die Michaelis.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHAN. MARCELLVS.

FAta nobis Oeconomum fidelissimum eripue runt, nũc fidelissimus minister funus Domi-ni sequitur. Nam hac nocte decessit pius et hone-stus iuuenis Nicolaus Euander, filius concionato ris Ecclesiæ Isenacensis, uiri docti & honesti. Non fiunt hæc casu, cum Christus dicat, omnes capilli capitis uestri numerati sunt. Ac ipsi qui-dem beati sunt, qui in inuocatione filij Dei ex hac uita migrant. Sed cum amittuntur in Eccle-sijs, aut politijs, aut œconomia homines fideles,

nostre

nostro damno moueamur, & oremus Deum, ut seruet bona ingenia, & prouehat ad gubernationem. Euandro autem funus fiet hodie hora quarta, ad quod conueniant scholastici ante ædes huius collegij. Et singuli suam uitam & Rempub. hoc tristi tempore ardentibus uotis Deo commendent.

Narrant hoc anno terræ motu quædam oppida antiquissima in Palestina, & multa milia hominum absorpta esse. Sepulchrum etiam Christi, quod immotum stetit annos quingentos mille, nunc quassatum profundiore loco, quàm antea stare. Hæc certe Ecclesiæ & uniuerso terrarum orbi ingentem mutationem significant, quam ut Deus mitiget, precamur. Datæ die 7. Octobris.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES MARCELLVS.

DEcessit hac nocte pius & honestus Iuuenis Iohannes Gruen Pegensis, cui funus hodie fiet hora 12. Ideo hortamur scholasticos, ut ante nosocomium eo tempore conueniant, ut piæ cæremoniæ funerũ conseruentur, quæ semper in Ecclesia seruatæ sunt, ut de immortalitate, & de futuro iudicio ibi nos commonefaciamus.

Cumq;

Cumq; ſemper, & in primis hoc tempore, horri-biliter inſidietur diabolus humano generi, in his congreſſibus de communibus periculis, & de cauſis humanarum miſeriarum cogitemus. Et cum uitam & ſtudia noſtra, tum Eccleſiam & has politias, quæ præbent hoſpitia Eccleſiæ, pijs precibus Deo commendemus. Die 13. Octobris. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES MARCELLVS.

Deceſſit hac nocte adoleſcens nobilis, in familia Equeſtri uetuſtæ gentis Myſorum natus, & honeſtis moribus præditus, Chriſtophorus à Creitenbach, quæ familia multos præſtantes uiros genuit, qui & conſilio rexerunt Rempub. & doctrinæ monumenta poſteris tradiderunt. Hic autem Chriſtophorus pietatis eximia ſigna oſtendit, in ipſo agone, ſe commendans filio Dei, qui abolita morte uitam reddit omnibus ſerio cum inuocantibus. Tales traduci in æternam Dei conſuetudinem, uere ſtatuendum eſt, corpus autem hodie hora quarta ſepelietur. Quare ut piæ ceremoniæ funerum ſeruentur, ea hora ſcholaſtici ante ædes D. Antonij

tonij Schenitz nobilitate & uirtute præstantis conueniant. In eo congressu singuli petamus, ut Deus nos gubernet & seruet, & piam & salutarem pacem Reipub. restituat. Datæ die 12 Octobris.

RECTOR ACADEMIAE
M. IOHANNES MARCELLVS.

IVcundiora sunt studia literarum in ocio & tranquillis temporibus, Sed in hac uita non est perpetua hominum tranquillitas. Et cum Ecclesiam suam Deus tanquam in medijs fluctibus nauigantem, uariè exerceri uelit, causæ notæ sunt ex cœlesti doctrina, de quibus cogitantes, adiungamus & hanc consolationem, quam non nossent homines, nisi certis & illustribus testimonijs diuinitus tradita esset, quòd affirmat Deus, se Ecclesiam suam seruaturum esse, et quidem in ipsis ærumnis nobis adfuturum, & inter afflictos, qui eum inuocant, habitaturum esse. Idq; facit, ut in admirandis liberationibus, præsentia eius in genere humano conspiciatur. Quare etsi nunc multa sunt pericula nostræ Ecclesiæ & Academiæ, tamen erigamus nos cogitatione promissionum diuinarum, ac petamus & expe-

ctemus

ctemus auxilium à Deo æterno patre domini nostri Iesu Christi. Hac ſpe reliquias ſcholæ tueamur.

Ideo quod faſtum ac fœlix ſit, cras Rectorem Academiæ eligemus, & noſtrum cœtum ad renunciationem conuocamus. Conueniant igitur Magiſtri & ſcholaſtici, cras poſt ſeptimam horam in auditorio maximo collegij, ubi non ſolum audiant uſitatam renunciationem, ſed etiam pia uota coniungant, ut Deus protegat hanc Eccleſiam, & doctrinæ ſtudia, & hæc noſtra tecta. Id officium poſtulat Deus, nec inane murmur inuocationem noſtram exiſtimemus, Sed ſciamus, uota noſtra, gemitus noſtros, & lacrymas exaudiri, ut in Eccleſiaſtico dicitur: Precatio humilium nubes penetrabit, & lachrymæ uiduæ genis defluentes in cœlum aſcendunt. Plærunq; autem ut uidua, Eccleſia nulla aut exigua habet humana præſidia, itaq; aliqua cum ſpe auxilij diuini precatio facienda eſt. Die 17. Octobris. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE CASPARVS CRVCIGER S. THEOLOGIAE DOCTOR.

CYgneam Vrbem honeſtam, & cuſtodem diſciplinæ ſeueram, & nobis amicam, obſidione

fidione cinctam esse certum est, Quæ si fuerit dedita, aut occupata, exercitus hostilis huc adducetur. Etsi autem speramus Deum mitigaturum esse has calamitates, tamen cum hic metus sit obsidionis, utilius est teneræ ætati hinc abesse, propter multa pericula, & uarios obsidionum euentus. Et Illustrissimo principi electori sic uisum est, dimittendum esse cœtum scholasticum.

Quanquam igitur dolendum est, dissipari hanc scholam, quæ harum Regionum Ecclesias pie erudijt, tamen necessitati parcamus, ac liberum est cuiuis, quo uolet, migrare. Sed hoc officium iustum & necessarium est, ut singuli creditoribus satisfaciant.

Aliqui ex lectoribus in uicinam urbem Meideburgam se conferent, ubi si quam scholæ umbram habere poterunt, hac hyeme operas scholasticas Deo iuuante, facturi sunt.

Oremus autem Deum ardentibus uotis, ut piam & salutarem pacem restituat.

Die 6. Nouembris. Anno 1546.

ANNO 1547.

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA ANNO 1547.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER D.

SAepe accidunt Ecclesiæ mala inextricabilia humanis consilijs, cuius rei illustris imago proposita est in lapsu primorum parentum, qui post delictum uerè ab omnibus creaturis destituti erant. In tantis miserijs cum essent, prodijt tamen Deus conditor, & uoce promissionis edita, ostendit se recipere genus humanum. Quo exemplo testatus est, se nobis opem ferre, etiam cum destituimur ab omnibus creaturis, Ac non solum exempla deinceps multa tradita sunt, sed præcipitur etiam, ut in ærumnis petamus & expectemus opem diuinam. Vt enim conspici præsentia Dei in Ecclesia possit, in his ipsis periculis, quæ non discutiuntur humanis consilijs; dextra sua Deus nos erigit ac protegit.

Hac igitur fide excitati, hoc tristi tempore, petamus

petamus à Deo ueris gemitibus ac uotis, ut in ira misericordiæ recordetur, ac piam & salutarem pacem huic Vrbi & his regionibus, in quibus sunt Ecclesiæ hospitia, restituat, & priuatas calamitates mitiget, & rursus pia doctrinæ studia accendat.

Nam ad belli mala accessit Academiæ etiam illa calamitas, quòd hic unus annus tres uiros nobis eripuit, qui præcipue fuerunt usui scholæ. Doctrinæ lumen Reuerendum D. Martinum Lutherum.

Deinde gubernatorem œconomiæ fidelem & fœlicem.

Nunc Iohannem Rhau quæstorem, Virum honestum, integrum, officiosum, & bona fide functum suo munere. Talium uirorum interitus etiam propter omen nobis maiorem dolorem adfert, quod tamen ut Deus mitiget, oremus. Fiet autem funus Iohanni Rhau hodie hora quarta, ad quod conuenire honestos homines pium officium est. Quare eos præsertim, qui nostræ Academiæ coniuncti sunt, adhortor, ut usitatis cæremonijs intersint, & coniungant preces cum Ecclesia, petente mitigationem communium miseriarum, & pacem. Die 6. Februarij.

Anno 1547.

ANNO 1547.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

ESaias inquit, iustos colligi, ne uideant mala, & dulcissimis uerbis eos in cubili suo quiescere ait, donec filius Dei Ecclesiam suam, reuocatam ex morte, in triumpho suo coram uniuerso genere humano æterna gloria ornabit.

Cum igitur fatalis mutatio orbi terrarum impendeat, Deus præripuit uenientibus calamitatibus hoc ipso anno multos uiros in his regionibus uirtute præstantes. Reuendum. D. Martinum Lutherum. Fridericum Miconium. Cordatum, & nuper Vratislauiensis Ecclesiæ gubernatorem Hessum, & alios.

Extincti sunt & in bello multi, quorum fuit eximia uirtus. Albertus Dux Brunsuicensis, prælians in ripa Danubij, simili ætate & fortuna, ut Pallas Euandri filius apud Virgiliũ, & alij quidam uiri fortes, qui pio studio propter Ecclesiam militarunt.

Nunc in hoc oppido ciuis honestißimus Georgius Plochinger ex hac mortali uita euo-

catus

catus est, qui Deum uera pietate coluit, & familiam habuit honestißimam, ac liberos reliquit, quorum ingenia magno ornamento Ecclesiæ ad posteritatem fore ſperamus. Fiet autem funus Georgio cras hora duodecima, in quo pios conuenire decet ad conſeruationem piæ cæremoniæ, & ad precationem, ut noſtram uitam Deo commendemus, ac petamus, ut publicas calamitates mitiget, & ſeruet Ecclesiam, & Ecclesiæ domicilia ad posteritatem. Impendent enim magnæ uniuerſi orbis terrarum mutationes, quas ut Deus clementer regat, toto pectore eum rogamus. Die 2. Februarij.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

NOn existimemus irritas esse preces & gemitus piorum in Ecclesia Dei. Sed reuera exaudit nos Deus, & mitigabit nobis calamitates publicas & priuatas, ſi cum fiducia filij inuocabimus, qui propter Ecclesiam ἱκέτης factus est æterno patri. Quare in omnibus pijs congreßibus uota coniungamus, ac ardenter petamus, ut Deus ſibi inter nos per-

petuo Ecclesiam seruet, ac regat, eiq; honesta & tranquilla hospitia concedat, & non sinat extingui doctrinæ lucem ac studia. Hæc hodie quoq; petamus, cum ad funus uenerandi Domini Nicolai Rhodæ conueniemus, qui heri ex hac mortali uita in cœlestem euocatus est. Senex fuit amans doctrinæ cœlestis, & uera inuocatione Deum coluit. Fiet autem ei funus hodie hora duodecima, Tunc igitur in plateam proximam ædibus uiri honestißimi Magistri Lucæ Edebergij ueniant Magistri & scholastici Academiæ. Die 25. Februarij.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER D.

DEum æternum patrem domini nostri Iesu Christi conditorem cœli & terræ & Ecclesiæ suæ oramus, ut propter filium mediatorem in ira sua misericordiæ recordetur, ac mitiget publicas et priuatas calamitates. Videmus enim quasi fatali concursu multarũ calamitatum ingentem irã Dei denunciari. Accedit ad bellum intestinum, lues, quæ passim uagatur, & publici dolores priuatis miserijs augentur. Cum autem

lutem uir clarißimus, eruditione et uirtute præ=
ſtans Laurentius Zoch Doctor Iuris hac nocte
ex hac mortali uita ad æternam Dei & domini
noſtri Ieſu Chriſti, & totius Eccleſiæ cœleſtis
conſuetudinem euocatus ſit, magno in luctu ſu=
mus, et quòd talem uirum, qui eximiũ Academiæ
noſtræ ornamentum fuit, amiſimus, & quia ſci=
mus magno dolori eſſe eius interitum clariſſimo
uiro Domino Hieronymo Schurff Doctori iu=
ris, qui & de Republica, & de hac Academia
optime meritus eſt, & nunc totius noſtri cœtus
propter uirtutis & ætatis autoritatem tan=
quam pater eſt.

Quare & ipſius, & honeſtißimarum matro=
narum, matris & filiæ dolore affici nos iuſtum
eſt. Miſceamus autem lacrymis noſtris uera uo=
ta, ut Deus mitiget nobis ærumnas, nec ſinat diſſi
pari harum Regionum Eccleſias, & extingui
doctrinæ ſtudia, ſed piam & ſalutarem pacem
reſtituat. Funus autem fiet cras poſt concionem
circiter horam nonam ante meridiem, Ad quod
conuenturos eſſe omnes Doctores, Magiſtros &
ſcholaſticos noſtros non dubitamus, & ut con=
ueniant eos hortamur, ut & dolorem ſuum oſten
dant, & ſuas preces cum noſtris coniungant.
Anno 1547.

ANNO 1547.

RECTOR ACADEMIAE
CASPARVS CRVCIGER D.

DEVs *æternus Pater domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, singu=lari beneficio in Ecclesia certos ritus* πάχατ& *seruauit, inde usq; ab exitu Israe=litarum ex Aegypto, hactenus tria millia anno=rum, & annos sex & quinquaginta. Vult enim cognosci & celebrari, mirandum consilium re=conciliationis factæ per filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, quem uoluit pro no=bis fieri uictimam* μεσίτην καὶ ἱκέτην. *Nec tantum in terris celebratur Paschatis memo=ria, sed multo maiore frequentia & lætitia cœ=lestis Ecclesia uniuersa hodie conuenit ad Du=cem suum filium Dei,* λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐ=διον ἀϊδίῳ πατρὶ, *& gratias ipsi ac patri æterno agit, intuetur in luce patris omnes cau=sas, cur decretum sit, hoc modo liberandum esse genus humanum, & simul nos complectitur suis uotis. Orat iam, ne Pascha deleatur in terris, ne doctrina extinguatur, & petit seruari ac defen=di has nostras Ecclesias, quærentes & amantes ueritatem. Adiungamus ergo nos ad huius Ec=clesiæ æternæ societatem, & cum ea gratias ag=a=*

mus

mus Deo æterno patri, & filio eius Domino nostro Iesu Christo, pro admiranda liberatione facta per filium, & petamus ueris gemitibus ac uotis, ut nunc defendat & regat has Ecclesias, nec sinat inter nos extingui lucem doctrinæ. Ipse est καρδιογνώστης, scit nos simplici studio quæsiuisse ueritatem. Nunc oremus, ut suo auxilio testetur, hanc esse suam ueritatem, quam docemus, & opem ferat ipsi perielitanti doctrinæ, quia Dei opus est seruare ueritatem. Et filius Dei reuixit ex morte, ut destruat opera diaboli. Nunc igitur etiam ardentibus uotis oramus filium Dei, ut reprimat diabolum, molientem parricidia Ecclesiarum nostrarum, & conantem mendacijs idola restituere. AD TE IESV CHRISTE fili Dei, crucifixe pro nobis & resuscitate confugimus, te inuocamus cum uniuersa Ecclesia cœlesti iam tecum Pascha celebrante, & precamur, ut Ecclesiam huius oppidi & harum regionum serues, defendas ac regas. Hortamur autem Magistros & scholasticos qui adsunt, ut lætentur cum societate totius Ecclesiæ in celebrando Paschate, & nobiscum coniungant gemitus & preces. Declarent etiam hanc suam pietatem significatione aliqua gratitudinis erga Euangelij ministros. Datæ die Paschatis.

ANNO 1547.

EPISTOLA RECTORIS MISSA AD COLLEGAS ABSENTES.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS Cruciger Doctor. S. D. omnibus Doctoribus & magistris, qui Doctrinam Ecclesiæ & uitæ necessariam in Academia docent.

CLarissimi & doctissimi uiri, amici & collegæ carissimi. Cum Paulus Apostolus dicat, uniuersam naturam rerum gemere & parturire cum Ecclesia Dei, necesse est simul multos in Ecclesia magnorum dolorum sensu adfici, quorum ueras causas & efficacia remedia ostendit non humana sapientia, sed doctrina cœlestis. Ac nos quidem nunc in tantis nostris & Ecclesiæ periculis, duriter excruciamur.

Sed gemitus nostros & lacrymas, ac doloris causas uidet exauditq; Deus æternus pater domini nostri Iesu Christi, qui propter filium, qui pro nobis supplex est æterno patri, mitigabit ærumnas, & in ira misericordiæ suæ recordabitur.

tur. Cumq; nos cogitatione doctrinæ cœlestis sustentari & seruari uelit, studia doctrinæ etiam non prorsus extingui sinet, quæ quidem et in ijs locis seruabit, ubi uox sonat ueræ doctrinæ.

Quanquam autem multi horribiliter irascuntur nostro oppido, tamen hactenus Deus ibi seruauit uocem suæ doctrinæ, et scholæ reliquias. Quare & ipsi eas non deseramus, donec Deus facultatem aliquam conueniendi concedet, præsertim cum adhuc multæ gentes de magnis rebus nostræ Ecclesiæ iudicia intueantur.

Cum igitur instet tempus eligendi Rectoris de more, etsi inter arma & in tam tristi bello hæ deliberationes intempestiuæ uidentur: tamen quia de necessarijs quibusdam negocijs deliberandum est, uelim aliquam frequentiam esse consilij nostri, uosq; adhortor, ut quod faustum & fœlix sit, in oppido nostro ad calendas Maij, ad electionem Rectoris, & alia quædam negocia conueniatis.

Etsi autem in tantis periculis dissimilitudo & iudiciorum & uoluntatum existere solet, & nos multa nostra uicia & errata agnoscimus, ac necessario dicimus, ut Daniel, Tibi domine iusti-

cia, tamen simul, ut Daniel, ad misericordiam Dei confugimus, cum sciamus nos bono & simplici studio quæsiuisse ueritatem, & multas partes doctrinæ necessariæ in Ecclesia rectè illustrasse, ac uerè ibi esse Dei Ecclesiam, ubi de fundamento, quod est filius Dei, rectè docetur.

Talium inuocatio cum non sit irrita, hac certa spe leniamus dolores nostros, & petamus, ut Deus inter nos seruet semen sanctum, ut uocat Esaias, hoc est, suæ Ecclesiæ agmen & reliquias, & mitigationem calamitatum expectemus, sicut Propheta inquit. Misericordiæ domini est, q̃ non consumpti sumus. Bene ualete. Datæ Vuitebergæ Aprilis die 26. quo die ante annos 3853. Noha obtemperans mandato diuino Arcam ingressus est, & annum integrum in medijs fluctibus ac procellis iactatus, firma fiducia diuinæ promissionis, expectauit liberationem, ingenti cum dolore animi conspicatus interitum fere totius generis humani. Quo exemplo monemur, ut nunc quoq; in ruinis imperiorum, ac ingentibus ærumnis ac periculis, confidamus, Deum defensurum & glorioſè liberaturum esse suam Ecclesiam. Anno 1547.

Rector

ANNO 1547.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

ORemus Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut in ira simul misericordiæ recordetur, & pœnas mitiget. Non exhauriri dolor noster posset, etiamsi tantum flumen lacrymarum profundere possemus, quantum undarum uehit Albis, tantá multitudo calamitatum concurrit. Accesserunt ad cætera belli mala tristißima plurimornm domestica funera, & quod ominosum est, uidemus insigni uirtute, & pietate præditos præcipuè extingui, quasi granis exemptis denuncientur aliæ tristiores pœnæ siliquis. Heri honestißima matrona coniunx uiri clarißimi Domini Doctoris Benedicti Pauli in inuocatione filij Dei, & inter uota, plena pietatis, ex hac mortali uita decessit, & ingentem dolorem ac ingens desiderium, hoc præsertim tristi tempore, marito graui annis, & patri multorum liberorum, & pleno syncerißimi amoris erga coniugem & liberos reliquit. Huius dolore nos quoq; adficiamur, & nos ipsos communium & nostrarum miseriarum cogitatione ad inuocationem Dei, &

Dei, & ad uera officia pietatis excitemus. Fiet hodie funus mortuæ illi matronæ hora tertia, ad quod conuenire uolumus eos, qui ad Academiam pertinent, quicunq; nunc in oppido nobiscum degunt. Fuit ipsa matrona exemplum illustre pietatis & optimorum morum uniuersæ ciuitati, & cum in tota uita Deum ueris officijs coluit: tum in ipso aditu mortis perspicua confessione fidei, & inuocatione sese filio Dei Domino nostro Iesu Christo commendauit. Quare ab huius matronæ moribus in uita, & à consolatione, qua ipsa sese erexit in morte, exemplum sumamus. Harum rerum cogitatio etiam lenire luctum marito, uirtute & pietate præstanti debet, cum quidem uerissimam esse uocem filij Dei statuat: Hæc est uoluntas Dei, ut omnis qui credit in filium, habeat uitam æternam. Hac nos consolatione confirmemus, nec deprauari eam falsa interpretatione hostium Euangelij sinamus. Datæ die 22. Augusti. Anno 1547.

HIC DEI BENEFICIO
RESTITVTA EST ACADEMIA.

RECTOR ACADEMIAE
VVITEBERGENSIS CASPARVS
CRVCIGER DOCTOR.

Misericordiæ

ANNO 1547.

Misericordiæ Domini, quòd non consumpti sumus, inquit Ieremias, non tantum de suæ ætatis calamitatibus, sed etiam de tristioribus pœnis, quas in Ecclesia horribiliter grassaturas esse alijs temporibus uidit, quas tamen leniri significat immensa bonitate Dei, ne prorsus ipsius noticia in genere hnmano extinguatur. Ergo ut Ieremias, ita nos quoq; Deo æterno patri domini nostri Iesu Christi, conditori cœli & terræ & Ecclesiæ suæ, laudem iusticiæ & misericordiæ tribuamus, quòd & uerè irascatur peccantibus, & tamen in ira misericordiæ suæ recordetur, eumq; uero timore, & uera inuocatione colamus, ac nunc gratias agamus, quòd aliquas Ecclesiæ suæ in hac urbe, & in his regionibus reliquias seruat, quòdq; lucem doctrinæ suæ non prorsus extingui sinit. Etsi autem in magno luctu & mœrore sumus, tamen & hanc ipsam ob causam, ut à uoce Dei consolationem petamus, decreuimus, Deo iuuante, rursus inchoare prælectiones, de quibus singuli lectores horas & materias significabunt.

Quanquam autem iucundiora sunt studia doctrinæ, lætis temporibus, tamen propter imperiorum tumultus nullo modo abijcienda sunt.

Sed

Sed cum propter priuatam consolationem, tum uerò propter posteritatem colenda sunt, et difficultatibus repugnandum est animi moderatione, & pia precatione, quæ non erit irrita.

Excitemus nos ad curam legendi & discendi, uoce diuina, quæ inquit. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Habitabit inter nos Deus, si studia cœlestis doctrinæ modestè colemus, & nobis & alijs calamitates leniet, & hospitijs doctrinæ restituet tranquillitatem, & labores discentium prouehet, quod ut faciat, ardentibus eum uotis, & ueris gemitibus oramus. Die 16. Octobris. Anno 1547.

PHILIPPVS MELANTHON.

DEo æterno patre Domini nostri Iesu Christi, conditore cœli & terræ & Ecclesiæ suæ iuuante, inchoabo enarrationem Epistolæ Pauli scriptæ ad Colossenses, die 24. Octobris proxima, hora nona in ædibus collegij ueteris. Deinde cæterarum prælectionum materias & tempora indicabimus. 16. Octobris.

Caspar

ANNO 1547.

CASPAR CRVCI-GER DOCTOR.

SYmboli Niceni enarrationem ideo institui, quia cum articulos fidei ordinè recenseat, explicatio ita institui potest, ut summam doctrinæ, quæ propria est Ecclesiæ, complectatur. Necesse est autem integrum doctrinæ corpus tenere, in quo membra oportet rectè distribui & ordinè collocari. Etsi autem antea locos aliquot enarraui, tamen decreui res easdem ab initio repetere.

Quanquam enim de sententia nihil mutabimus, tamen quædam membra uberius in repetitione, ut sæpè fieri solet, enarrabuntur. Et auditores rectius iudicare discunt ijs de rebus, quas in repetione iterum atq; iterum intuentur, seu ut Plato dicit, quas diu multumq; sursum ac deorsum uoluunt.

Adiungam autem & Ebraicæ linguæ Grammaticen, & enarrationem uel Psalmorum uel Prouerbiorum Salomonis, ubi cœtum auditorum uidero. Oro autem Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi, fontem sapientiæ, & conditorem Ecclesiæ, ut seruet Ecclesiam, & studia nostra regat. 23. Octobris. Anno 1547.

Paulus

ANNO 1547.

PAVLVS EBERVS.

CVm uisum sit gubernatoribus huius Academiæ inchoare rursus operas scholasticas, ego quoq; ne officio meo desim, cras hora prima auspicabor, Deo iuuante, secundum librum Hesiodi, qui continet præcepta Oeconomica, & Ethica, quibus insperſa sunt multa Physica & Astronomica, de ortibus & occasibus certarum stellarum, quibus uetustas partes anni discernere, & initia præcipuarũ operarum rusticarum designare solita fuit. Tribuam eius libelli explicationi duos dies, alteris duobus more consueto dictaturus Physicen, in cuius secundo libro absoluetur tractatus de causis, & utilia dicentur de fato, de fortuna, de casu, de uiribus & effectionibus Astrorum, & de alijs naturæ partibus, quarum cognitio maximum usum habet in uita communi, & ueras uoluptates quærenti, iucundißima est.

Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi coniunctis, & ardentibus uotis precemur, ut his uastatis regionibus piam ac salutarem pacem concedat, ut iuuentus reuocari ad necessariarum artium cognitionem posßit, ne

extincti

extinctis pijs studijs, doctrinæ cœlestis obscuratio sequatur, & in moribus barbarica feritas existat, quæ iustiçiã, disciplinam, & omnem honestatem opprimat & conculcet, quæ mala cum tanta sint, ut quilibet sanus & se & suos potius extinctos esse malle debeat, quàm in illis pestibus uitam ducere, anniti debemus, ut & seria morum emendatione, ac precum assiduitate, ea mala auertamus, & suo quisq; loco pro uirili pia studia reuerenter colamus, adiuuemus, & promoueamus.

Hæc si diligenter fecerimus, Deus nobis & impendentia mala mitigabit, quæ cum alia signa, tum præcipue sequentes luminarium horrendi defectus minantur, & in turbatione imperij Germanici aliquem tamen nidulum dabit, ubi colere & exercere studia pietatis possimus.

Te precamur æterne fili Dei, Domine noster Iesu Christe λόγε καὶ εἰκὼν ἀϊδίε πατρός, tuere, rege, ac conserua Ecclesiam tuam in his ingentibus ærumnis ac periculis, ac prohibe, ne impeditis pijs studijs, puritas tui uerbi opinionũ humanarum sordibus inquinata, deleatur, Sed adiuua, ut syncera doctrina propagari ad posteritatem possit, ut relinquatur inter nos tibi sanctum

ctum ſemen, quod te agnoſcat, & in æternitate cum æterno patre tuo & Spiritu ſancto celebret. Amen Amen. 23. Octobris.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER D.

VIR honeſtus & eruditus Iohannes Sens Nuoburgenſis, qui recens in ſchola Lubecenſi utiliter erudijt iuuentutem, cum in multis Academijs antea fuiſſet, & perluſtratis multis regionibus non tantum multorum hominum urbes uidiſſet, ſed etiam mores ac ſtudia cognouiſſet, nuper huc uenit ex patria ægrotus, is hac nocte, cum animam filio Dei piè commendaſſet, deceſſit.

Vt autem funeris cæremoniæ uſitato Eccleſiæ more fiant, hortamur ſcholaſticos, ut hora 4. ante ædes Ioſephi Typographi conueniant. Cum autem hos congreſſus in Eccleſia inſtitutos eſſe ſciant, ut commonefacti morte aliorum, cogitemus de cauſis mortis, & aliarum calamitatum, de noſtra immortalitate, de iudicio Dei, & de filio Dei, domino noſtro Ieſu Chriſto, eos pio ſtudio frequentare debent, & ſimul orare Deum, ut ſeruet Eccleſiæ ſuæ bona ingenia, & aliquod

quod ſanctum ſemen. Ac nunc tempora nos ex-
uſcitent, ut uota faciamus ardentius. Miscitantur
horribiles motus non ſolum diſcordiæ in Re-
buſſpub. ſed etiam ipſæ Eclipſes, quarum illa, in
qua ſol menſe Nouembri obſcurabitur, ingen-
tes tumultus proximo anno denunciat, quia in
illis tenebris cum congreſſus fiat Solis, Lunæ,
Martis, Veneris, Mercurij in Scorpio, faſtigium
cœli tenente, dira uenena miſcentur. Petamus
autem à Deo mitigationem pœnarum, & ut fiat
ardentior precatio, mores ſint modeſtiores.
24. Octobris.

IOHANNES BVGENHA
GEN. POM. DOCTOR.

HOdie hora tertia incipiam prælegere Io-
nam Prophetam, in quo diſcemus illud
Pſal. 51. Ecce enim ueritatem diligis,
quæ eſt in occulto, & occultam ſapientiam tu-
am manifeſtas mihi. Chriſtus ſuo ſpiritu ad-
ſit nobis.

PHILIPPVS ME-
LANTHON.

Οἱ θνατοὶ πελόμεθα, τὸδ' ἄυσιον οὐκ ἐσο-

ξῶμεν inquit Theocritus, humana sapientia non omnes casus prospici posse. Nosq; homines esse meminerimus, & imbecillitatem nostram agnoscamus, ac à Deo gubernationem petamus, ut mandatum est, Iacta curam tuam in Deum, & ipse te sustentabit. Etsi igitur nescimus, quam diu concessurus sit Deus halcyonia nostris studijs qualicunq;, tamen interea non abijciamus literas.

Rogatus sum à quibusdam, ùt Salomonis prouerbia die Saturni enarrem. Liber plenus est dulcißimarum sententiarum de omnibus uitæ partibus, & doctrinam multiplicem continet. Cras igitur Deo iuuante hora nona inchoabo eam enarrationem. Die 4. Nouembris.

IACOBVS MILICHIVS DOCTOR.

ETsi dulciora sunt studia doctrinæ tranquillis temporibus, tamen cum ars medica omnibus temporibus necessaria sit, nunquam studia eius abijcienda sunt. Imo sæpe noua remedia in ipsis castris reperta sunt. Vt scribunt Alexandro in somno monstratam esse herbam, medentem uulneribus, quæ sagittis uenenatis facta erant. Signifi=

Significandum igitur duxi ſtudioſis artis Medicæ, me et Galeni librum de morbis & ſymptomatibus enarraturum, & biduo in ſeptimana traditurum artis epitomen, in qua doctrinæ partem complecti neceſſe erit eam, cuius maximus uſus eſt, et quæ uitæ humanæ præſidium eſt. Oro autem Deum, uitæ & artis autorem, ut & pacem ſtudijs concedat, & in docendo, diſcendo, & medicando nos adiuuet, & doctrinam utiliſſimam uitæ, monſtratam ab ipſo, & teſtificantem Deo curæ eſſe genus humanum, non ſinat interire. Cras igitur Deo iuuante hora 4. in meis ædibus inchoabo epitomen. Ad diem Iouis libros Galeni de morbis & ſymptomatibus Græce. 6. Nouembris.

SEBASTIANVS THEODORICVS.

QVod faustum & fœlix ſit, enarrabo in prælectione publica mihi commendata librum de anima editum ante annos aliquot in hac Academia, qui magnam phyſices partem repetit & illuſtrat, & multa continet profutura in alijs artibus, ac præcipue in doctrina Eccleſiæ. Multum etiam ad tuendam ualetu-

dinem conducunt. Et consideratio ipsa seu qualiscunq; aspectio naturæ, dulcis, & perliberalis, & homine ingenioso dignissima est. In qua & hoc considerandum est, Deum uelle aspici artem, qua condita est hominum natura, ut inde sumamus euidentia testimonia, quæ ostendunt hanc naturam rerum non extitisse casu, ultq; hanc considerationem opificij sui monitricem esse de diuina natura.

In omni inuocatione necesse est nos cogitare, nos inuocare Deum, qui sit mens intelligens, sapiens, bona, iusta, casta, benefica, misericors. Horum nihil cogitari potest, quid sit, aut quale sit, nisi hunc typum utcunq; consideremus, scilicet animam humanam, quæ est mens intelligens, & ita condita, ut æterno & immoto septo distraheat honesta à turpitudine, quod septum ideo conditum est, ut discernamus Deum à malis & incestis naturis. Sed omitto præconia huius doctrinæ, quia nullius hominis tanta est eloquentia, ut enumerare utilitates possit, quas adfert hæc doctrina, tametsi uelut per caliginem in hac uita res tantæ foris tantum, & procul aspiciuntur, sed præparari tamen Deus nos uult hac consideratione ad illam alteram secuturam in consuc-

consuetudine cœlesti illustriorem. Auspicabor autem die Iouis hora 12.

DE ECLIPSI LVNAE QVAE ERIT DIE OCTObris 28. huius Anni 1547.

CErta Deus toti impressit uestigia Mundo,
Agnosci sapiens conditor unde queat.
Nec natas casu res esse, ars indicat ipsa,
Stellarum motus, quæ regit atq; uias.
Esse Deumq; docet menti lux insita nostræ,
Separat à factis quæ uiciosa bonis,
Conscia corda Dei cum iustam uindicis iram
Quolibet admisso crimine mœsta, tremunt.
Et semper culpam pœnæ comitantur atrocem,
Et si sera, tamen præmia laudis erunt.
Non urbs, non regio, non ætas ulla seueri
Iudicij exemplis, non domus ulla, caret.
Ac Deus ut flectat nos ad meliora, stupendis
Incautos signis præmonet ipse datis.
Sæpe timent aliquem conterrita sidera casum.
Sæpe ingens tellus ceu ruitura tremit.
At quem nulla mouent uenturæ nuncia pœnæ,
Cyclopum similes forsitan esse uolent.

ANNO 1547.

Sponſi Penolopes mimitantia numina rident,
Cum cernunt tota triſtia ſpectra domo.
Cumq; madent tetro ſudantia ſaxa cruore,
Et ſubita Phœbum Cynthia nocte tegit,
Mox tamen hunc riſum Sardoũ pœna ſecuta eſt,
Qualis contempti numinis eſſe ſolet.
Nos igitur moniti tollamus lumina ad aſtra,
Non aſpernantes ſigna uerenda Dei,
Heſperias Phœbus cum cras mergetur in undas,
Luna tenebroſum proferet atra caput.
Poſtq; dies aliquot cum iam decreuerit orbis,
Venit & ad fines Scorpio Luna tuos.
Horrenda inuoluet fratris caligine uultus,
Cum iam de cœli culmine ducet equos.
Et ſimul in tenebras incurrent Marſq; Venuſq;,
Callidus & fraudum ſtructor Atlantiades.
Hei mihi quos motus populi, quantosq; furores
Portendunt tetro ſidera iuncta loco?
Hæc licet aſtra regant homines, regit attamen
Noſter qui nõ uult Stoicus eſſe Deus. (Aſtra
Nos igitur quibus eſt afflicta Eccleſia curæ,
Aſſidue oremus ſupplice uoce Deum.
Leniat ut clemens hæc tanta pericula nobis,
Et ſanet populi uulnera ſæua ſui.

De Eclipſi

ANNO 1547.

DE ECLIPSI SOLIS DIRAET HORRENDA, FVTVRA die Nouembris duodecimo. Anno 1547.

Casparus Cruciger filius.

INdignum est, hominũ cœlo lugente furores,
Non homines proprijs ingemuisse malis.
Nam si fata Deus differt, non protinus aufert,
Si qua ruit sero, uasta procella ruit.
Penelopes risere proci non irrita signa,
Signa sed exitium præmonitura sequens,
Tristia cum noctu discurrunt spectra per aulã,
Lapsaq; de Pario marmore gutta rubet,
Solis & obscura subito ferrugine tincti
Decidere effusis temo uidetur equis:
Illis ergo comes paulo post flebile fatum,
Sardoi risus, luxuriæq; fuit.
Finxerit hæc sane, non hos male pinxit Homerus
Pro stulta pœnas impietate dare.
Nos igitur moniti metuamus numinis iram,
Euentura monent sidera, si qua monent.
Ac si quæ fuit, ut certe fuit hactenus ingens
Flamma, secuturæ prima fauilla fuit.
Quadrijuges etenim cœli de culmine ducens,
(Quando bis orta dies sexta Nouembris erit)

Amittet radios Titan, & lumine cassum
Terribili fratrem Cynthia nocte teget.
Nulla diu tenebris luxerunt sidera tantis,
Nulla diu infecit tristior umbra polum.
Non funesta adeo spectacula præbuit orbi
Delius hoc æuo, quod meminisse potes.
Tempore quo Synodus certamina finijt, orta,
Quæ cœca fuerant ambitione Patrum,
Hic ubi Bodamici uelox per limpida stagna
Cœruleas gaudet uoluere Rhenus aquas,
Agmine tunc etiam comitum stipatus eodem,
Phœbus in atratis decolor ibat equis.
Hunc Gemini, & Maia genitũ, Martemq; uche-
Qui gladios acuit Cisca Boheme tuos. (bant,
Hinc animosa suas acies Germania cedi
Vidit, & Italiæ sanguine fluxit ager.
Nunc etiam iuncti Phœbo quasi funera ducent,
Qui proprijs rapido motibus axe meant.
Dira uenenifera qua Scorpio spicula caudæ
Vibrat, in octauæ nigra feretra domus.
Contigui Venerem lædunt contagia Martis,
Ventilat accensas ferreus ille faces,
Cui uafer ingenij Cyllenius arma ministrat,
Vi dolus, atq; dolo uis gemmata furit:
Vt cum sulphurei rapit ignem copia nitri,
Horribiles edunt fulmina tanta sonos.

Ergo

Ergo uelut geßit tunc acre Bobemia bellum,
Doctoris cineres fortiter ulta ſui.
Sic iterum clades portendunt aſtra cruentas.
Non plus fata tamen quàm pia uota ualent.
Orandus Deus eſt, ut Chriſti propter honorem,
Pro ſcelere humano ſupplicis ante patrem,
Membra tegat cœtus parui ſua dicta colentis,
Et regat afflatu pectora docta ſuo.
Concedat ſtudijs pacem, concedat & aris,
Leniat ærumnas, liberet atq; malo.

1547.

IN THEORICAS PLANETARVM, M. ERASMVS REINHOLDVS SALVELDENSIS.

VTinam, ut cum Græcis oraculum reſpondiſſet, tunc pacem fore, cum arã cubicam in Delo duplicaſſent, ſapientes interpretes moneri eos iudicarũt, ita fore pacem, ſi Philoſophiã colerent, Ita & noſtris temporibus mitia ſtudia Philoſophiæ, quæ mentes ad moderationẽ, & ad amandam tranquillitatem ac populi ſalutem tuendam flectit, pacem reſtituerent. Ac profecto

facto Reipublicæ utile esset, non aspernari Gubernatores hanc præsertim partem Philosophiæ, quam nos docemus.

Sed uerus autor pacis Deus est, ab hoc petamus, ut propter Religionis, Legum, & disciplinæ conseruationem, & propter educationem honestam puericiæ, reddat his regionibus tranquillitatem. Quod quidem ut faciat Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, toto cum pectore oro.

Cum autem hæc interualla mediocria, & quasi Halcyonia non alia in re honestius, aut utilius collocari possint, quàm in doctrinæ studijs, decreui pro mea uirili aliquid operæ ad iuuanda studia Philosophiæ conferre, Et cras hora secunda inchoabo Theoricas.

Scitis doctrinam de motibus cœlestibus non solum dulcem esse bonis mentibus, sed etiam uitæ hominum necessariam, quia anni descriptione carere non possumus. Cumq; Deus ita instituerit motus, ut sint anni metæ, uult certe aspici cœlum, uult has metas obseruari. Quare hæc doctrina nullo modo negligenda est.

Vetus est uersus, quem usurparunt aliqui de

dignitate

dignitate consideratione motuum cœlestium, quem abscribam, ut quanquam multæ sunt grauissimæ causa, in quibus huius Philosophiæ dignitas & utilitas conspici possunt, tamen & hic breuis uersiculus de præstantia eius studiosos admoneat:

ἄστρα βλέπειν κάλλιστον ἀνθρώποις πέλει.

Die Decembris 18. Anno 1547.

MAGISTER IOHANNES MARCELLVS REGIOMONTANVS.

OVtinam studium Deus ut probat æquius (honestum,
Sic referat Musis ocia grata bonis.
Sicut & Halcyoni tempus modo mitius instat,
Sic placidos nobis det quoq; bruma dies,
Vt pax concedat doctrinæ semina spargi,
Artibus & fingi corda tenella sinat.
Nam quamuis ætas Musis hei ferrea nostra est,
Et spretæ Leges iam sine honore iacent.
In tamen hisce malis nullum sperare leuamen,
Nec fas nec pietas nec Deus ipse sinit.
Totius ipsa licet labatur machina mundi,
Et polus in partes fidat uterq; suas.

Non

Non linquêre tamen Christo sacrata iuuentus,
Irritus in studijs nec labor ullus erit.
Quo magis inceptos cursus urgere memento,
Ingenio ut releues publica damna tuo.
Ipse quoq; ut mœstas hac tempestate Camœnas
Qua saltem potero sedulitate, iuuem.
Quos nato Tulli solers industria scripsit
De uirtute libros officijsq;, legam.
Officijsq; exempla bonis bona semper ut adsint,
Adiungam Iliados grande Maronis opus.
In quo deletæ raparantur mœnia Troiæ,
Exiguo Ausoniæ condita parua loco.
Sic utinã instaurent nostrã minus aspera Troiã
Fata, sua lenit quæ bonitate Deus.

Anno 1547. Die 25. Nouembris, quæ fuit dies Enceniorum templi Ierosolymæ, quia Macabeus eo die ante annos ab hoc 1709. templum recuperauit & repurgauit, quo anno & Iubileus fuit, uidelicet, anno à Mundi initio. 3800. Testatur autem & ipsum exemplum recuperati templi, non deseri Ecclesiam à Deo, etiamsi sæpe duriter exercetur.

Anno 1547.

Scriptã

ANNO 1548.

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA ANNO 1548.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS PHILOSOPHICAE, PHILIPPVS MELANTHON.

ETsi in tantis Germaniæ motibus, in qua certum est hospitia esse Ecclesiæ Dei, horribiles terrores nobis propositos esse cernimus, & multa pericula interitum Ecclesiæ Dei & literis minitantur, tamen hac nos consolatione sustentemus, quòd promisit Deus, suæ gloriæ se non defuturum esse. Propter nomen meum, inquit, remouebo furorem meum, propter me, propter me faciam, ne mea gloria blasphemijs obruatur.

Hanc promißionem & similes infigamus animis, easq; ad nos ipsos pertinere sciamus, tantisper donec ipsi studia ueræ doctrinæ modesti colimus, & uera inuocatione, ueris gemitibus petimus, ut nostri cœtus propter gloriam Dei seruentur. Mecum igitur coniunctis

coniunctis uotis singuli orate Deum, ne lucem doctrinæ inter nos extingui sinat. Propter te æterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor humani generis & Ecclesiæ tuæ, fons sapientiæ, propter tuam gloriam seruato cœtus docentium & discentium in hoc oppido, tu guberna studia nostra, ut te uerè celebrent, Tu semina doctrinæ, quæ ipse sparsisti & excitasti, foueto.

Accedant autem ad hanc precationem, diligentia regendorum morum, & discendi cura. Laudat enim Deus non ignauum seruum, sed negociantem, nec ignauas preces exaudit, sed eorum uota, qui suo studio ostendunt, se uerè apetere ea bona, quorum mentionem faciunt. Et rectè dictũ est à Basilio, μόνομ βέλτιστομ, τὸν θεὸς πρόσπαντα.

Cum autem propter examina utile sit seruari morem decernendorum graduum, duxi auditoribus nostris uoluntatem Collegij nostri significandam esse, nos honestis & doctrina mediocriter instructis, petituris hoc tempore gradum Magisterij Philosophici, non defuturos esse. Nomina igitur dent Decano hoc triduo.

Anno 1548.

Philippus

ANNO 1548.

PHILIPPVS MELANTHON.

Sicut consuetudo fuit, partiri τὰς ἑβδομάδας, Ita deinceps biduum tribuam repetitioni dialectices, & libello uulgari Horatij de arte poëtica, Quia communes quasdam regulas continet, quæ utcunq; commonefaciunt discentes & scribentes de ordine, & discriminibus personarum, & aliarum circumstantiarum seruandis. Proximo igitur die Lunæ, Deo iuuante, incipiam repetionem Dialectices. Et eadem hora, ut eruditiores aliquod habeant exercitium, adiungam interpretationem Organi græce scripti, ubi uidebunt studiosi, non spinosam esse Aristotelis Dialecticen, cum autorem ipsum legent, Sed spinas longis & intricatis expositionibus aliunde iniectas esse. Erit igitur interpretatio simplex & plana. Proprietas uerborum sæpe occasionem præbet interpreti dicendi de aliquo uocabulo, quod magnam lucem textui adfert.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI PHILIPPVS MELANTHON.

CRas Deo iuuante in publico examine eruditio eorum, qui nunc testimonium de studij suis petunt, explorabitur. Cum autem inspicere studia iuuentutis honestißimum sit: oro & illos, quibus gubernatio studiorum commendata est, & cæteros, qui Philosophiam amant, ut ad id examen ueniant. Etsi autem hi congressus tranquillis temporibus iucundiores sunt: tamen cum sciamus Ecclesiam Dei non interiturā esse, non sunt exercitia doctrinæ prorsus omittenda. Et aliqua dolorum leuatio est, eruditorum sermonum de rebus optimis communicatio, quam si quis sua causa non expetit: tamen uirtus est, uelle alijs hoc officij genere lenire mœsticiam. Conspectus enim & oratio eorum, quorum similis est fortuna, aliqua est leuatio dolorum, ut in illis dulcißimis uersibus dicitur.

Γέρων γέροντι γυτῶπαν ἡδίστην ἔχει.
πατὴς πατρὶ, καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνή.
Νοσοῦντ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξίᾳ
λελυθεὶς, ἐπωδὸς ὅστις ἔφυ πλησμονῇ.

DEum autem æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani & Ecclesiæ suæ oramus, ut & Ecclesiam regat,

ANNO 1548.

regat, & lumen doctrinæ non ſinat extingui.
19. Ianuarij. Anno 1548.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI PHILIPPVS MELEANTHON. LECTORIBVS. S. D.

Ecclesia Dei inter imperiorum tumultus, ut cymba in fluctibus, iactatur, ut sæpe significant imagines in Euangelio propositæ, & quæ sit causa tantarum calamitatum generis humani, cœlestis doctrina exponit. Cum autem inter ipsa pericula seruet Deus Ecclesiam suam, nequaquam uult nos studia doctrinæ abijcere propter temporum difficultates. Imo tunc & remedia à doctrina petere, & cogitatione promißionis diuinæ accendere uota iubet, & uult maiore cura propagari doctrinam, ut ad posteros perueniat. Et pollicetur labores nostros non fore inutiles, ὃ καὶ περ ὑμῶν οὐκ ἔστι κενὸς ἐν κυρίῳ, quasi dicat: Etiamsi hominum iudicijs studia sunt intempestiua & inutilia, tamen Deo curæ erit, ut sint salutaria.

Cum igitur hæ ueræ cauſæ nos moueant, ne exercitia literaria omittamus, & conſtet de rebus optimis tradi doctrinam à nobis mediocri diligentia, ſcilicet perſpicuam & incorruptam ſententiam cœleſtis doctrinæ, & Philoſophiam, ſperamus bonos uiros probaturos eſſe hanc noſtram ſedulitatem. Deum certe uotis ardentibus oramus, & ut ſeruet Eccleſiam ſuam, & ut medeatur communibus miſerijs.

Rectius eſt autem in his tantis calamitatibus, à Deo opem petere, & cogitatione doctrinæ dolores lenire, quàm uel iraſci Deo, & maledicere hominibus, uel abiectis doctrinæ ſtudijs fruſtra tumultuari, & cumulare publica & priuata mala, cum quidem & ſapientes uiri apud Ethnicos docuerint, arte ferendas eſſe res aduerſas, ne maiora mala accerſat indignatio, iuxta hos uerſiculos.

κὰι μὴ θεομάχθ, μηδὲ προσάγθ πρᾶγμαζι
χθμῶναϛ ἑτέρθϛ, τοὺσδ' ἀναγκάιουϛ φέρε.

Itaq; quod faustum & fœlix ſit, Deo iuuante proximo die ſeptimo Februarij, teſtimonia ſtudiorum

diorum tribuemus aliquot honestis uiris, eisq; usitato more decernemus gradum Magisterij Philosophici, ac Deum oramus, ut & horum studia, & nos, & Ecclesiam huius oppidi clementer regat, & custodiat hæc tuguriola, in quibus & doctrina propagatur, & uota offeruntur filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis & resuscitato, ut ipse, cum sit ἱκέτης καὶ μεσίτης pro nobis, perferat ea ad æternum patrem, ut in nostro cœtu etiam colligatur & conseruetur uera Ecclesia. Die Febr. 5.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

DVas honestißimas matronas, pietate, pudicicia, & cæteris uirtutibus omnibus, quæ in matre familias requiruntur, excellentes, recens amisit hoc oppidum, nuper honestißimam coniugem uiri clarißimi, Doctoris Benedicti Pauli, hac nocte uerò honestißimam coniugem uiri honesti Domini Ambrosij Reiter, consulis huius oppidi, VValpurgam, natam in familia Reinekorum, cuius uirtus & autoritas in Comitatu Mansfeldensi ualde

celebratur. Mater eius soror fuit uiri excellentis omnium uirtutum laude, Iohannis Reinck. Fuit igitur hæc ipsa mulier uere, quod græci dicunt: ταμεῖον ἀρετῆς ὅσι γενναία γυνή. Cum autem & sanctißimè uixerit, & in inuocatione filij Dei domini nostri Iesu Christi decesserit, ipsa quidem iam & Dei, & domini nostri Iesu Christi, & matris Heuæ, & Mariæ, & suorum consuetudine fruitur. Et abducta uidetur, ne sit spectatrix impendentium confusionum orbis terrarum, Sicut scriptum est: Iusti colliguntur, ne uideant uentura mala. Sed nos futura pericula cogitemus & luctu mariti, & multorum liberorum, qui tali matre orbati sunt, adficiamur, & Deum oremus, ut eos sua consolatione sustentet, ac erigat. Ad funus autem, quod fiet hora tertia, conuenire omnes pietas hortatur, ut quali-cunq; officio luctum mariti & liberorum leuemus, & ut ostendamus nos uirtutem matronæ magnifeciße, & Deum oremus, ut huic oppido, & nobis omnibus pacem restituat, nec accendat totam iram suam, nec deleri sinat reliquias inuocantium eum in hoc oppido. Anno 1548. Die duodecimo Ianuarij.

Rector

ANNO 1548.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

MVltæ ſunt magnæ cauſæ, propter quas morte noſtrorum dolere nos iuſtum eſt. Vult enim nos DEVS *adfici deſiderio noſtrorum, uult nos cogitare, cur genus humanum, & morte & reliqua mole calamitatum oneratum ſit.*

Sed rurſus etiam uult nos moderari dolorem, uult aſpici filium ſuum dominum NOSTRVM IESVM CHRISTVM *crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, per quem reddidit æternam uitam. Cumq; pijs ſciamus mortem iter eſſe ad æternam cœleſtis Eccleſiæ conſuetudinem, uult nos cogitatione eius boni lenire mœſticiam, uult & in nobis ipſis, deſiderium accendi illius melioris uitæ, in qua dulciſſima conſuetudine* DEI *& Domini noſtri Ieſu Chriſti, & uniuerſæ reliquæ Eccleſiæ fruemur, ubi te filius Dei ipſe complectetur, ubi ſuauiſſimi ſermones erunt, de ſapientia & iuſticia Dei, cum Angelis, cum Prophetis & Apoſtolis. Hæc cum in funeribus, tum uero aliàs ſæpe cogitanda ſunt.*

Ac hodie funus fiet honestißimæ matronæ Dorotheæ, quæ fuit coniunx honesti & integri uiri Gregorij Pontani, ad quod hora duodecima conuenire Doctores, Magistros, & Scholasticos uolumus. Sunt enim ritus funerum piè seruandi. Et ostendamus nos adfici luctu familiæ honestißimæ. Scitis enim uirum clarißimum patrem Gregorium Pontanũ, cuius & sapientia et uirtus est excellens, longo tempore magna fide sustinuisse molem gubernationis, ac benefeciße Ecclesijs & Reipub. Etsi autem & ipsi & filio præcipuè leniet dolorem cogitatio pietatis, quæ fulsit in moribus huius matronæ in tota uita, & iam in hoc agone, in quo perspicua confessione ueræ Doctrinæ, & ardenti inuocatione filij Dei, ex hac mortali uita discessit. Tamen & pericula talia impendent, ut qui nunc moriuntur, præripi uideantur, ne spectatores sint horribilium tumultuum, quos secuturos esse multæ sunt coniecturæ, non solum ex Astris & prodigijs, sed etiam ex ipsis adparatibus, & animorum incendijs, & tamen prodigia etiam passim conspiciuntur.

Viri digni fide nobis significarunt ex diuersis locis, in Saxonia conspectos esse in aëre dimicantes exercitus. Talia signa non sunt irrita.

Quare

Quare Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi oremus, ut mitiget pœnas, & seruet inter nos reliquias Ecclesiæ suæ, sicut inter horribiles tumultus Iudeæ, ultimis regni temporibus seruauit Zachariam, Elisabet, Simeonem, Annam, Mariam, & alios electos innumerabiles, quos cum in tantis furoribus, cum fere quotidie multa milia trucidarentur, & ubiq; uagarentur milites, qui cogerent etiam superstites uesci coctis interfectorum carnibus, seruatos esse cernimus, speremus Deum mirabiliter nunc quoq; suos aliquos cœtus, in quibus sonat uox Euangelij, seruaturum esse, & ut seruet, toto cum pectore oramus. Die Ianuarij 20.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER, DOCTOR.

APud Esaiam scriptum est: utinam auscultasses mandatis meis, quod si feciſſes, pax uelut flumen rigasset terram uestram. Non dubium est ad nos quoq; hanc concionem pertinere. Fatendum est enim, nec gubernatores in regenda disciplina satis seueros fuisse, nec modestiam præstitisse iuniores, quæ decuerat

eos,& quam poterant præstare. Nunc dolemus, aliquos similem sibi licentiam, ut antea sumere, qua in re ut cogitent, & de suo & de communi huius oppidi,& harum gentium periculo, commonefaciendos eos esse hoc edicto duximus. Cum in oppido sint & milites, & alij peregini, nocturnæ uociferationes & discursationes plenæ sunt periculi. Quare præcipimus scholasticis, ne noctu sine lychnis uagentur,& ne uociferationibus irritent uel hospites, uel alios. Ipsa per se petulantia turpis est, & digna pœna. Sed nunc propter multas causas periculosior est, quàm fuit antea tranquillis temporibus. Ideo seuerissimè præcipimus, ut & modestiores sint scholastici,& ut pacis publicæ & suæ incolumitatis causa uitent omnes tumultuum occasiones. Datæ 3. Februarij, Anno 1548.

VITVS VVINSHEMIVS DOCTOR.

LEx Attica fuit honestissima, μὴ ψεύδεσθαι ἐν ἀγορᾷ, uidelicet ut in contractibus & iudicijs fides pactorũ seruaretur. Sed multo sanctius mandatum est, μὴ ψεύδεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ne cœlestis doctrina corrumpatur. Sed serit omnibus temporibus inde usq; ab initio generis

generis humani diabolus horribiles corruptelas doctrinæ. Oremus autem Deum, ut et lucem suæ doctrinæ, & pacem harum Regionum tueatur.

Enarrabo autem nunc Philoctetem, Tragœdiam inter omnes Sophocleas, quæ extant, iucundißimam, In qua cum aliæ multæ sunt imagines, tum initio deliberatio est mirifica generosi adolescentis, nati ex Achille, cui Vlysses persuadet, ut contra patris & suam naturam adduci se sinat, ut aliud simulet, aliud agat, & obtemperat initio Pyrrhus, sed tandem uincit naturæ rectitudo, ut fraudem detegat Pyrrhus, cum quidem ipse dicat omnia difficilia esse, quæ contra naturam conemur.

Deinde imago proponitur uiri magni, Sed in quo morositas & pertinacia pene ferrea est. Sed tandem flectitur diuinitus ad utilitatem communem.

Illa autem sunt eruditißima & dulcißima, quòd Troiam sine telis Herculis capi non potuisse ibi scribitur, qua re significatum est, magnas res non posse perfici sine heroica uel uirtute uel fortuna, ut inter enarrandum copiosius dicemus.

Deinde

Deinde finis est dulcissimus, ubi Hercules hortatur duces, ut sint concordes, & ut templis parcant, & promittit eis fœlicitatem, si templis & religionibus parcant, quod utinam nunc quoq; fiat, ac addit sententiã suæ orationi Hercules grauissimam, ἡγὰρ ἐυσέβεια σωθνήσκεται βροτοῖς, κἂμ ζῶσι, κἄμ θάνωσι, δυη ἀπόλυται. Aspicabimur autem, auxiliante Deo, cras hora octaua. 5. Febr. Anno 1548.

DE ECLIPSI LVNAE QVAE ERIT DIE XXII. Aprilis Casparus Cruciger Iunior.

VT Solymi quondam flammantia in aëre castra.
Viderc, & medio prælia facta die:
Terribilesq; tubæ cœlo sonuere, priusquam
Illata in Templum sunt simulacra Dei.
Agmina sic inter rutilas equitantia nubes,
Vidimus hoc anno conseruisse manus.
Vidimus infestis acies concurrere telis,
Sæpe faces liquidum qua per inane uolant.
Vidimus & Phœbi iubar eluctantis ab Arcto,
Dum uigil excubias nocte satelles agit.

In speciem

In ſpeciem teretis conuerti protinus haſtæ,
Imbuta Hectoreo ſanguine qualis erat.
Nunc alio ſigno Deus impia pectora terret,
Pectora prodigijs non habitura fidem,
Tot Veneris reliquas noctes ubi menſis habebit,
Cnoßia quot ſtellis cincta corona micat.
Et decimam noctis quando numerabimus horã,
Sirius & ſitiens pene ſubibit aquas,
Quæ fulgere ſolet radijs argentea puris,
In ferrugineis Luna rubebit equis.
Scorpius implicitam piceis hanc efferet umbris,
Qua patet undecimæ ſplendida ualua domus.
Falciger at primo Saturnus cardine ſurgens,
Et toruum ſtimulis ægocerota ciens.
Gentibus arctois denunciat horrida bella,
Quarum fœcundos irrigat Albis agros.
Aſpicit oppreßi Iouis ora minaciter idem,
Sede iacens ima Iuppiter ora tegit.
Te memorant ueteres aſtris Capricorne receptũ
Impoſitum poſtquam Pelion Oſſa tulit.
Scilicet extructis ad ſidera montibus auſos
Vim ſerpentipedes Dijſq; parare necem.
Pana ſed in falſo tunc ægocerote latentem,
Vertiſſe in trepidã grandia monſtra fugam.
Implicitum laqueis dirumq; hæſiſſe Typhona,
Cœlum pro meritis hinc Capricornus habet.

Præli-

Prælia nunc etiam metuo uentura gigantum,
Iupiter oppressos terga dabitq; fugæ.
Atq; aliquis, cui nascenti sua spicula uibrat
Scorpius, in cœlo culmina summa tenens.
Quamuis est Ithaco sapientior, haud tamẽ huius
Effugiet noctis damna futura breui,
Sed tu gnate Dei, uindex, custosq; fidelis
Agminis exigui, quod tua dicta colit,
Fata leues, studijsq; tuis seruato dicatos,
Ex ore infantum ut laus tua uera sonet.

PHILIPPVS MELANTHON.

Hodie non legam, sed cras Deo iuuante rursus enarrabo sententias Salomonis. Deinde die Lunæ hora nona prælecturus sum. Nam prandij horam differendam esse, & lectores & Senatores censuerunt, Quia studijs & precationi antemeridiana tempora magis idonea sunt. Et ueteres à matutinis negocijs circa meridiem ad precationem publicam conueniebant, ut Iosephus de Essęis scribit. Ac mora hæc conuenientior est œconomicis operis in culina.

Philippus

ANNO 1549.

PHILIPPVS MELANTHON.

APud Thucydidem libro 4. inquit Hermocrates dux Syracusanus, cuius sapientia & moderatio inprimis profuit patriæ. Non turpe est, cedere amicos amicis, nec duci mentes oportere stultæ contentionis amore. Οὐκ ἀισχρὸν οἰκείᾳ οἰκείων ἡσσᾶσθαι, καὶ μὴ δεῖ μωρίας φιλονεικίων ἡγεῖσθαι. *Itaq; cum audiuissem adolescentibus ingratam esse mutationem horæ prandij, quam nuper significaui, cessi de mea sententia. Nam in talibus officiosum est aliorum uoluntati morem gerere. Ideo hodie & deinceps Deo iuuante prælegam horas. ut fuit consuetudo superiorum annorum.*

IN EVCLIDEM. M. ERASMVS REINHOLDVS.

DE signis tempestatum hi sunt apud Aratum dulcissimi uersus.

πάντα Ζῆν ὅυπω
ἔκ δι᾽ ὸὶ ἄνθρωποι γινώσκομεν, ἀλλ᾽ ἔτι
πολλὰ
κέκρυπται, τῶν ἄικε θέλκ ἡ ἐς ἀυτίκα δῶσα
ζεὺς

Ζεῦς, ὁ γὰρ οὖν γενεὴν ἀνθρώπων ἄναφανδὸν ὀφέλλει.
Πάντοθεν εἰνόμεθα, πάντη δ' ὅγε σήματα φαίνων. id est,

Mortales nondum deprendimus omnia ſigna,
Quæ Deus impreßit naturæ conditor arte.
Sed nos multa latent, quæ nondũ comperit uſus,
Quorum aliqua oſtendet uenturis Iupiter annis,
Qui genus humanum cum uerè diligat, augens
Muneribus uarijs, toto ſe monſtrat in orbe.
Vt quoties oculis incurrunt undiq; noſtris,
Eſſe Deum doceant ueſtigia talia, noſq;
Eſſe ipſi curæ monitos teſtentur, & ipſum
Agnoſcant noſtræ mentes, lucemq; ſequantur
Iuſticiæ, quam noſtra opifex in pectora ſparſit.

Vt autem non ſemper tempeſtates proſpici poſſunt, ita nec alij euentus omnes proſpiciuntur. Et tamen multa, ut tempeſtatum, ita multorum euentuum ſigna Deus naturæ impreßit. Et impreßit ideo, ut ſint teſtimonia, hunc mundum non caſu extitiſſe, nec uolui caſu, ſed à mente architectatrice conditum eſſe & gubernari. Fata igitur multarum rerum in cœlo picta ſunt, quorum conſideratio ad uitam, ad frenandos multos cœcos impetus utilis eſt. Et iucunda eſt

hæc

hæc consideratio bonis mentibus, quæ eam ad uirtutem referunt.

Sed intelligi motus cœlestes, sine Arithmetica & Geometria non possunt. Has duas artes, inquit Plato, alas esse diuinitus additas humanis mentibus, ut uectæ in cœlum intelligere motus possint. Quare & Arithmetica assiduè repetitur, & Euclides studiosè enarratur.

Cum autem in hac tanta tristicia temporum propter has ipsas causas, hæc studia magis colenda sint, Primum posteritatis causa, ne ipsæ artes intereant, & barbaries sequatur ignara motuum cœlestium, nec mensium, nec anni rationem intelligens. Deinde nostra causa, ut hæc Philosophia mœsticiam leniat, Nam & adspectio naturæ per sese delectat, & nos de Deo commonefacit. Et regi pericula aliquo consilio possunt, cum significationes animaduertuntur, Ideo totum hoc genus studiorum auidius hoc tempore adpetendum est. Rursus igitur inchoabo enarrationem Euclidis, quod eo publicè significo, quia inuitare quam plurimos ad artes necessarias discendas cupio. Nam motuum doctrina sine Geometria nullo modo intelligi potest. Si quis autem non umbram doctrinæ, sed solidam Philosophiæ

cognitionem expetit, huic doctrina de cœlestibus motibus nequaquam negligenda est, qua in hac mortali uita, in huius uitæ sapientia, quantulacunq; est, nihil cogitari dulcius potest.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

VIr medicus multis alijs præstantior unus, inquit Homerus. Talem quidem fuisse Medicum, eruditione, industria, fide, sagacitate, & experientia excellentem, uirum clarißmum Doctorem Augustinum Schurff, multi experti fœlicem ipsius medicationem & digni fide norunt & prædicant. Erant autem & aliæ in eo uirtutes omnes, bono & graui uiro conuenientes, agnitio & timor Dei, iusticia in omni officio, prudentia in gubernatione domestica & publica. Præcipuum autem in toto genere humano decus est, coniunctio uirtutum, cum cognitione naturæ rerum, præsertim non ociosa, sed quæ ad cæteros homines iuuandos refertur: quod fiebat ab hoc uiro, qui & in medicando erat officiosus, ac multis opem tulit in magnis

in magnis uitæ periculis, & multum posteritati profuit in artis propagatione. Mirifica enim eius in docendo dexteritas fuit, ac uere de eo dici potest, quod Plato de Lysia inquit: Philosophiam ipsius naturæ insitam fuisse.

Etsi igitur dubitare non debemus, quin beati sint, ut doctrina filij Dei adfirmat, qui in domino moriuntur, & Doctor Augustinus, cum antea piè uixerit, tum uerò in hoc extremo agone, se Deo quotidie ardentibus uotis & precibus, in agnitione & fiducia filij Dei Domini nostri Iesu Christi, commendauerit, ad cœlestium consuetudinem discesserit, ubi fruitur sapientia filij Dei, & dulcissimis sermonibus ueterum medicorum, Ioseph, Esaiæ, & similium, de tota rerum natura. Tamen nostra causa doleamus, talem uirum ex hac consuetudine nostra abductum esse, qui diutius reipub. prodesse poterat.

Res ostendit, cum tam multi tristes euentus concurrant his annis, fato singulari urgeri rempublicam, quod ut mitiget filius Dei, quàne totum genus humanum periret, uictimas pro nobis fieri uoluit, oramus. Hæc in

funeribus cogitanda sunt,& serio petendum est, ut Deus in ira,misericordiæ suæ recordetur, & seruet aliquod semen sanctum in his regionibus, ut posteritas Ecclesias & mediocria hospitia habeat,in quibus luceat noticia filij Dei, & Deus uere inuocetur. Nequaquam consentaneum est, genus humanum, in quo lucet agnitio Dei, & magna præstantia est naturæ, tantum ad has ingentes miserias conditum esse, & casu regi sine Deo. Ideo ipsarum miseriarum consideratio nos confirmet, ut uerè expectemus aliam uitam,in qua Dei agnitio & cæteræ uirtutes,quæ inchoantur in hac imbecilli uita,perficiantur:& sciamus hanc partem generis humani, quæ amplectitur uocem Euangelij,uerè præparari ad illum portum, & hanc partem Deo curæ esse, & inter magna pericula, & inter tetras confusiones generis humani seruari,ut sint aliqui de Deo testes.

Huius etiam diei historia illustre testimonium est secuturæ uitæ,quia magna multitudo Ecclesiæ uidit & filium Dei resuscitatum ex morte,ascendentem in cœlum,& comites alios, qui ex morte reuixerant, qui Apostolis & alijs familiares fuerunt,non solum ut in illis, sed potius ut in nobis spem et expectationem secuturæ uitæ confirma-

confirmarent. Hac cogitatione etiam nos accendamur ad precationem, ac petamus, uti aliqui cœtus seruentur, qui fiant hæredes illius æternæ cum Deo consuetudinis.

Hortamur igitur Auditores nostros, ut hodie, hora duodecima, ad funus, & ad precationem communem pro tota Ecclesia, & nobis ipsis, conueniant. Leuent etiam hoc ipso officio luctum uiri clarissimi, sapientia, eruditione & uirtute præstantis D. Hieronymi Schurff, Doctoris utriusq; Iuris, qui fratrem non solum propter naturalem coniunctionem, sed etiam propter ipsius ingenium, eruditionem & uirtutes, ualde dilexit. Scitis autem horum duorum uirorum & uoluntatem erga totam rempub. Christianam fuisse optimam, & eos bene meritos esse de multis honestis hominibus. Talium uirorum memoria retinenda est.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER D.

HOnesta matrona uidua mater consulis Hieronymi Krapp, cum penè 50. annos

uixerit, nullum in patria bellum uidit, niſi in hac extrema ſenecta hoc biennio. Etſi autem multæ & magnæ ſunt in uita ſingulorum ærumnæ, tamẽ magna leuatio eſt uidere patriam tranquillam, florente Repub. Fœlicitas igitur aliqua fuit, quòd magnam uitæ partem egit tempore tranquillo, & deceſſit priuſquam nouos tumultus uideret, quos quidem tanquam præſagiens ſæpè in hoc morbo impendere dixit. Deum autem in agnitione mediatoris Ieſu Chriſti piè ſemper inuocauit, & cæteris officijs matronalibus reuerenter coluit pudiciciam & modeſtiam, & erga pauperes adeo benefica fuit, ut de ſuo uictu multa comparcens, miſeris mulieribus aut puellis largiretur. Deceſſit autem placidè in inuocatione filij Dei domini noſtri Ieſu Chriſti, & non ſolum ſeſe in hoc morbo, ſed etiam ſuos, & Eccleſiam, ſæpe Deo commendauit. Hortamur autem ſcholaſticos ut ad funus, quod fiet huic honeſtæ matronæ hodie hora 12. conueniant, & ſimul cum alijs uota faciant, ut

Deus pacem his regionibus

concedat.

Rector.

ANNO 1548.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

BEati mortui qui in domino moriuntur, inquit doctrina cœlestis, quæ consolatio longe antecellit omnibus consolationibus, quas de morte colligit Philosophia. Cum autem Petrus senex minister Academiæ, pie uixerit, & iam ægrotus se assiduis uotis filio Dei commendauerit, sperandum est eum ad cœlestem Ecclesiam discessisse. Fiunt autem funerum ceremoniæ, ut nos ipsi commonefaciamus de nostra fragilitate, de causis mortis, de resuscitatione, & beneficijs filij Dei, qui & hanc uitam prorogat multis, & postea exutos corporibus in uitam reuocat. Et in his congressibus singuli suam uitam & publicum Ecclesiæ statum Deo commendent, ac orent, ut Deus seruet semen sanctum in Ecclesia, seruet bona ingenia, profutura communi saluti, ne relinquat hominum cœtus orbatos bonis gubernatoribus & doctoribus. Ideo hortamur, ut ad has ceremonias & conueniatis, & pia uota afferatis. Fiet autem funus Petro, qui fuit

ANNO 1548.

Academiæ minister amplius 30. annis, hodie hora 12. Die 6. Maij. Anno 1548.

IN PRAELECTIONEM DIOSCORIDIS.

HActenus enarraui doctrinam de Anima dulcem & necessariam ordine discentibus. Nunc adiungam alias duas philosophicas materias, quarum cognitio etiam dulcissima est. Die lunæ & die Martis singulis septimanis, enarrabo Pontani μετέωρα, in quibus lucu-lentæ & eruditæ descriptiones sunt, unde discuntur causæ mixtionum, & uariæ qualitatum actiones, quarum consideratio & incommuni uita utilis est. Die uero Iouis & Veneris enarrabo Dioscoridem, ut Herbarum, & fruticum appellationes & naturas aliquo modo discant Iuniores. Nam & herbas ipsas, quas gignit hæc regio, monstrabo, & nomina usitata in lingua uernacula addam. Et quidem inchoabo enarrationem à frumentorum appellationibus. Est enim turpis negligentia, horum ipsorum frumentorum & olerum, quibus uescimur, naturas & nomina ignorare. Est autem tota doctrina de stirpibus cum ob alias causas iucunda & utilis,

tum uerò

tum uerò ideo etiam digna consideratione, quia manifestum testimonium est prouidentiæ diuinæ. Cum enim tanta sit herbarum multitudo, & uarietas, & singulis certæ uires inditæ sint, ut medeantur aliæ alijs morbis, manifestum est, hanc naturam rerum non casu extitisse, sed mentem fuisse Architectatricem, quæ fines prospexerit, & uitæ hominum consulere uoluerit. Nec dubium est, eos, qui diligenter utuntur his auxilijs, herbis admodum uulgaribus multos sæuos morbos repellere posse, ut ipsi multa exempla uidimus. Estq; uerissimum dictum Hesiodi, uitu perantis hominum negligentiam, qui non considerant, quàm multiplex & magna sit Maluæ & Asphodeli utilitas. Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

ITa condidit Deus omnes intelligentes naturas, Angelos et homines, ut effuso in eas Spiritu suo sancto, uoluerit eas diuinitati uerè copulatas esse, & frui bonitate Dei, ac lucis, sapientiæ & iusticiæ communicatione. Hæc pulchritudo quanta fuerit, nunc in hac caligine non satis cer-

nimus. Sed tamen hæc cogitanda sunt, Testimonium insigne bonitatis Dei, & amoris erga nos fuit, quòd hoc summum bonum, scilicet Spiritum, qui incendium est mutui amoris in patre & filio, & flamma lucis, sapientiæ, & iusticiæ patris & filij, in nos transfudit. Contra uero tetra et horribilis ingratitudo fuit, illam admirandam copulationem cum Deo, quam æterna gratitudine & summa reuerentia tueri debueramus, rumpere, & flagitiose excutere Spiritum sanctum.

Hæc cogitanda sunt, ut quanta mala sint illa prima delicta, aliquo modo consideremus. Vult enim Deus Ecclesiam aliqua ex parte agnoscere, & morbos humani generis, & remedia. Dissimile autem fuit delictum superborum spirituum, lapsui hominum. Diaboli cum filium Dei superbè contempsissent, blasphemi esse ceperunt. At miseri homines impulsi à diabolo, infirmitate lapsi sunt. Itaq; filius Dei, quem diaboli adfecerant contumelia, misertus humanæ naturæ, pro ea deprecator καὶ ἱκέτης factus est.

Quare Deus recepta hominum natura propter filium mediatorem, edita uoce promissionis, reddere nobis suæ naturæ societatem cepit, & co-

copulationem primam, ad quam conditi eramus, instaurauit. Rursus enim in eos, qui expauescunt agnitione iræ Dei, & uoci promißionis adsentiuntur, transfunditur Spritus sanctus, qui flamma est ex pectore æterni patris, & ex pectore Domini nostri Iesu Christi missa, ut lucem, iusticiam & uitam in nobis accendat.

Ac tanta Dei bonitas est, non solum ut largiri hoc tantum bonum, & hanc suæ naturæ societatem uelit, sed etiam, ut sæpe adfirmet, hoc se officium præcipue à nobis postulare, Primum, ut ipsum & filium, & hunc spiritum, qui mutui amoris in patre æterno & filio incendium est, agnoscamus, & hoc donum ardentibus uotis petamus, & grati celebremus, ac retineamus.

Sed quid dicam? si tantum singuli lachrymarum fundere possemus, quantum undarum uehit hic Albis noster, tamen non satis deplorare hominum duriciem & ingratitudinem possemus. Pauci hanc uoluntatem Dei considerant, pauci hoc donum petunt, multi manifesta & cyclopica impietate arcent, multi cum fuerint domicilia Spiritus sancti, et eijciunt eum, & ut Pauli uerbis utamur, dolore eũ adficiunt. Hæc horrenda

horrenda ingratitudo postea causa est ingentium calamitatum humanarum, amentiæ, bellorum, & uastationum.

Te igitur æterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cœli & terræ, & hominum, & Ecclesiæ tuæ, unà cum filio tuo, & Spiritu sancto, Supplices oramus, ut propter filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, nostri misereris, ac Spiritu tuo sancto nos tibi copules, & in nobis ueram lucem & iusticiam accendas. Liberalitas tua immensa in dando hoc munere, filij dicto celebrata est, quod ostendit, quàm auidè cupias nobis opem ferre, cum ait, Quanto magis pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Tu uis peti hoc munus, & petentibus adfirmas te auidè daturum esse, speramus igitur nostra uota exaudiri.

Vos quoq; auditores adhortamur, ut hanc de uoluntate Dei doctrinã, pie & studiosè cogitetis, & pectora uestra ad petendum hunc sapientiæ & iusticiæ fontem flectatis. Multi sunt inter uos, qui iam sunt domicilia Spritus sancti. Hi sint modesti, sobrij, casti, & diligentes in cæteris necessarijs

ceſſarijs officijs,ne Spiritum ſanctum ex pectoribus ſuis excutiant,nec eum dolore afficiant. Dolet enim propter noſtros lapſus, & propter noſtras calamitates multas,quæ ſequuntur delicta.

Doluit Spiritus ſanctus,cum à Saule eijceretur,proſpiciens & ipſius exitium, & calamitates regni,quæ ſecuturæ erant,doluit & in multis pijs, qui in magno mœrore erant propter ſcandala,& publicas miſerias. Deniq; omnes excitemur nos ad hanc curam, ut & reſtituatur in nobis coniunctio cum Deo, & maneat integra.

Aſpiciamus & priuatas miſerias, & triſtiſſimas Eccleſiæ & imperiorum confuſiones,quibus profecto mederi humana ſapientia non poteſt. Sed ut in creatione Moyſes ſcribit,foueri rerum naturã incubante aquis ſpiritu Domini,ita ſeruari Eccleſiæ & earum hoſpitia non poſſunt, niſi ſuauiter foueantur ſalutari Dei ſpiritu. Hoc igitur & regi nos & gubernatores, & ſanari Eccleſiæ uulnera,& reſtitui ſalutarem pacem, ueris gemitibus petamus.

Cum autem iuſtum & debitum officium ſit, ſignificationem aliquam gratitudinis oſtendere erga

erga Euangelij ministros, præcipimus singulis Magistris & scholasticis, ut munera sua cras ad Aram adferant. Datæ pridie Pentecostes, quæ iam ab eo die, in quo se Deus illustribus testimonijs patefecit, sonans Legem suam de rupe Sinaide, Pentecoste est 3057. Id cogitantes, gratias Deo agamus, quòd se toties patefecit, quòd Legem & Euangelium edidit, quòd seruat Ecclesiam, & ut inter nos sibi æternam Ecclesiam diu colligat, oremus. Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

ET uir bonus, & ciuis bonus fuit Mauricius Goltz. Nam & Deum uera inuocatione & ueris officijs pietatis coluit, & cum in tota uita iustus, grauis, integer, & modestus fuit, tum uerò eximia eius beneficia fuerunt erga pauperes, & studia literarũ liberaliter adiuuit. Fuerunt & in coniuge eius honestissimæ uirtutes omnes piæ matronæ conuenientes, quæ cum alioqui imbecilli corpore esset, post mariti mortem, etsi se consolationibus diuinitus traditis su-

tis sustentabat, tamen cum ad mœsticiam hectica febris accessisset, paulatim contabuit. Sed sæpe hoc morbi tempore alacri fiducia filij Dei, & sese & filiam, & Ecclesiam Deo commendauit.

Ac ipsos quidem Mauricium & coniugem speramus frui iam consuetudine filij Dei, & sese rursus complecti. Sed nostra causa doleamus, amittere nos ciues utiles Reipub. & Deum oremus, ut aliquod semen sanctum seruet inter nos. Ac metuendum est, interitum piorum & uirtute excellentium non esse ἄσημον, sed significare tristes conuersiones Reipub. quas ut Deus immensa misericordia leniat, ueris gemitibus orandum est. Hæc cogitanda sunt etiam hodie in funere honestæ & piæ matronæ, coniugis Mauricij, ad quod ut hodie hora quarta scholastici modestè conueniant, mandamus. Die 8. Iunij. Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE
VVITEBERGENSIS CASPARVS
CRVCIGER DOCTOR.

Quercla

QVerela adfertur ad nos, concurſu ſcholaſticorum impediri eos, qui machinas auecturi ſunt, & quibuſdam iniurias fieri. Etſi ſuo quenq; periculo moueri oportebat, nc ad illam tranſuectionem accederet, ad quam hoſpites adhibiti ſunt, qui non diſcernunt ſcholaſticos à cæteris, tamen cum aliqui uel incauti, uel petulantes accurrant, mandamus ſeuerißimè, ne quis ſcholaſticus accedat ad illam turbam tranſuehentium machinas, nec ſe in ripa miſceat aliquis multitudini. Parcendum ea in re eſt & priuatæ & publicæ incolumitati. Honeſta ciuitas Saluelденſis hodie legatos habet apud inuictißimum Imperatorem, deprecantes pro ciuitate, propterea, quòd priuatorum quorundam petulantiæ imperator iraſcitur.

PHILIPPVS MELANTHON.

HOneſtißimus labor eſt, & bonis naturis dulciſſimus, explicatio ſimplex, & uera rerum magnarum, quali in ſcholis diu iam uſi ſumus. Ideo malim præſtare aſſiduitatem in ſchola, ſed nunc occupationibus impedior, ut hac ſeptimana non ſim prælecturus.

Deum

ANNO 1548.

Deum autem oro, ut & has deliberationes, & Ecclesiam suam regat.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

IN hoc festo, in quo Ecclesia recitat historiam Iohannis Baptistæ, mentes omnium piorum assidua cogitatione intentæ esse debent in patefactionem mirandam Dei, in qua æternus pater, filius, & Spiritus sanctus illustri discrimine conspecti sunt, non solum à Iohanne, sed etiam à Maria, & ab auditoribus Iohannis, & gratiæ agendæ sunt, & accendenda est fides, & invocatio. Sunt & cogitanda doctrinæ Iohannis capita omnia, & exitus, ut testimonijs & dictis Iohannis nos confirmemus, et exemplo nos ad confessionem excitemus. Nec eas cogitationes impedit funeris cæremonia, Sed in hac ipsa de causis mortis & instauratoris beneficio ἐντευξεως cogitemus. Cum autem decesserit hac nocte honestus & doctus Iohannes Rabentrost Cygneus, ad funus quod fiet hora 12. convenire scholasticos pium est, & ut conueniant, eos hortamur. 24. Iulij.

ANNO 1548.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

HOdierna lectio Euangelij adfirmat, in æterna tabernacula recipi omnes officiosos erga Ecclesiam, quo in numero sunt & pij scholastici, qui studia ad cœlestis doctrinæ conseruationem referunt. Quid autem hoc quidem tempore in his tumultibus, optabilius est, quàm ex his tristißimis spectaculis in æternam scholam abduci, ad audienda colloquia filij Dei, Prophetarum & Apostolorum? Sed tamen oremus Deum, ut inter nos etiam aliquod semen sanctum seruet. Decessit autem heri adolescens modestus & pius Petrus Tsat Hertzbergensis, ad cuius funus hodie hora 12. ut piè conueniant scholastici petimus, in quo & suam uitam & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent. Die 29. Iulij.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS MEDICAE.

IDeo Deus studia doctrinæ instituit, & scholas uoce sua inchoauit, cum primos parentes recepit,

recepit, non ut uariarum opinionum præstigijs certent ingenia, ut hoc tempore uirtus esse à multis putatur, Pyrronio more artes conturbare, Sed ut iudicia humana in tota ratione tuendæ & regendæ uitæ congruant ad mentis diuinæ normam, & sit uitæ gubernatrix lux diuina, quæ est ueritas, de qua Plato grauissime dixit, ἀλήθεια πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγῆται, πάντων δὲ ἀνθρώποις. Cum igitur constet artem Medicam ingens Dei donum esse, traditum, ut aliqua ex parte mitiget hominum calamitates depulsione multorum morborum, grati amplectamur Dei beneficium, & artem ueneremur, nec laudemus furores barbarorum, qui hanc doctrinam aut artis usum contemnunt.

Deinde cogitemus, hanc ipsam naturæ considerationem à Deo bonis propositam esse, ut in ea conspiciantur testimonia prouidentiæ illustria. Cum hîc cernimus mira arte conditum esse corpus humanum, & in tantis plantarum uarietate consulto uires distributas esse, ut aliæ alijs morbis medeantur, Fateri necesse est, hunc mundum non extitisse casu. Cum igitur in mentibus hominum aspectio

naturæ confirmet ſententiam de prouidentiâ, poſſeßionem Phyſicæ doctrinæ initio præcipuè tenebant ſummi duces generis humani à Deo delecti, Noha, Abraham, Eſaias & alij deinceps ſimiles gubernatores.

Horum exemplo diſcamus & ipſi amare naturæ conſiderationem, & quantum fieri poteſt, reliquias huius mirandæ ſapientiæ tueamur.

Cum igitur die ſeptimo Auguſti uirum clariſſimum, eruditione & uirtute præſtantem Magiſtrum Petrum Sibylenum Torgenſem gradu Doctoratus in arte Medica ornaturi ſimus, Petimus ut ad renunciationem gradus omnes Doctores, Magiſtri, & auditores conueniant, & hoc officio ſuam uoluntatem erga doctrinam plenam dignitatis, & erga Medicos declarent. Datæ die 5. Auguſti.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER D.

BEati mortui, qui in Domino moriuntur inquit conſolatio diuinitus propoſita, & cõfirmata, multis illuſtribus teſtimonijs, et multorum

multorum mortuorũ reſuſcitatione. Quare etſi humana iudicia, ſine cœleſti doctrina, non cernunt uenturam uitam, tamen nos teſtimonijs diuinis confirmati, intueamur uenturæ uitæ iudicium, ac liberationem ueram Eccleſiæ, & certo ſtatuamus, eos, qui uera fiducia mediatoris filij animas ſuas Deo commendant, hæredes eſſe æternæ conſuetudinis cum tota cœleſti Eccleſia.

Cum autem uir honeſtus Georgius Rhau heri deceſſerit, in ardenti inuocatione filij Dei, & antea fides eius fulſerit in omnibus pijs officijs: Nam & mores ipſius priuati caſti & ſine ulla labe fuerunt, & in repub. integritas eius in ſenatorio munere omnibus probata fuit, & beneficia eius erga Eccleſiam & ſtudia doctrinæ multis nota ſunt. Edidit enim & Theologica ſcripta multa, & Arithmetica, & Muſicos libros: Ipſi quidem gratulandum eſt hoc iter, quia ſperamus eum ad cœleſtem Eccleſiam tranſiiſſe. Nos uero doleamus, tot præſtantibus uiris & matronis exiguo tempore, hanc ciuitatem orbatam eſſe, & Deum oremus, ut inter nos ſemen aliquod ſanctum ſeruet.

Multa prodigia magnas & triſtes calamita-

tes denunciant, ut nuper ex ſpicis ſanguis copioſe profluxit, in agro quodam, non procul a Gorlitio. Audiuntur Leonum ululatus, & armorum ſtrepitus in aëre ad Harciniam, denicq; alia multa uerè recitantur. Sed inter ſigna etiam eſt interitus bonorum uirorum, ut Eſaias inquit: Iuſti colliguntur, ne ſpectatores ſint futurarum calamitatum.

Oremus igitur Deum, ut in ira miſericordiæ ſuæ recordetur, & commonefacti tantis miſeriis publicis & priuatis, flectamur ad pœnitentiam, & ad ueram inuocationem. Hæc cogitanda ſunt etiam in his funerum ceremonijs.

Fiet autem funus Georgio Rhau hodie hora quarta, ad quod ut conueniant Doctores, Magiſtri & Auditores, hortamur eos, & propter pietatem debitam Eccleſiæ Dei, & propter memoriam ipſius Georgij, uiri honeſti, & de republica benè meriti. 7. Auguſti.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI PHILIPPVS MELANTHON.

Nazianze-

NAzianzenus inquit, οὐδὲν οὕτως ἐυφραίνειν ἡμᾶς εἴωθεν, ὥσπερ σώφρων καθαρόν, καὶ ἐλπίδες ἀγαθαὶ. Etsi igitur exarserunt odia multorum aduersus nos iniusta, tamen primũ conscientia lenit dolorem. Scimus enim nos non solum bene uelle Ecclesiæ Dei, Sed etiam multas res necessarias rectè patefecisse. Deinde & spe sustentamur. Qua inquies, cum simus in tantis miserijs? imo uero hac anchora nitimur, Quod cum Ecclesia Dei mansura sit in eo ipso cœtu, qui uocem Euangelij incorruptam docet, & discit, spero Deum seruaturum esse nostrum cœtum, Et hac spe operas scholasticas facimus, Quas ut Deus gubernet ac adiuuet, toto eum pectore oramus. Cum autem hoc tempore decreuerimus instituere examina eorum, qui petent gradum Magisterij Philosophici, duxi id publicè significandum esse, ut intra dies octo nomina edant apud Decanum hi, qui gradum petent.

Anno 1548.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI PHILIPPVS MELANTHON.

SAepe recitatur Pindaricum illud. Ἐμ χρόνῳ μεταβολαὶ λίξαντ' ἀνδρῶν, non hominum corpora, non imperia, non fortunam perpetuam esse, sed tandem mutari destituta uento secundo. Ac decet quidem cogitatione instabilitatis rerum humanarum commonefieri nos, ut in omni actione simus modestiores, ac metuamus aduersos casus.

Sed ne propter desperationem prorsus abijciantur omnes labores, necessarij nobis & posteritati, tenenda est etiam consolatio. Est autem hæc uera & efficax consolatio, Semper etiam in ruinis imperiorum tamen mansuram esse Ecclesiam Dei, nec destituet hanc uentus secundus, uidelicet Spiritus sanctus, effusus ex pectore æterni patris & filij, & quidem ibi mansura est Ecclesia Dei, ubi uox doctrinæ sonat, & piè illustratur. Hac spe colamus studia doctrinæ, etiamsi nunc inter tumultus imperiorum spernuntur, & multi prophani ea oderunt.

Sed meminerimus in hac militia nostra etiam fortitudine opus esse, ne fracti peruersitate iudiciorum, cedamus de statione, aut deseramus aciem. Ac sit infixa animis hæc sententia: ὁ πό-

νῳ

ὑμῶν ἀυη ὄτι κένῳ ἐν κυρίῳ. Semper Ecclesiæ prodest pia uox multorum, quæ doctrinam incorruptam sonat. Quare & uestri labores, qui ad doctrinæ conseruationem conducunt, Deo curæ erunt.

Faciamus igitur operas scholasticas, Deo iuuante, & sicut institutum est, utiliter, ut certis temporibus studia aliquorum inspiciantur, & dentur testimonia ijs, qui iam idonei sunt ad docendum. Ita die Septembris 18. ornabuntur gradu Magisterij Philosophici honesti & docti uiri, quorum nomina hîc adscripta sunt.

Id cum fieri in quadam frequentia deceat, petimus, ut omnes Doctores, Magistri & auditores ad eam testimonij renunctiationem conueniant, & ut declarent eo officio, se fauere Philosophiæ studijs, quæ certe necessaria sunt Ecclesiæ, & ut in tali frequentia ipsi quoq; uota nobiscum faciant, ut Deus Ecclesiam huius etiam oppidi, & hunc gregem clementer tueatur & gubernet. 16. Septembris.

RECTOR ACADEMIAE
VVITEBERGENSIS CASPARVS
CRVCIGER DOCTOR.

ET Harmoniarum ſenſum & cantum & artem canendi haud dubie Deus ideo præcipue dedit generi humano, ut per cantilenas doctrina cœleſtis propagetur & conſeruetur. Nam prima ætas delectatur cantu, & citius diſcit materias, quæ cantilenis comprehenduntur, ac memoria cantilenarum diuturnior eſt.

Deinde & arcana quædam uis eſt in ciendis adfectibus, fuitq; omnino uetus ſapientia de Deo & de natura rerum & de moribus comprehenſa carminibus. Ideo præſtantes uiri, qui Reſpub. conſtituerunt, Muſici fuiſſe dicuntur, ut Orpheus dicitur feras flexiſſe lyra. Amphion ſaxa ad muros Thebanos Citharæ ſono attraxiſſe.

Neceſſe eſt autem artem conſeruari liberalitate principum. Ideo & illuſtriſſimus Dux Saxoniæ Elector cœtum Symphoniacorum colligi iuſſit. Et præcipue deſiderantur egreſſi adoleſcentiam, qui canora & tinnula uoce melodiam canere poſſunt, quæ altior nominatur. Deinde qui mediam, & qui imam rectè canere poſſint.

In his igitur, qui natura ualent, & uolunt in cœtu illo Symphoniaco Eccleſiæ ſeruire, Tor-

gam

gam proficiscantur, ac cò ueniant uel die S. Bartolomei Apostoli, uel deinde proximis diebus & suam uoluntatem exponant Viro integerrimo Iohanni Vualtero Musico, cui mandata hac de re ab illustrissimo principe data sunt. Literas etiam, si uolent, hîc ad Reuerendo uiro Domino Georgio Maiore Doctore Theologiæ ad Vualterum accipiant. 19. Augusti. Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

TOta Historia excidij Hierosolymitani plena est horribilium exemplorum, quæ commonefaciunt totum genus humanum de ira Dei aduersus hostes Euangelij. Cum autem in Septembri in eo ipso festo urbs Hierosolyma capta & deleta sit, quod institutum erat, ut admoneret diuinitus illam sedem Ecclesiæ attributam fuisse, Ideoq; nominabatur festum tabernaculorum: Studiosius his ipsis diebus cogitanda est historia. Conflagrauit enim urbs Hierosolyma die 8. Septembris ante annos 1474. Cum autem, ut Paulus inquit, Deus non pepercerit oleæ, quid de olcastro futurum est? Nimium blandiuntur sibi multi, qui

sumunt

ſumunt ſibi licentiam laxandi frenos omnibus cupiditatibus, & horribili contemptu Dei, uel prorſus Epicureas opiniones amplectuntur, uel Religiones inſtituunt ad ſuã potentiam, uel alijs uicijs indulgent. Commonefacti autem & ueteribus pœnis, & noſtris, exuſcitemus nos ad pœnitentiam, & ad ueram inuocationem.

Cum autem deceſſerit hac nocte honeſtus, & eruditus adoleſcens, natus in oppido Noricæ regionis, hortamur uos, ut ad funus eius hodie hora quarta ante ædes Reuerendi D. Doctoris Martini Lutheri conueniatis, atq; ibi in funere ueris precibus commendetis uos ipſos, & Eccleſiam Deo, & oretis, ut ſeruet aliquod ſemen ſanctum, & ſtudijs doctrinæ ſedem tranquillam concedat. Te omnipotens Deus, æterne pater domini noſtri Ieſu Chriſti, conditorem generis humani & Eccleſiæ tuæ, unà cum filio tuo domino noſtro Ieſu Chriſto & Spiritu ſancto, oremus, ut propter filium mediatorem, nos regas Spiritu ſancto tuo, ac hunc ſcholaſticum cœtum clementer protegas. Datum 6. die Septembris.

Anno 1548.

Philippus

ANNO 1548.
PHILIPPVS MELANTHON.

SAepe repeti præcipuas materias in Ecclesia necesse est. Et memimistis de omnibus alijs doctrinarum generibus dictum esse ab Epistetο, eadem quotidie & dicenda & audienda esse, & quidem ad usum in uita transferenda. Ideo inchoaturus die proximo Iouis enarrationem Epistolæ ad Romanos, repetam integram doctrinam δικαιοσύνης in argumento Epistole, ubi & explicatio ipsa postulabit refutationem uariarum præstigiarum, quibus subinde doctrina obscuratur, præcipue necessaria Ecclesiæ Dei. Die 15. Septembris. Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

NEcesse est in Ecclesia tradi doctrinam de angelis Deo placentibus & de lapsu spirituum, qui à Deo defecerunt, & nunc, ut odium expleant aduersus Deum, immani furore & crudelitate insidiantur Ecclesiæ. Ac aduersus tam sæuos hostes defendi nos sciamus ab ipso

ipso filio Dei, domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis & rescuscitato, sicut Iohannes adfirmat inquiens: Venit Filius Dei, ut destruat opera Diaboli. Quibus uerbis reddita est sententia primæ promißionis. Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Nec imbecillitas humana sine auxilio Dei tuta esse potest.

Habet autem & filius Dei adiunctos exercitus, uidelicet castos angelos, Deum inuocantes. Hi circumuolitant templa, scholas, thalamos nostros, & custodes sunt membrorum Ecclesiæ, ubicunq; sumus, ut in hodierna concione scriptum est: Angeli eorum uident faciem patris. Et Psalmus inquit, Circumuallat angelus domini, timentes Deum.

Hæc tota doctrina, cum hodie in festo Angelorum populo exponatur, excitandæ sunt mentes nostræ, & ut considerent tantum beneficium, quòd Deus custodes Angelos nobis adiunxit, & ut gratias ei pro hoc beneficio agamus. Imo etiam petamus regi nos à spiritu diuino, procedente ex pectore æterni patris & Filij, & tegi dextra filij, & per Angelos castos depelli à nobis agmina diabolorum spurca, & ardentia odio Dei.

Studium uerò cognoscendæ huius doctrinæ, & fidem nostram in gratiarum actione & inuocatione declaremus hodie singulari modestia, & alijs pijs officijs, quorum omnium spectatores esse castos Angelos sciamus. Ad aram etiam munera adferri uolumus, ut graditudinis nostræ signum extet. Lætantur Angeli nostris bonis, ut scriptum est: Gaudium est Angelis de uno peccatore pœnitentiam agente, & pro nobis precantur, & dolore adficiuntur in nostris calamitatibus, & multas depellunt: Discedunt autem maxime offensi prophanis sermonibus, spurcicie & latrocinijs. Ideo ut tales custodes retineamus, simus modesti, casti, & in omnibus pictatis officijs magis seduli. Datæ in festo castorum angelorum. Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

Cum propter alias multas causas dolere pium est, cum honesti homines, & Deum rectè colentes, ex hac uita mortali euocantur, tum uerò etiam propter omen, quia significantur impendentes calamitates, quibus præripit

præripit Deus magna ex parte ſuos cultores, ut ſcriptum eſt: Iuſti colliguntur, ne uideant mala uentura.

Meministris autem multa huius biennij funera, in quibus uniuerſæ Eccleſiæ luctus conſpici potuit, quæ dolet ſe orbatam eſſe tot honeſtis uiris & matronis, quarum fuit excellens uirtus. Nunc accedit funus honeſtiſſimæ matronæ Barbaræ coniugis uenerandi uiri Magiſtri Sebeſtiani Froſchelij, eruditione & uirtute præſtantis, qui annos circiter uiginti huic Eccleſiæ in magna uarietate temporum, graſſante peſtilentia, & oppido cincto hoſtibus magna fide, aſſiduitate, & conſtantia ſeruiuit. Huic & filias tres, & ingens deſiderium coniunx reliquit, quam etiam inuocationis ſuæ ſociam habuit.

Dolcamus igitur & propter Eccleſiam, quòd tam multæ piæ mentes ex hac noſtra conſuetudine abducuntur, & propter luctum mariti, & Deum ardentibus uotis oremus, ut publicas & priuatas ærumnas leniat, & ſeruet inter nos ſemen aliquod ſanctum, nec ſinat extingui in hoc noſtro cœtu lucem ueræ doctrinæ, & ueram inuocationem. Videtis ſeniores in magna mœſticia uiuere, qui calamitatum molem ſentiunt. Hos dolere

dolere ſciatis, non ſolum ſua cauſa, ſed multo magis propter adoleſcentiam & poſteritatem. Vobis optant relinqui patriam, ornatã doctrina Euangelij, legibus, diſciplina. Harum maximarum rerũ, & ueſtræ ſalutis cura, excruciantur. Sed aliqua ex parte in uobis etiam ſitum eſt, ne poſteritas prorſus deleatur. Si ipſi ad ſenum gemitus & uota, adiunxeritis ueſtram pietatem, lenientur publicæ miſeriæ.

Hæc cogitanda ſunt in his funeribus. Ipſe etiam interitus huius ſanctæ matronæ, quale exemplum ſit, conſiderate: Mater ſuperata labore partus, extincto fœtu, ſimul & ipſa extinguitur. Sic metuendum eſt, extincto flore piorum, ſimul Rempublicam interituram eſſe.

Sed te oramus omnipotens Deus æterne pater domini noſtri Ieſu Chriſti, conditor cœli & terræ & hominum, & Eccleſiæ tuæ, unà cum filio tuo domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto, ut propter filium, in ira tua miſericordiæ recorderis, & mitiges calamitates noſtras.

Mandamus autem, ut ad funeris ceremonias piè hora quarta conueniatis, & uitam ueſtram,

& salutem publicam Deo in talibus congressi-bus ardenti inuocatione commendetis. Die pro-xima post festum Angelorum. Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

EST quidem disciplinæ pars, uidere honestos congressus principum, & considerare mu-tuæ reuerentiæ exempla, & in sermonibus commemorationē uirtutis, Sed hæc populus, quē procul à principibus arcetur, nec oculis nec au-ribus satis accipere potest.

Cum autem & propter multitudinem hospi-tia defutura sint scholasticis, qui Torgam profi-ciscentur, & inter equos & in turba non sine periculo uagari ignoti possint: hortamur no-stros auditores, ne Torgam proficiscantur, sed potius in domestica tranquillitate intendant ani-mos in doctrinæ studia, & in precationem piam:

Itaq; die Lunæ proximo rursus Deo iuuante prælectiones inchoabuntur. Nec alia est causa huius nostræ adhortationis, quàm paterni animi sollicitudo de periculis uestris. Non est enim

enim inusitatum, in tanta frequentia & concursu hominum, lædi aliquorum corpora.

Oramus autem Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi, conditorem & seruatorem generis humani & Ecclesiæ suæ, qui politias & imperia instituit, ut principes & nos regat, & disciplinam & studia tueatur. Data 5. Octobris.

CRas Deo iuuante hora septima ennarrabo Pindarum. Sed die Martis hora septima orationem Demosthenis περὶ στεφάνου interpretabor, quam non solum propter græcæ linguæ cognitionem, sed etiam propterea prodest familiariter notam esse studiosis, quia inde forma peti potest, quæ in respondendo et refutando maxime utilis est, & lumina habet orationis plurima, ut dicam in enarratione 8. Octobris.

Philippus Melanth.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS CASPARVS CRVCIGER DOCTOR.

INter communia mala horum calamitosorum temporum, sunt & parturientium ad-

uersi casus crebriores, quàm antea fuerunt. Audimus enim et alibi multas doloribus partus extingui. Id quàm sit triste spectaculum, & quantum luctum talia funera familijs suis adferant, experiuntur illi ipsi, ad quos ea calamitas propriè pertinet. Nec magnitudo doloris iudicari potest ab alienis, & non expertis similia, iuxta uetus Pindari dictum, Δ' ὀικεῖον πιέζει, ἄλλο πρίωμ δ' ὀυ μέλει ἀνθρώποις. Etsi crudele est, tamen ita fit, minus adficiuntur homines alienis doloribus, quàm fieri oportuit.

At in his casibus signum & omen ad omnes pertinet. Non dubium est enim, significari parturientem Ecclesiam, in qua passim bonæ mentes circumferunt assiduam & ingentem mœstitiam, & uerè dictum esse in Hosea multi experiuntur, Dolores parturientis uenient ei.

Deinde quia multi pij auferuntur è medio, adparet secuturas esse calamitates publicas, quibus hi singulari beneficio Dei præripiuntur. Nobis igitur hæc funera minari, & nos ad pietatem reuocari non dubitemus. Quare intuenda sunt hæc exempla, & uoluntas Dei cogitanda.

Meministis autem funera priora. Nunc & honestissima

honestißima coniunx M. Erasmi Reinholdi Salueldensis Margarita Bonerim, ornata omnibus uirtutibus honestæ & piæ matronæ conuenientibus, in partu extincta est, quam quidem, cum & antea piè uixerit, & nunc in hac sua militia sese inuocatione filij Dei, in maximis cruciatibus, & difficilimo agone, constanter exercerit, non dubitemus ad cœlestem consuetudinem Dei & Ecclesiæ æternæ eductã esse. Sed mariti uulnus magnum est. Huius luctu adficiamur, præsertim cum ei gratitudo debeatur, quia ipsius opera et assiduitate, quam multos annos præstat, late propagata est doctrina Mathematum, quam scitis ualde necessariam esse hominum uitæ, & nemini nocere, ac flectere ingenia ad pacis publicæ & ad uirtutis amorem. Adiunxit autem ad harum ipsarum artium cognitionem & alias uirtutes conuenientes uiro honesto, & ueram Dei agnitionem & inuocationem.

Moueamur etiam cogitatione dolorum parturientis Ecclesiæ, & metu impendentium calamitatum, & modestius uiuamus, ac ucris & ardentibus uotis Deum oremus, ut in ira misericordiæ suæ propter Filium mediatorem recordetur, & leniat priuatas & publicas miserias,

& ſeruet inter nos aliquem cœtum, et reliquis ipſum uera pietate & uera inuocatione colentes. Et cum dici pater orphanorum uelit, reſpiciat & harum matrum orphanos, & has ipſas Eccleſias, quæ etiam ſunt orphanæ. Nec irritos eſſe gemitus noſtros, nec inanes lachrymas cogitemus, ſi mediocris uitæ modeſtia accedet. Hæc uobis hodie in funere cogitanda ſunt, ad quod ut conueniant hodie hora duodecima omnes auditores Academiæ noſtræ mandamus, ut funeris ceremoniæ piè ſeruentur, & ut coniungamus preces, ut Deus hanc Eccleſiam clementer regat & ſeruet, Amen. Die 7. Octobris.

Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI DOCTOR. V.I.

ET uir iuſtus erat, & excellens iuriſconſultus, Conradus Mauſer Noribergenſis, Licentiatus. Meminimus enim & clariſſimum uirum Doctorem Hieronymum Schurff, præſtantem & iuris cognitione, & ſapientia, huic uiro tribuere has magnas laudes, quæ præcipuæ ſunt ingenij, eruditionis, et uirtutis, uidere cum in cauſis maxime, ubi fundamenta & nerui eſſent, et ſumma dexteritate id, quod uerißimum eſſet, eligere. Magnum

Magnum autem & præsidium est, & ornamentum ciuitati, talis Iurisconsultus, qui & consilio pollet, & amat ueritatem ac iusticiam. Ad hæc tanta decora hic uir addidit ueram Dei agnitionem, & inuocationem, Et cum reipublicæ in ciuilibus negotijs, tum uero Ecclesiæ in Consistorio utiliter seruiuit, qua in re & fortitudo animi in eo ualde laudanda est, quòd cum corpus male adfectum esset multis annis, tamen hos labores singulari uirtute sustinuit.

Talis uir cum nunc ex hac uita euocatus sit, etsi cum ipso, quid & semper honeste uixit, & sese adsidua inuocatione filio Dei commendauit, bene actum est, tamen propter honestißimam ipsius coniugem, & paruos liberos, & propter rempub. doleamus, quæ magna iactura adfecta est eo extincto. Desiderio etiã ipsius, nobis, quibus familiariter notus fuit, crescit dolor.

Nam & propter uirtutem eum ualde dilexi mus, & in collatione consiliorum sæpe ab eo adiuti sumus. Erat enim omnino, ut in Ennij uersu dicitur: Ingenium, cui nulla malum sententia suadet.

Sed oramus Deum, ut & ipsius familiam custodiat, & in hoc oppido semper Ecclesiam sibi

colligat, non sinat inter nos extingui studia doctrinæ Euangelij, & aliarum honestarum artium. Hæc nobiscum seriò etiam in funere precari cæteros conuenit. Petimus igitur, ut omnes Magistri & auditores in hac Academia ad funus hodie hora quarta conueniant, ubi & suam uitam singuli Deo commendent, & orent, ut hanc Ecclesiam clementer gubernet & seruet. Die 23. Octobris.

Anno 1548.

DECANVS COLLEGII THEOLOGICI.

ETsi in tanta confusione uitæ humanæ dubitant plurimi, an cœtus aliquis Deo præcipue curæ sit, et an sit aliqua Dei Ecclesia, præsertim cũ hic cœtus, qui profitetur se proprie populum Dei esse, uagetur sine certa sede, sine certis imperijs, sine præsidijs, & secum non leues ærumnas circumferat: tamen firmissima adsensione statuendum est, nec frustra conditum esse genus humanum, nec fabulosas esse patefactiones diuinas, sed uerè confirmatas illustribus testimonijs, resuscitatione mortuorum, & alijs miraculis, & colligi à Deo æternam Ecclesiam, & miran-

& mirandis modis ſeruari, in hac & ipſi experimur gemitus & uota noſtra exaudiri. Nec dubium eſt, cuſtodem huius cœtus eſſe Filium Dei, qui ſedens ad dextram æterni patris, dat dona hominibus, ut in Pſalmo ſcriptum eſt. Dat autem cum alia dona multa inuocantibus, tum uerò etiam, ut Paulus inquit, Paſtores, & Doctores. Hoc autem ſumit ex diſcentium agminibus, quæ & ipſa ob hanc cauſam tuetur, ne doctrinæ lux in genere humano extinguatur.

Vult in Eccleſia uocem docentium ſonare, uult coli ſtudia, ne ſimus ocioſi & ignaui. Ac rurſus, ut ipſe agnoſcatur, & pectora noſtra ad inuocationem accendantur, & præſentiam Dei inter nos cernant, adfirmat, labores noſtros & militiam noſtram, ita fore fœlicem & ſalutarem nobis & alijs, ſi ab ipſo iuuetur. Ideo & auxilium amplißimis promißionibus pollicetur, quas ad diſcentium agmina pertinere nihil dubiũ, ut de doctrinæ cuſtodibus inquit: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. Adfirmat nos domicilium Dei fore, ſi modo pia ſtudia doctrinæ in nobis accenſa ſint.

Etſi igitur magnæ & triſtes diſſipationes

Ecclesiarum & discentium fere omnibus seculis facta sunt, & fiunt, tamen cum domicilium Dei simus, Deo ipsi curæ erit, ne desint studijs hospitia. Nos modo uero studio cõiungamus hæc duo, diligentiam rectè discendi, & inuocationem non fucosam, sed ardenti fide statuentem, adesse nobis custodem Filium Dei, qui tegat nos, sicut in deserto exercitus Israëlitarum nube tegebatur.

Cum autem uir honestus & eruditus Magister Melchior Isinderus Suidnicensis, iam ad cœlestis doctrinæ propagationem à Deo uocatus sit, & ex schola delectus, conuenit ei uetteri more tribui doctrinæ testimonium, ut cæteri sciant, & accepisse eum doctrinam ab Ecclesia huius Academiæ Vuitebergensis, & cum tueri Euangelij puritatem incorruptam.

Talium testimoniorum renunciationem publicè, & in mediocri frequentia honestorum hominum fieri decet. Ideo petimus, ut cras omnium ordinum Doctorès, Magistri, & auditores in templo arcis hora nona conueniant, non solum ut audiant nostri collegij testimonium, Sed etiam ut in ea frequentia sua uota ad preces nostras adiungant, & orent filium Dei custodem

stodem Ecclesiæ suæ, ut calamitates publicas & priuatas mitiget, det tranquilla hospicia literarum studijs, tueatur & gubernet docentium & discentium cœtus, ne uera Dei noticia in terris extinguatur, sed colligatur Ecclesia celebratura cum æterna gratitudine & lætitia. Die Martini. Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI DOCTOR.

VNiuersum mundi opificium, ordo corporum cœlestium, leges motuum, uices dierum & noctium, æstatis et hyemis, sympathia inferiorum corporum cum superioribus, denique; mens hominis, et pœnæ atroicũ scelerum præsentes, sunt illustria testimonia quæ ostendunt & esse Deum, mentem architectatricem, & genus humanum Deo curæ esse. Etsi autem utile est hanc ipsam assensionem multis argumentis in mentibus confirmare, tamen multo illustrius testimonium est generi humano, quod ostendit uere nos Deo curæ esse, quod ex illa arcana sede sua prodijt, & se non fallentibus signis patefecit, & sua uoce doctrinam & promissiones edidit.

Hoc

Hoc uerò omnium euidentißimum teſtimonium eſt ueri & mirandi amoris, quòd Filius, qui eſt imago uiua æterni Patris, & pro nobis factus eſt deprecator ὑπὲρ ἱκέτης, deriuata in ſeſe ira aduerſus noſtra delicta, aſſumpſit humanam naturam. Cuius amirandi conſilij cauſam, etiamſi nulla creatura penitus perſpicere poteſt, tamen filio confirmanti ſuas conciones reſuſcitatione mortuorum, credamus, docenti, & quis ſit, & cur tale fœdus cum humana natura fecerit. Eritq; illuſtrior doctrina, cum primorũ parentum miſerias & conſolationem intuebimur, & nos ad illos conferemus.

Poſt lapſum primorum parentum cum Deus uerè iraſceretur generi humano (Remoueamus enim à Deo Stoicas imaginationes, ac uerè et horribiliter iraſci cum peccantibus ſciamus, uerè etiam diligere obedientes, uerè flecti miſericordia) Ibi filius, qui & conſiliorum de creatione, & creationis ſocius fuit, calamitatis noſtræ miſertus, pro nobis deprecatus eſt.

Etſi autem pater miſericors eſt, tamen & iuſtus eſt, nec remiſit peccatum, niſi ita, ut pœna ſolueretur, & quidem in genere humano. Nam homines

homines deliquerant. Nec tamen æquale precium erat alius, nisi hic Filius, nec sustinere pœnas alius potuit. Quare hic Filius naturam humanam adsumpsit.

Ita cum mirandum decretum factum esset, quomodo, Iusticiæ Dei satisfieret, Pater etiam misericordia motus, nos propter filium recepit. Nihil autem primi parentes raciocinari aliud poterant, quàm se abiectos esse, & nullius creaturæ ope restitui posse sciebant. Iacent igitur oppressi horribili mœsticia, & metu mortis.

Ibi Deus ostendit, uerè se opem ferre, sine causis secundis, prodit, & alloquitur eos, accusat, & edita promissione recipit. Hæc fiunt simili modo quotidie in Ecclesia.

Nunc uidemus nos propter peccata nostra, quæ & multa & magna sunt, quodam concursu calamitatum multiplicium duriter puniri. Et quoeunq; respiciunt oculi, quærentes receptum & auxilia, nihil ab hominibus spei ostenditur. Intueamur ergo primum exemplum, discamus uelle Deum etiam sine causis secundis Ecclesiæ opem ferre. Quare & apud Esaiam inquit. Ego restabo etiam senescentem Ecclesiam.

Ac ut primi parentes, audita promißione de semine contrituro caput ſerpentis, erigebantur, ita & nos agnoſcamus, hunc Filium, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, nobis donatum eſſe, ut ſit Emmanuel, ut diuina potentia nos protegat, regat, depellat à nobis diabolos, hoſtes ſuos. Ipſi nota eſt noſtra imbecillitas, ipſi nos commendemus.

Hæc adſidue in tota uita, imo in tota æternitate cogitanda ſunt, ſed tamen nunc cum Eccleſia in cœlo & in terra, commonefacta die, quo ex uirgine Maria natus eſt filius Dei, recitat hiſtoriam eius diei, maior ſit intentio animorum, agamus gratias pro ingentibus beneficijs, & petamus ueniam & auxilium.

Adiungamus nos ad primos parentes, & cogitemus eundem diem feſtum ab ipſis celebratum eſſe in paradiſo, audita promißione de ſemine, quo die primum Filius egit gratias Patri, deinde Angeli, poſtea filius prodijt concionator. Et recepti in gratiam primi parentes, didicerunt expectandum eſſe Natalem huius ſeminis, & hac conſolatione erecti, reuixerunt ex morte.

Vt igitur

Vt igitur uera Ecclesia in cœlo & in terra iam annos 5510. hunc natalem celebrat ueris officijs pietatis, ita & nos cum, uera pœnitentia, fide, spe, inuocatione, & gratiarum actione celebremus.

Excuscitet nos cogitatio miseriarum & periculorum, ut hunc filium ardentius oremus, ut caput serpentis conterat. Cogitemus non leues esse causas, quare res tanta in diuino consilio decreta sit, ut filius Dei assumeret humanã naturam, & pro nobis uictima fieret. Hæc cum uere facta sint, inde ratiocinemur & magnas esse calamitates generis humani, quæ aliter tolli non possunt, & ingentem amorem Dei erga nos esse, cum hoc modo nobis opem ferat.

Hæc beneficia cogitemus etiam non ad alios tantum pertinere, sed uere nos includamus in societatem eorum, ad quos pertinent promissiones, sicut Adam & Heua statuebant sese recipi audita promissione, sibi promitti auxilium contra serpentem. Nec sinamus nobis eripi hanc consolationem decreto synodi Tridentinæ, quæ iubet dubitare agentes pœnitentiam, an certò recipiantur à Deo in gratiam.

Huic

Huic errori opponito uocem Euangelij & primorum parentum exemplum, & ut excitet invocationem, credas te recipi propter hunc mediatorem filium Dei, & exaudiri tuos gemitus & tua uota. Vt autem significationem gratitudinis propter tantorum beneficiorum revelationem ostendatis, munera ad aram offeratis. 24. Decembris.

Anno 1548.

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA IN ACADEMIA VVITEBERGENSI.

ANNO POST NATALEM CHRISTI. 1549.

IN PRAELECTIONEM SPHAERAE. M. IOHANNES AVRIFABER.

ETsi causas consilij diuini in opificio mundi non omnes penitus scimus, tamen aliquæ sunt in conspectu, quas quidem & Deus ipse nobis uult notas esse, & sæpe cogitari. Primum

mum, ut Pædagogus, monet nos de utilitatibus nostrorum corporum, quas etiam barbari agnoscunt, hanc figuram mundi conueniens domicilium esse animantium, Vices hyemis & æstatis conducere rebus nascentibus, esse & uices gratas dierum & noctium omnibus uiuentibus.

Sed alia maior causa est, cur tantum artis adhibuerit in tota fabricatione. Vult ob oculos positum esse testimonium, quod ostendat, non casu res nasci aut uolui, sed esse mentem architectatricem huius pulcherrimi ordinis. Nec esse tantum, sed etiam cura generis humani adfici, ac Deum uerè esse, ut Paulus inquit, φιλάνθρωπον, qui tam uaria bona ad usus humanos condidit.

Sed deploranda & detestanda est horribilis ingratitudo. Fruuntur multi beneficijs diuinis, & non solum nihil de autore cogitant, sed uix etiam res ipsas aspiciunt. Absit autem à bonis ingenijs hæc belluina uel Cyclopica feritas, & excitemus mentes ad considerationem admirationemq; diuinorum operum. Nam ut Nazianzenus inquit admiratio accendit amorem Dei, Amor mentes Deo adiungit & similes efficit.

Quàm turpis negligentia eſt, in inuocatione non cogitare, quid inuoces, ubi, quomodo ſe patefecerit Deus, quantum nos diligat, cum nobiſcum ſumma ſua bona communicârit, cum nos ad imaginem ſuam condidit, & in mentes noſtras radios ſuæ lucis & ſapientiæ ſparſit, cum miſit Filium doctorem & ἀντίλυτρον, cum expectore ſuo transfuſo in nos ſuo Spiritu, nos ſibi æterno amore copulet? Hæc tanta beneficia non admirari, nec curare, horribilis impietas eſt.

Quare uos hortamur, ut cum alia teſtimonia de prouidentia diligenter colligatis, tum uerò & ueſtigia Dei in natura ſæpe multumq; contemplemini. Adeſt enim, ut Paulus inquit, tam prope, pene ut manibus contrectari poßit. Ac multum prodeſt ad confirmandam in nobis ueram de iudicio Dei ſententiam, aſpicere illa Dei ueſtigia. Quæ cum ſint demonſtrationes, conuincunt uel repugnantes animos.

Primum autem diſcenda ſunt elementa, quæ continentur in libello de Sphæra, quem iuxta conſuetudinem Academiarum ſæpe repetimus. Ideo hodie, Deo iuuante, rurſus exordiar eius libelli enarrationem, ad quam ut iuniores frequentes conueniant, magnopere eos adhortor.

Mouebit

Moueat uos & diuina uox in Moise, ubi dicitur, Luminum motus à Deo institutos esse, ut annos, menses & dies discernant. At annorum & mensium discrimina sine obseruatione & sine doctrina non cernuntur. Mandatum igitur Dei est, ut doctrina harum obseruationum conseruetur. Et Ecclesiæ necessariam esse distinctionem temporum, manifestum est.

MAGISTER CASPARVS PEVCER.

NOn alendæ curiositatis causa inuitamus auditores ad motuum aut effectionum cœlestium considerationem. Nam motuum cognitio certe propter anni rationem necessaria est. Et Deus ipse aspici metas cursuum uoluit, ut annorum & mensium spacia obseruarentur.

Deinde μαντικὴ est ipse motuum ordo, quia testificatur, hunc mundum non casu extitisse. Postea magis etiam confirmantur hominum mentes de prouidentia, cum mirificum consensum τῶν συμπαθειῶν, corporum cœlestium & inferiorum cernunt. Nam & hic consensus ostendit, mirando architecti consilio omnia ordinata esse.

Ac horum hybernorum mensium tempestas erit exemplum huius consensus. Erunt horridiora frigora, quia congressus erit Solis & Saturni in Capricorno. Saturnus enim cum est ὑπαυγὲς, auget frigora. Quo usq; autem hæc μαντικὴ progrediatur, & quas in uita utilitates adferat, suo loco sæpe dicitur. Nos quidem non plura probamus, qudm quæ ad physicas causas recte referri possunt, & Deum naturæ conditorem agnosci & celebrari uolumus, qui quidem liberrime gubernat naturam, & sæpe causarum sæuiciam sua bonitate lenit, ut recte dictum est in his uersibus.

Ipsa etiam quamuis Adamanti incisa feruntur,
Cum petimus, cedunt, fata seuera, DEO.
Nec Deus est numen Parcarũ carcere clausum,
Quale putabatur Stoicus esse DEVS.
Ipse potest Solis cursus inhibere uolantes,
Ipse uelut scopulos flumina stare iubet.

Imo præsentia Dei eò magis conspici poterit, quo proprius naturam contemplamur. Tunc enim intelligi potest, qui effectus à natura, quæ aliunde oriantur.

Libros igitur Schoneri de effectionibus syderum

rum enarrabo. Tota hæc doctrina ad multas partes naturæ cognoscendas utilis est, & eo magis amanda, quia multas artes complectitur. Prius enim motuum cognitio necessaria est, quæ ex Arithmetica & Geometria extructa est. Deinde in iudicijs Physicæ proprietates qualitatum aspiciendæ sunt. Multarum igitur honestißimarum artium exercitia concurrunt, in tractanda hac parte, quæ recitat effectiones syderum, quam quidem multi adpetunt, sed quia laborem discendi priores artes fugiunt, postea pro μαγικῆς præstigias aut magicas prædictiones uenditant.

Pauci enim laborem rectè & ordinè discendi ferunt, ac usitatum est, quod dicitur, σῦκα φίλα ὀρνίθεσι, φυτεύειν δὲ οὐκ ἐθέλουσι. Cum uerò libros suos Schonerus ordiatur à natiuitatum uerificatione, primum integram rationem erigendi conformandiq; figuras cœli, & loca planetarum indagandi ostendam. Qui mea opera uti uolent, conueniant & me & cohabitatores meos hisce diebus.

GEORGIVS MAIOR DOCTOR.

VErißimum est, oportere in Ecclesia ministerium esse docendi Euangelij, & quidem

dem cœtus esse deditos studijs literarum præter populum rudem literarum. Vult enim Deus semper aliquos esse lectores librorum Prophetico-rum & Apostolicorum, & custodes nativæ interpretationis, ut in epistola ad Ephe. inquit, Seruari ministeriũ Euangelicum, ne corruptelis doctrinæ circumferamur tanquam uentis.

Ac filio Dei sedenti ad dextram æterni patris, & conseruanti ministerium Euangelicum, pro hoc tanto beneficio gratias agamus, & sedulitatem in eo tuendo præstemus.

Necesse est autem in schola summas rerum, quasi in corpus redactas, ἡ σωματοποιηθείσας teneri. Ideo & uetus Ecclesia condidit Symbola, & eorum enarrationem.

Quare & hic instituta est Symboli Nyceni enarratio, quod eo libentius proponimus, ut extet testimonium illustre, nos amplecti & retinere uniuersam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam.

Etsi autem optarim à Doctore Casparo, in quo ingenij præstantia admiranda fuit, inchoatam enarrationem absolutam esse, tamen postquam Deus eum in tranquilliorem Academiam euocauit,

euocauit, ego, Deo iuuante, eam pertexam, & hodie locum de libero arbitrio hora secunda inchoabo.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI VITVS VVINSHEMIVS. S. D. OMNIBVS AVDITORIBVS.

Significationem publicam de gradu Magisterij libenter hoc ipso die proposui, quod historia huius diei cum aliarum rerum maximarum doctrinam uniuerso generi humano proponit, tum uerò monet etiam Ecclesiæ opus esse literis, & hac scholastica eruditione, quam profitemur. Semper in conspectu sit huius diei memoria, quo se in Baptismo filij Dei, tanta luce diuinitas patefecit, ut illustri discrimine tres Personæ exauditæ & conspectæ sint.

Hæc patefactio cum accuratè scripta sit, non tantum propter Baptistam facta est, sed propter uniuersam Ecclesiam. Vult extare Deus hoc testimonium, ut uera de Deo notitia luceat in Ecclesia, & uerum Deum discernamus à commenticijs numinibus, & ut ad uerũ Deum,

qui sese ostendit, directæ sint mens & compellatio in omni inuocatione.

Illustris est patefactio conspecta in monte Sinai. Sed hîc personarum distinctio illustris conspicitur. Itaq; gratias Deo agamus, qui immensa bonitate se ostendit, & has patefactiones in Inuocatione intueamur.

Quoties tuas precationes incipis, uelut ingrediens in hortum illum, & stans in ripa Iordanis, te quoq; spectatorem & auditorem esse statuito, & ad hunc Deum dirigito compellationem, qui se ibi patefecit, & promißiones de filio tecum repetito, ut scias & quem Deum inuoces, & cur exaudiat, & discernas tuam inuocationem ab Ethnica. Hæc doctrina in hac pagella non potest integrè exponi, Sed tamen sæpe de ea commonefaciendi sunt homines, & hæc meditatio sit in hoc festo præcipua.

Nunc illud etiam considerent studiosi, cum personæ diuinitatis discernendæ sunt, eruditione certe opus est. Nam etsi comprehendi hæc arcana non possunt, tamen loquitur Deus nostris uerbis, & personas discernit. Filius uocatur λόγος καὶ εἰκὼν, persona tertia πνεῦμα. Harum adpellationum discrimina aliquo modo declaranda

elaranda sunt, quod sine eruditione fieri non po-
test.

Præterea cum æternus pater de filio clamitat: Hunc audite, testatur proponi nobis doctrinam non deprehensam sagacitate mentis humanæ, aut ullius creaturæ, Sed decretum proferri ex arcano consilio diuinitatis, & patris æterni pectore. Id decretum postea literis mandari uoluit. Et in his scriptis perpetuo filius Dei Ecclesiæ concionatur.

Necesse est igitur literas & linguas, & multas artes disci, quæ lumen addunt scriptis. Ideo hæc nostra studia Ecclesiæ necessaria, magis amemus, & maiore cura tueamur, quæ quidem & placere Deo sciamus. Quare & hospitia eis præbebit, & nos adiuuabit, ut labores nostri salutares sint nobis & alijs, quod ut faciat, ardentibus uotis eum oramus, & hac spe operas scholasticas facimus.

Ad has autem cum & examina pertineant, significandum publicè duxi, nos post dies quatuordecim Examina inchoaturos esse. Quare illi, qui ornari à nostro collegio eruditionis testimonio & gradu philosophico uolunt, nomina sua apud me edant, sicut usitatum est, intra hos dies quatuordecim. Die Epiphaniorum.

ANNO 1549.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI DOCTOR.

TRes *sunt causæ, propter quas uita longior optanda, & à Deo petenda est. Prima, ut discant homines doctrinam de Deo, cuius cognitionem in hac mortali uita inchoari necesse est.*

Secunda, ut exercitijs inuocationis fides firmior & ardentior fiat.

Tertia, ut præsint iunioribus seniores, & seruet Deus aliquam multitudinem diutius, gubernationis causa, ac orandus est Deus, ut multos seruet, quorum gubernatio salutaris sit, & Ecclesiæ & reipublicæ.

Dolendum est etiam, adolescentes bonis ingenijs præditos extingui, antequam ætas idonea est gubernationi. Sed qui iam didicerunt doctrinam de Deo, & discedunt sine uulneribus conscientiæ, beatiores sunt nobis, qui in hac confusione uitæ magnas ærumnas sustinemus.

Decessit autem hodie adolescens natus in Familia nobili equestris ordinis de Schulenburgk Guntherus, cuius fuit egregia ad uirtutem indoles. Et doctrinam de Deo perceperat, & mores

fuerunt

Fuerunt casti & honesti. Et in hoc agone se fiducia filij Dei domini nostri Iesu Christi crucifixi pro nobis & resuscitati, assidue Deo commendauit.

Quare non dubitamus, eum esse in numero eorum, de quibus dicit filius Dei: Sinite paruulos ad me uenire. Ei funus fiet hora 12. ad quod ut conueniant auditores nostri, mandamus.

MAGISTER DAVID CHYTRAEVS.

PRæcipue genus humanum conditum est, non ad præsentis uitæ commoditates fruendas, sed ad ueram doctrinam de Deo & de alijs bonis rebus & discendam, & docendo ad posteritatem propagandam. Hi fines præcipui sunt, & summi omnium operum humanorum, ad quos omnes nostræ actiones in uniuersa uita referendæ sunt, ac singuli suo loco aliquid operæ & studij ad hæc munera obeunda conferre debent.

Manifestum est autem sine Dialectica cæteras artes, ac potissimum doctrinam sonantem in Ecclesia Dei, nec commodè percipi, nec dextrè explicari,

explicari, ac alijs proponi posse. Ac uidemus, quàm turpiter sæpe in grauibus causis hallucinentur ij, qui hac arte non sunt instituti.

Itaq; sæpe audimus seueriſsimas præceptorum orationes, quibus nos ad huius artis studiũ summa cura ac diligentia complectendum cohortantur. Deinde & Ipse Paulus præcipit, ὀρθοτομεῖν λόγον θεοῦ, item ἀντέχεσθαι τοῦ πιστοῦ λόγου, καὶ τοὺς ἀνταλέγοντας ἐλέγχειν. Quod profecto sine Dialectica fieri nullo modo potest.

Et res ipsa clamat, non posse dogmata propriæ Ecclesiæ explicari, nisi doceantur homines, quid sit οὐσία, quid ὑπόστασις, quid λόγος, quid interſit inter iusticiam imputatam, quæ est in relatione, et iusticiam inhærentam, quæ est in qualitate etc. Hæc sine Dialectica nemo explicare potest.

Cum autem manifestus sit eius usus in omni genere doctrinarum, & Ecclesiæ Dei prorsus eius cognitio necessaria sit: amare hanc artem, & nobis familiarem facere debemus. Decreui igitur domi præcepta dialectices repetere, idq; publice significandum duxi, ut si qui alij me audire uolent, sciant meam operam eis non defutu-

ram

ram esse. Tradam igitur præcepta fideliter, & pro uirili adiungam exempla perspicua. Incipiam autem cras hora tertia. Die Martis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI DOCTOR.

VT uniuersæ rerum naturæ plurima sunt impressa uestigia diuinitatis, ut sint commonefactiones de Deo: ita præcipue lumen de uirtutibus insitum est humanis mentibus, & ordo politicus diuino consilio institutus est, & conseruatur, ut homines admoniti de discrimine uirtutum & uitiorum, cogitent, qualis sit Deus, uidelicet, Sapiens, uerus, beneficus, iustus, castus, et discernant Deum ab iniustis, mendacibus, et incestis naturis. Deinde sciant uoluntatem Dei esse, ut ad normam suæ mentis congruant nostri mores.

Et ut hæc notitia in genere humano luceat, Imperia diuinitus constituta sunt, ut pœnis scelerum cohercentur homines, & declaretur uoluntas Dei. Estq; Deus ipse disciplinæ custos, & atrocia delicta in toto genere humano atro-

cibus

cibus pœnis in hac uita plærunq; per Magistratus, sæpe etiam alijs modis per seſe punit.

Totam igitur disciplinam politicam sciamus certo commonefactionem esse de Deo, monentem qualis sit, & quale sit eius iudicium, nec laxemus frenos cæcis cupiditatibus, Sed timeamus non solum Magistratuum arma, sed multo magis Deum, qui certissimus uindex est uiolationis politici ordinis.

Et in hac obedientia discamus doctrinam uirtutum, ut simul cogitemus, qualis sit Deus. Vult te Deus castum esse, ut discas, ipsum mentem castam esse, & discernendam à naturis immundis. Vult te Deus iustum & æqualem esse, non Tyrannum, non προσωπολήπτην, sed prorsus æqualiter recipientem omnes confugientes ad filium.

Talia multa in quotidiana disciplina cogitanda sunt, ut sæpissimè præceptores monent. Idem & nunc monemus in lapsu & pœna adolescentis N. N. N. qui monumentum metallicum donatum inclytæ Reginæ Danicæ ex arce abstulit. Furtum per seſe magnum scelus est, sed huius facti atrocitatem multæ circumstantiæ exaggerant.

Debetur

Debetur reuerentia arci principis, ut templo. Debetur & reuerentia maior principibus, imo & tempori Nuptiarum, cum Reginæ id xenium Illustrißimus Princeps dederit. Et multo turpius est, Scholasticum hæc monumenta non considerare, quàm homines doctrinæ rudes.

Etsi autem dolemus hunc N. cæcæ cupiditati obsequutum esse, & impellenti diabolo cessisse, qui cum sit homicida, simul eripere uitam N. & hanc doctrinæ sedem infamia aspergere, & nobis augere nostros dolores uoluit: tamen fatendum est, Illustrißimum Principem iurè potuisse graui supplicio N. adficere. Sed singulari clementia Illustrißimus Princeps maluit emendari adolescentem, & ad bonos mores reuocari, quàm perire. Ideo ad Academiam cum remisit, pro quo beneficio adolescens sempiternam gratiam Illustrißimo principi debet, & nos ei reuerenter gratias agimus.

Vt autem & ipse N. de iudicio diuino admoneatur, & alij exemplum metuant, nos scholastica pœna cum adficiendum esse censuimus. Excludimus igitur publico decreto hunc N. N. N. à societate Academiæ nostræ, eumq; hortamur, ut commonefactus, & periculo suo, & li-

& liberatione, mores emendet, & cupiditates coherceat, & maiore uigilantia insidias diaboli uitet.

Deinde nobis omnibus sciamus exempla proponi in aliorum lapsibus & pœnis, ut iudicium Dei metuamus, nosq; omnes impetus maiore cura frenemus, illecebras etiam & occasiones lapsuum uitemus, ut dicitur: Vitare peccata, est uitare occasiones peccatorum.

Cogitemus etiam causas, quare Deus et intelligi uirtutes, & exerceri uelit. Meminerimus seuerissimè præcipi, ut ambulemus accuratè, non ut fatui, id est, non ruamus sine freno, quocunq; trahunt illecebræ, aut impellit diabolus. Certamine aliquo opus est in gubernatione morum, nec certamine tantum, sed etiam inuocatione filij Dei, domini nostri Iesu Christi, crucifixi pro nobis, & resuscitati, qui uenit, ut destruat opera diaboli. Destruit autem non in ignauis, ac Epicureo contemptu Dei uiuentibus, sed in his, qui uera inuocatione regi se expetunt, ut scriptum est. Trahit Deus, sed uolentes trahit. Item: Petite & accipietis. Datæ Vuitebergæ Idibus Ianuarij. Anno 1549.

Rector

ANNO 1549.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI DOCTOR.

MAgnum decus est etiam lætis temporibus modestia, & cura seruandi modum in omni gestu, Mœstis uero temporibus, in quibus compescere cœcos impetus ærumnæ ipsæ debebant, non adfici sensu communium miseriarum, sed tanquam in Bacchanalibus discurre, uociferari & tumultuari, magna turpitudo est. Non solum illa ipsa cura tuendæ moderationis, sed etiam sensus ærumnarum reprimere & compescere stolidos impetus debebat. Vt morbi interdum temperantiam adferunt: Ita nunc omnes homines propter multa Ecclesiæ & reipublicæ uulnera, dolore adfici & significare mœsticiam studio tranquillitatis oportuit.

Videtis in magna Germaniæ parte sacerdotes doctos & honestos ex Ecclesijs, quas diu pie erudierunt, expelli, in templis solitudinem & uastationem fieri, Alicubi uerò & manifestos Idolorum cultus restitui, dißipari populum, turbari Spiritum sanctum, & impediri dolore uel dubitatione inuocationem in mentibus pijs, in

impijs confirmari audaciam & cyclopicas opiniones, uagari cæteros sacerdotes cum familijs suis, passim uerò grassari milites, & petulantiam & contumaciam multiplicem exercere. Apparari etiam nunc noua & maiora bella, dissipari scholas, doctrinæ studia conticescere, honestas leges & disciplinam deleri, turbari œconomias, nec foueri aut institui posse paruam sobolem, multos etiam exulare, auulsos à coniugibus & familijs.

Deniq; etsi magnæ calamitates antea etiam in bellis Germanicis extiterunt: tamen cum nunc ad cætera bellorum mala, ad cedes, incendia, exilia, raptus matronarum & Virginum accedat horrenda religionis confusio, tantum miseriarum uix unquam in Germania fuisse existimatur.

Propter has causas uera Ecclesia Dei ubiq; in magno luctu est, cuius affici dolore nos quoq; ostendamus, qui membra sumus Ecclesiæ Dei, & ut in precatione mens sit ardentior, simus modesti & amantes tranquillitatis.

Quare seuerè prohibemus discursationes & uociferationes nocturnas, ac præcipue mandamus, ut diligenter uitent Scholastici omnes occasio-

occasiones irritaturas milites, qua in re & publici & priuati periculi ratio habenda est. Demiq; propter filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, qui nunc quoq; pro nobis apud æternum patrem intercedit, & sua manu tegit Ecclesiæ & scholæ huius reliquias, uos obtestamur, ut sitis modesti, & ueris uotis & gemitibus nobiscum oretis Deum, ut pœnas mitiget, nec sinat dissipari cœtus rectè discentium. Datæ die tertia Februarij. Anno 1549.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI VITVS VVINSHEMIVS S.D. OMNIBVS AVDITORIBVS.

GRatias agimus Deo æterno patri domini nostri Iesu Christi, conditori generis humani & Ecclesiæ, qui immensa bonitate hactenus inter ingentia pericula & magnas ærumnas texit nos, & hos scholasticorum aluеolos, & aliquam sibi Ecclesiam inter nos in hoc oppido collegit, & tuetur doctrinæ studia, cuius uox etiam perfertur ad alias regiones.

Hunc uerum Deum, æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani & Ecclesiæ suæ, propter filium, quem uoluit

esse, μετσίτηρ καὶ ἱκέτηρ, ardentibus uotis oramus, ne dißipari hanc Ecclesiam & scholam sinat, sed sua misericordia foueat hîc cœtum docentium & discentium, ut ipsum uere celebremus, & faciat nos σκέυη ἐλέους, & salutares doctrinæ custodes. Ac scimus sine auxilio Dei ueritatem in genere humano retineri non posse. Ad hæc uota etiam sedulitatem mediocrem addimus, ut doctrina utilis Ecclesiæ & communi uitæ propagetur, de quo genere laborum inquit Paulus, ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενὸς ἐν κυρίῳ.

Cum igitur hanc nostram militiam sciamus Deo placere, & speremus utilem esse Ecclesiæ, libentius faciamus operas scholasticas, et nostros cœtus ipsi quoq; studiose foueamus. Quare petimus, ut Doctores & Magistri, & alij honesti & docti uiri hodie ad publicum examen conueniant.

Talium congressuum multiplex est utilitas, inspiciuntur studia iuuentutis, conferuntur iudicia de multis rebus, multi commonefacti ab alijs, discunt aliquid. Deniq; illa frequentia colloquentium de doctrina, pulchra est, & præcipuum societatis humanæ lumen, & imago quædam est cœlestium agminum, in quibus cum Filio

Dei

Dei familiares sermones miscent Patres & Prophetæ, & reliqua cœlitum multitudo.

Ac nunc præcipuè collatio de doctrina expetenda est, cum passim corruptelæ sparguntur. Vt igitur contra falsas opiniones præmuniantur animi & rectæ sententiæ confirmentur, prodest aliorum et audire iudicia, & considerare exempla, ut optima eligantur.

Euripides inquit, ὁμιλία τὰς τέχνας ἔπεκερ. *Tanta cum sit utilitas conuersationis & collationis opinionum, adiuuare eam studiose debemus, quod ut libentius etiam faciamus, dulcedine colloquiorum moueamur. Quæ enim suauitas cogitari maior potest, quàm frui erudito sermone uiri amici, quo uel eruditio alitur, uel consolatio proponitur, uel adfectus quicunq; leniuntur. Bene ualete. Die 5. Februarij.*

IN SEXTVM EVCLIDIS

M. ERASMVS REINHOLDVS.

Scitis Geometriam diuidi in duas partes, quarum altera, etsi sæpe uenit adpellatione totius, tamen propriè dici solet, ἐπίπεδων

θεωρία, comprehensa prioribus sex libris Euclidis, Altera uocatur στερεομετρία, cuius Elementa traduntur in posterioribus libris.

Nunc igitur cum absolutis 5. prioribus, cras Deo iuuante inchoaturus sim sextum, hortamur omnes studiosos harum disciplinarum, qui priores libros mediocriter tenent, ut suæ ipsorum utilitati consulant, nec amittant hanc discendi occasionem. Nemo enim ex solis 5. primis libris iustum fructũ studiorum percipere potest, nisi & huius sexti cognitionem adiungat, in quo quidem alteram illam Geometriæ partem Euclides absoluit.

Sed aliqui generosiores cupiunt non solum in his Elementis hærere, uerum auidè expetunt sibi eorum uerum & germanum usum monstrari in ipsa Astronomia. Quibus ut liceat gratificari, sicut æquum est, annitemur quouis labore, ut quamprimum copia nobis detur exemplarium primi libri μεγάλης συντάξεως Ptolemæi, ad cuius præstantißimi autoris cognitionem si adsuefacta fuerit studiosa iuuentus, non dubitamus Mathematicis quoq; disciplinis aliquando suam pristinam dignitatem & decus rediturum esse.

Cæterum aliquid etiam ex undecimo Euclidis de-

dis deguſtare prius oportet. Ideo non multo poſt, Deo iuuante, aliquid temporis ei quoq; libro tribuendum erit, ubi in ſexto mediocriter progreſſi fuerimus. Videtis enim hanc partem mirabili ſyſtemate ita inter ſe connexam eſſe, ut nulla eius particula, niſi ſuo loco & ordine tradita, commodè & rectè percipiatur. 10. Februarij. Anno 1549.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVITEBERGENSI VITVS VVINSHEMIVS.

PRæcipui fines omnium ſtudiorum atq; actionum humanarum eſſe debent, prior, ut celebretur Deus conditor uniuerſæ naturæ, proximus, ut proſint labores noſtri ad Eccleſiam erudiendam, conſociandam, & fouendam.

In utroq; fine autem præcipuum opus eſt doctrinæ propagatio, in qua ſperamus Deo probari noſtram operam & aſſiduitatem. Sonat enim uox doctrinæ cœleſtis incorrupta in hac Eccleſia & in ſchola, & adduntur linguæ & artes, quæ ſunt Eccleſiæ utiles. Deinde diſciplinam quantum poſſumus, tueri ſtudemus.

Hæc eò recitamus, & ut auditores monea-
mus, ut ad eosdem fines studia & labores refe-
rant, & ut quidam censores nostri placatiores
nobis fiant, uere considerata nostra sedulitate,
quibus tamen speramus eos, ad quos accusatio
præcipue pertinet, præclare satisfacere posse, si
seruetur uetus illud, μηδὲ δίκην δικάσης πρὶν
ἀμφοῖν μῦθον ἀκόσης.

Ac nos quidem filium Dei Dominum nostrum
Iesum Christum, crucifixum pro nobis & re-
suscitatum, Ecclesiæ custodem, toto pectore ora-
mus, ut mentes, uoluntates, & studia nostra gu-
bernet, ut Ecclesiæ Dei prosint, ad ueritatis
lucem retinendam, et ad fouendos cœtus nostros
pia & salutari concordia. Hæc summa bona
omnes optemus, ad hæc referamus omnes labo-
res & contentiones animorum.

Ac si lucebit in nobis uera Dei agnitio, dul-
cior erit & hæc ipsa Philosophia, cuius propa-
gatio nostro ordini mandata est. Physica gra-
tior erit, cum cogitabimus, non ex atomorum
concursu mundum temerè confluxisse, sed miro
consilio & arte à mente æterna opifice condi-
tum esse.

Doctrina

Doctrina de motibus cœlestibus gratior erit, cum hic ipse Sol de fonte lucis nos admonebit. Gratior erit humanæ naturæ consideratio, cum nos ipsos aspicientes, discernemus naturas intelligentes, à non intelligentibus, cum uestigia Dei in nobis contemplabimur, mentem genitricem τοῦ λόγου, λόγου καὶ ἐννοίας μήτηρ, cum cogitabimus ipsas noticias uirtutum testimonia de Deo esse, & commonefactrices, qualis sit Deus.

Suauior erit Arithmetica, cum numeros agnoscemus nobis monstratos esse, ut duces sint ordinis, & discernant à rebus conditis unius conditoris essentiam.

Geometria amabilior erit, cum audiemus uetus dictum, θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν, Id est, sua cogitatione metas omnibus rebus circundare, & ordinem ac proportionem motuum cœlestium & specierum tueri. Deniq; longum esset de singulis artibus dicere.

Rursus autem & illud considerandum est, bona ingenia auidius arripere philosophiam & linguas, cum uident lectionem sermonis diuini illustriorem fieri, dextrè adhibitis alijs artibus. Quoties accidit istis, qui linguas ignorant, ut

in interpretatione perinde agant, acſi conentur claue ligna findere, ſecuri uerò ſeras aperire, ſeu ut Græci prouerbium efferunt, κλειδὶ ξύλα σχίζειν, τῇ δὲ ἀξίνῃ τὴν θύραν ἀνοίγειν. Profecto cum lego interpretationem Pauli aut Eſaiæ editam ab illis ineruditis, qui audaciſſimè ſingunt ſententias alienas à fontibus, ſtare tanquam ad fores Pauli uidentur, armati ſecuribus, quibus aperire ſeras aut effringere uelint. Itaq; doctrinam literarum & artium à Deo oſtenſam amemus, eaq; fruamur, ac Deo pro tanto munere gratias agamus.

Hæc & in publicis congreſſibus noſtris cogitanda ſunt, in quibus & uota coniungamus, ut filius Dei ſtudia noſtra gubernet, & hos nidulos Eccleſiæ & doctrinæ clementer protegat.

Petimus igitur, ut omnes Doctores, Magiſtri & auditores, die Februarij. 19. conueniant ad renunciationem gradus Magiſterij, cum teſtimonia doctrinæ tribuemus hïs honeſtis & doctis uiris tribus & quadraginta, quorum hîc adſcripta ſunt nomina.

Multæ ſunt graues cauſæ, propter quas tales renunciationes publicè fieri utile eſt. Quare intereſſe uos quoq; decet. Ipſorum etiam qui

ornantur

ornantur gradu, uirtuti et eruditioni hoc officium tribuite, quia Dei beneficio, in hoc numero multi præclarè eruditi sunt, quorum industriam speramus reipub. profuturam esse. 17. Febru.

M. NICOLAVS MANLIVS ONOLSBACENSIS.

MAgnus est in uniuersa uita humana usus Arithmeticæ, non solum in mercatu, in uenarum metallicarum rationibus, in cudenda moneta, sed in omni gubernatione œconomica et politica, ubi non satis est tantum nosse numeros naturæ beneficio, sed ars addenda est, sine qua nullæ difficiles & intricatæ rationes cuolui & explicari possunt. Sed nos, qui in studijs uersamur, & non tantum qualemcunq; doctrinæ umbram expetimus, istam nobis utilitatem præcipue proponamus, quòd ad pulcherrimam doctrinam de rebus cœlestibus, in qua perspicua diuinitatis uestigia conspiciuntur, nullus aditus patet, nisi per Arithmeticam & Geometriam. Sunt autem mirandi luminum cœlestium motus, & rati et perpetui circuitus, ideo nobis à Deo propositi, ut in corũ consideratione uersantes, illustria de Deo et sapientia ac potẽtia diuina testimonia

testimonia aspiciamus, & animaduersis motibus, annorum discrimina cernamus, quibus præcipuè Ecclesiæ Dei opus est, ut tempora collectæ & instauratæ Ecclesiæ, & editarum promissionum obseruari possint.

Et locorum interualla cognita, non sacris literis solum, sed uniuersæ historiæ magnum lumen adferunt.

Est autem tanta uis Arithmetices in hac præstantissima doctrina de rebus cœlestibus, ut à mediocri Arithmetico statim percipi sine ulla difficultate possit.

Itaq; Plato omnium philosophorum princeps, in Phædro Arithmeticam dixit alteram alam esse, cuius ope in cœlum sublati, lustrare oculis uniuersas rerum materias, cernere spacia metasq; maximorum corporum, uidere syderum fatales congressus, Deniq; Diuinæ mentis expressa uestigia animaduertere possumus.

Cum autem tanta dignitas & utilitas sit artis numerandi in Ecclesia Dei, in discenda doctrina motuum cœlestium, deniq; in tota communi consuetudine uitæ, nostræ mentes his commodis capi, & excitari conuenit ad hanc artem discendam & amandam. Igitur decreui quorundam causa &

causa & petitione, qui hæc nondum attigerunt, communia Arithmetices præcepta prælegere, & pro uirili ea exemplis illustrare. Quare ijs, qui hac nostra tenui opera uti uolent, non sum defuturus. Conueniant autem me proxima die Mercurij hora 12. in mea habitatione apud Roslerum, è regione domus, cui à mola uentis circumacta nomen est.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI DOCTOR.

DE paruulis in Ecclesia adfirmat filius Dei hanc uocem. Non est uoluntas patris cœlestis, ut pereat unus de paruulis istis. Et addit: Angeli eorum uident faciem patris mei.

Hanc ueram & firmam consolationem teneamus, cum ex hac mortali uita infantes inserti Ecclesiæ Dei euocantur, Videlicet ab Angelis custodibus, eorum animas in cœlum ad æternum patrem adduci.

Hoc Dei beneficium in funeribus infantum cogitandum est, & Deo gratiæ agendæ sunt.

Hodie autem hora duodecima funus fiet puellæ, filiæ

le, filiæ Martini Oeconomi, quæ heri inter pia uota & in inuocatione filij Dei decessit. Et quam diu ægrotauit, sæpe & iussit sibi præcini cantilenas pias, & unà cecinit.

Nec dubitamus uerè eam esse in numero illorum, de quibus dicitur. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Hortamur igitur scholasticos, ut ad funeris ceremonias conueniant, & ibi pia precatione sese & Ecclesiam Deo commendent.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI DOCTOR.

IVra fidei publicæ seruanda sunt etiam erga alienos & erga hostes. Ea in re honestas, & generis humani consensus primum considetur. Deinde periculi ratio habeatur. Equites, qui mandatum habent tuendæ fidei publicæ, irritati possent atrociter reprimere tumultuantes. Quod si heri fecissent excitati contumelijs & uociferationibus, magna cædes facta essset. Sed tunc quidem in caligine parcere multitudini maluerunt.

Nunc

Nunc ſcholaſticis hoc edictum proponimus, primum ut commonefacti de iure fidei publicæ, omnes contumeliæ ſignificationes omittant. Deinde ut ea in re ſui periculi rationem habeant, ſi equites turbam tumultuantem diſſipabunt, multi interficientur.

Ideo mandamus iuramenti religione, ne quis ſcholaſticus ulla contumelia afficiat quenquam in comitatu inclyti Marchionis Electoris. Deinde ut uitent periculum, præcipimus, ne accedat quiſquam ad turbam ſpectatricem. Quia ſi rurſus exoriretur uociferatio, præcipue ſcholaſtici ab equitibus peterentur.

Luget Eccleſia in tota Germania, cum hac nos quoq; lugere modeſtia noſtra ſignificemus, & gemitibus ac uotis pijs filio Dei eam commendemus, non uiolemus contumelia hoſpites, quorum aliqui ſumma nobilitate & authoritate, multi uirtute excellunt, multi etiam nobiſcum & uerè Deum inuocant, & optant Eccleſiæ tranquillitatem. Magnæ cauſæ hac in re cogitandæ ſunt, ius fidei publicæ, reuerentia debita principibus, officia debita hoſpitibus, noſtri periculi magnitudo, Eccleſiæ luctus, malum exemplum, uoluntatum alienatio à noſtra Eccleſia.

Itaq; harum causarum omnium cogitatio nos moueat, ut reprimamus linguas & manus, ne quem contumelia adficiamus. Die 23. Februarij. Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI DOCTOR.

MVltæ sunt grauissimæ causæ, quare Ecclesia Dei inde usq; ab initio in funerum ceremonijs pios hominum congressus fieri uoluerit. Ac uetustas non inania tantum spectacula ibi exhibuit, ut postea fecerunt Ethnici, qui Agonas equestres & alios instituerunt. Sed commonefactio fiebat ad populum de causis miseriarum humanarum, & de liberatione promissa propter filium mediatorem, qui caput serpentis conculcaturus esset, de uenturo iudicio, & de resurrectione.

Agebantur etiam gratiæ, si qui uel in confessione fortiter tulerant supplicia, uel alioqui in inuocatione Dei fideliter decesserant. Vt totâ Ecclesia Antiochena comitata est coniugem Babylæ Episcopi, quæ maritum & tres filios simul sepelicbat;

sepeliebat, cum in confessione interfecti essent, & quidem tres filij primum, inspectantibus parentibus in extrema senecta, & confirmantibus eos, necati essent, postea uerò pater senex supplicio adfectus est. Horum corpora mater anus publicè sepelijt, tota Ecclesia lugente suam orbitatem, amisso bono pastore, & tamen Deo gratias agente, pro constantia confessionis. Præterea monebant in funeribus pij doctores, ut communibus precibus mitigatio miseriarum publicarum peteretur, & suam uitam quisq; Deo commendaret. Est enim uita Dei donum. Propter has causas uolumus & nos, conuenire Ecclesiam in funerum ceremonijs, ut nos ipsi commonefaciamus de causis miseriarum humanarum, & de liberatione ac uenturo iudicio, & ut fiducia filij Dei domini nostri Iesu Christi petamus, ut seruentur in his regionibus Ecclesiæ, & ut ei gratias agamus, quòd inuocantes ipsum facit hæredes uitæ æternæ.

Mandamus igitur, ut hodie hora quarta ante Arcem conueniant omnes Doctores, Magistri, & auditores, ad funus honestissimæ matronæ matris uiri Nobilis & uirtute excellentis Sebastiani à Vualuuitz, capitanei superioris in ducatu Saxonico, quæ nata fuit in familia Nobili

Vuolknitz, & nupta uiro Nobili Georgio à Vualuuitz, quorum uita cum alijs uirtutibus omnibus ornata fuit, tum uerò præcipue pietate & uera inuocatione Dei.

Itaq; Deus uicißim, ut in Pſalmo dicitur, filij tui ſicut nouellæ olearum, dedit eis natos ſedecim, corporum figura, ingenijs, & uirtute præſtantes. Filij enim in militia apud ſummos Reges, Imperatorem, Regem Gallicum, Regem Anglicum, Regem Danicum exercitus duxerunt, & rebus magna uirtute & fœlicitate geſtis in magna autoritate ſunt & fuerunt. Tres enim in prælijs extincti ſunt, cæteri ſuperſtites adiuuant gubernationem reipublicæ etiam in pace, magna cum laude. Nam & hæc ipſa ciuitas, & tota uicinia teſtis eſt, eximiam eſſe Capitanei in omni gubernatione, iuſtitiam, æquitatem, continentiam & moderationem.

Has domeſticas uirtutes addere ad militares, ingens decus eſt. Digna laude eſt & pietas erga honeſtißimam matrem, quam honeſtißimo exemplo uidimus apud filium uiuere, & quotidie in templis Deum inuocare, et audimus iam in morbo robur animi in ea magnum fuiſſe, propterea quòd uera inuocatione filij Dei petebat lætam cœleſtis Eccleſiæ conſuetudinem, et certo norat,

hæc

hæc uota, hanc fidem, hanc ſpem & expectationem nequaquam irritam eſſe. Propter talium exemplorum cogitationem etiam ad hos congreſſus accedendum eſt, & addenda precatio pro communi ſalute. Die Februarij 28.

Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI DOCTOR.

REpetimus mandatum nuper hîc propoſitum, de non uiolanda fide publica, Ac rurſus mandamus Religione iurisiurandi, ne quis ulla contumelia in dictis, aut geſtu ullum hoſpitem adficiat. Ac ut uitetur occaſio, hortamur, ne accedant ſcholaſtici ad turbam ſpectatricem. Etſi autem uoluntas in iuuenibus non fuit atrox: tamen ſpecies facti petulantiam præ ſe fert, & poſtea atrocitate narrationis exaggeratur, præſertim apud eos, quorum uoluntates ſunt alienæ ab hac noſtra Eccleſia.

Corinthus deleta eſt à Romanis, propter uiolationem fidei publicæ. Et multa leguntur ſimilia exempla. Semper enim ſapientes gubernatores iudicarunt, reuerenter tuendum

esse ius fidei publicæ, ut de pace & de rebus necessarijs colloqui homines possent. Hæc officia politica intelligere & magnifacere discamus. Iuniores etiam metus periculi sui coherceat, quia si equites irritati turbam dissiparent, cædes fieret.

Parcite ergo & uestræ uitæ, & parentibus uestris, & Ecclesiæ nostræ. Nam & parentes & nos in tristissimo luctu futuri essemus, si qui aut uulnerarentur, aut interficerentur. Et scandalo oneraretur hæc Ecclesia alioqui mœsta, quam nunc omnibus officijs ornare debemus.

Hæ grauissimæ causæ uos moueant, ut uestræ & communi tranquillitati consulatis. Die 25. Februarij. Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI DOCTOR.

ANtiquitas Ethnica celebrauit in fine Decembris Saturnalia, in quibus, ut imago proponeretur aureæ ætatis, libertatis, & æqualitatis, quam initio regnante Saturno fuisse ferebant, Serui in familijs, triduo conuiuia agitabant.

agitabant. Ac Heri ministrorum officia obibant, adstabant mensis, adferebant cibos, erant pincernæ. Hæc domestica permutatio non solum ad bilaritatem, sed etiam ad commonefactionem instituta fuit, ut domini cogitarent de communi sorte humana, Dominos posse in seruitutem uenire, & seruis reddi posse libertatem, & iusticiam & beneficentiam erga seruos exercendam esse propter naturæ societatem. A talibus honestis conuiuijs & ludis orti putantur ludi horum dierum. Sed barbaries hominum multa addidit, Laruas, discursationes nocturnas & diurnas, uociferationes, & alia periculosa paci, & indigna bene moratis hominibus.

Ideo prohibemus in uniuersum personatorum discursationes nocturnas & diurnas, item Ludos, qui à mussitatione nomen habent, & alios indecoros ludos, prohibemus & uocari puellas & mulieres in alienas familias ad choreas. Meminerimus tantum abusum fuisse libertatis christianæ, ut in ipsis ferijs passionis filij Dei totis noctibus helluarentur. Nunc pœnas damus, magni tumultus impendent, & iam Ecclesiæ uastantur, uagantur in exilijs pij pastores cum familijs, quæ fame & mœsticia contabescunt.

Has pœnas leniri oremus, & leniet filius Dei, si nos ad modestiam reuocare, si disciplinæ frena pati incipiemus, si ueris uotis & gemitibus petemus, ne maior dissipatio fiat, pericula etiam hortentur singulos hoc tempore ad modestiam, cum in oppido milites sint. Ac seuere mandamus, ne quis ulla petulantiæ specie irritet milites. Datæ die 3. Martij. Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI DOCTOR.

TEmpora in Ecclesia ita distributa sunt, ut congruant ad facta insignia, quorum memoriam Deus conseruari uoluit. Hoc autem die celebratur summi operis memoria, in quo miranda copulatio diuinæ & humanæ naturæ in utero uirginis facta est. Tunc impleta est prima promissio, Semen mulieris conculcabit caput serpentis.

Iacere igitur prostratos coram Deo summa reuerentia omnes homines, & magnitudinem operis et beneficij, & causas cogitare, & gratias agere, ac fidem accendere, ac petere auxilium ab illo ipso Propitiatore oportebat. Vere & horri-

biliter

biliter irasci Deum peccato, cum aliæ multæ pœnæ communes ostendunt, tum uerò mors filij Dei maxime testatur. Necesse est enim ingentem iram esse, quæ hoc modo & non aliter placanda fuit.

Rursus magna consolatio in hoc ipso consilio proponitur. Cum tanta sit ira, ut nullius hominis iusticia opponi potuerit, accedamus ad Deum fiducia filij mediatoris, nec deterreamur conspectu nostrarum sordium.

Cogitemus filium Dei adsumpsisse humanam naturam, quia cum humana natura peccasset, λύτρον fieri aliquem in genere humano iustum erat. Sed ut esset æquiualens λύτρον, & ut sustinere iram posset, & mors uinceretur ac delerctur, filius Dei, qui est omnipotens, constitutus est Redemptor.

Hæc cum iam cogitanda essent, & gratiæ Deo agendæ, audimus nocturnas uociferationes, quæ, si esset iusta seueritas disciplinæ, hoc tempore grauissime punirentur. Duriores sunt omnibus scopulis, qui nec sensu calamitatum Ecclesiæ adficiuntur, nec tali tempore commonefacti ab ipsis ferijs, componunt se modeste ad piam meditationem, gratiarum actionem, & inuocationem.

Accedit ad uestra peccata hoc quoq;, quòd aliorum gemitus & inuocationem turbatis. Ideo seuere præcipimus, & ut modesti sitis, & ut beneficia Dei ingentia, significatione aliqua gratitudinis, cogitetis. Vult Deus agnosci & celebrari suam bonitatem, & uult, ut Paulus inquit, διὰ πολλῶν, καὶ ἐκ πολλῶν πρόσωπων εὐχαριστίαν προσφέρεσθαι.

Adiungite igitur ad omnium piorum uota uestras preces, pro uobis, & pro Ecclesia Dei. Hæc qui non faciunt, sed ut in Bacchanalibus furentes discurrunt, diabolorum similes sunt, qui odio filij Dei etiam uarie tumultuantur, ut impediant cogitationem de beneficijs Dei, & inuocationem.

Oramus autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christũ, natum ex uirgine Maria, sedentem ad dextram æterni Patris, ut Ecclesiam sibi inter nos perpetuo colligat, et nos seruet et regat. Datæ Anno 1549. die 25 Martij, quo ante annos 1550. filius Dei in utero uirginis mirando consilio factus est Silob, id est, fœtus uirginis. Et quo die ante annos 1516. crucifixus est. Quo die item scribitur conditus esse Adam ante annos 5511.

ector

ANNO 1549.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI DOCTOR.

RECitantur in omnium ſapientum literis & ſermonibus multa præconia ampliſſima diſciplinæ, Sed omnium ſumma hæc ſunt, quòd ſapientiæ & iuſticiæ Dei, qui hanc uitæ normam nobis tradidit, parere nos rectum eſt, qui quidem hos radios ſuæ ſapientiæ in nos transfudit, ut teſtentur hunc mundum non extitiſſe caſu, ſed uerè eſſe mentem Architectatricem mundi & generis humani, & doceant, qualis ſit illa mens, & quòd iudicet hominum facta.

Deinde Paulus addit hanc laudem: Legem eſſe pædagogiam in Chriſtum, quod de diſciplinæ in Eccleſia Dei dicit, ubi cum diſciplinæ gubernatione ſimul doctrina de filio Dei proponitur, & mores frenantur, ut ſit efficax filius Dei.

Harum laudum amplitudinem nullius hominis eloquentia ſatis exponere poteſt, ſed bonæ mentes cogitant, quæ ſit uoluntas Dei, quantum decus ſit congruere noſtros mores cum uoluntate Dei, quantum bonum ſit, mores ita moderari,

ut discamus doctrinam de filio Dei, & ipse sit in nobis efficax. Ad hos fines labor omnis Ecclesiæ in disciplina tuenda refertur, ac præcipue scholarum, quæ uerissimè sunt pædagogiæ in Christum.

Quare bonæ mentes & scholas & salutaris disciplinæ frenos, qui in scholis proponuntur amare debent. Vtilissimum est iunioribus adsuefieri ad hanc sapientiam & uirtutem, ut intelligant, quàm grata Deo sit hæc obedientia, et consideratio sapientiæ & iusticiæ ipsius, & ament hunc pulcherrimum ordinem cum uoluntate Dei congruentem, & necessarium ad accipienda & retinenda beneficia filij Dei.

Plato inquit, Optimum esse ciuem, qui omnibus uictorijs & triumphis antefert hanc laudem, quòd legibus patriæ fideliter obtemperet. Nos uerò in Ecclesia Dei sciamus hanc diligentiam non solum in hac societate ciuili magnum decus esse, sed etiam ideo necessariam esse, quia sit pædagogia ad agnitionem, & beneficia filij Dei, quia non est efficax filius Dei in his, qui non desinunt frenos laxare prauis cupiditatibus.

Vt igitur Leges Academiæ uobis notæ sint, quæ disciplinæ causa conditæ sunt, præcipimus

omnibus ſcholaſticis, ut hodie hora duodecima in auditorio Collegij maiori conueniant, ubi Legum recitationem audiant, & commonefacti doctrina cœleſti, animos ad obedientiam flectant, quia ſcriptum eſt: Neceſſe eſt obedire non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, Et Magiſtratus, Deo iuuante, contumaces punient, quia uerißimum eſt dictum Aeſchinis, quod Demoſthenes citat, οὐδεμί ὅσιμ ὄφελ@ πόλεως, ἥτις μὴ νεῦξα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἔχθ.

Tunc autem gubernatio fœlix eſt, cum à filio Dei iuuatur, ſedente ad dextram æterni Patris, ut dona det hominibus, Ideo oramus cum toto pectore, ut hos cœtus, doctrinam Euangelij diſcentes, ſeruet & regat ipſe, & ſua dona inter nos deleri non ſinat, Gemitus noſtros etiam exaudiat, & nos iuuet, qui ne ſtudia doctrinæ hîc extinguantur, malumus hunc cœtum pie foueri, quàm temere diſſipari, Sicut ſcriptum eſt, μὴ ἐγκαταλείποντες τὴν ἐπισυναγωγὴν ἡμετέραν.

Die ſeptimo Aprilis.

De Ecli-

ANNO 1549.

DE ECLIPSI, QVAE ERIT DIE XII. APRILIS, ANNO 1549.

M. NICOLAVS SIL. BERHORN.

NOn fertur dubio natura ſine ordine caſu,
Voluitur ambiguis ut Dea cœca rotis,
Sed Deus hãc ſapiens certis moderatur habenis,
Turpia qui punit uindice facta manu.
Præmonet & ſcelerum pœnas inſtare timendas,
Oſtendens iræ nuncia multa ſuæ.
Talia non ullo ſunt irrita tempore ſigna,
Hæc licet irridens impia Turba neget.
Dum tegit obſcura Phœbum caligine Luna,
Duraq; dum tetro ſaxa cruore madent,
Dulichij iuuenes minitantia ſidera rident,
Penelopes caſtum qui petiere thorum.
Vltio ſed riſum Sardoum iuſta ſequuta eſt,
Qualis contempti Numinis eſſe ſolet.
Sic tandem meritas perſoluent tempore pœnas,
Qui ſpernent Triuiæ ſigna futura nigræ.
Cynthia cras etenim piceis obducta tenebris,
Amittet radij lumina clara ſui.

Mane

ANNO 1549.

Mane ubi iam noni contiget limina tecti,
Quo pandit chelas Scorpius ipse suas.
Et cum nona domus sit Relligionis, & ingens
Hauriat à Luna deficiente malum.
Hei noua doctrinæ metuo certamina Christi,
Quæ ferret ingenijs impia turba suis.
Inficiens animos cauda uibrante feroces,
Dißidijs addet Scorpius arma nouis.
Sed licet astra regãt homines, et bella minentur,
Ipse tamen summa Christus in arce sedet.
Hic non est rigido Parcarum carcere clausus,
Sed lenire potest fata seuera pijs.
Ergo grauem castis flectamus moribus iram,
Orantes summum supplice uoce Patrem,
Mitiget ut miseris hæc tanta pericula nobis,
Et seruet cœtus languida membra sui.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI DOCTOR.

ANnus hic est à primo Pascate, quod Israëlitæ exituri ex Aegypto celebrarunt, 3053. Tot annos continua serie & seruauit filius Dei Ecclesiam suam, & agnoscere ac celebrare eam sua beneficia uoluit. Seruabit

etiam

etiam deinceps hanc ipsam ob causam, ne in genere humano extinguantur uera ipsius noticia & inuocatio Dei.

Sed proh dolor, ut Sol medio die lucem amisit, & contra naturæ ordinem subitæ tenebræ fuerunt, cum in cruce filius Dei penderet, ita in hac mundi senecta tristes tenebræ erunt in magna parte generis humani. Erunt tamen exiguæ reliquiæ, quæ uocem Euangelij sonabunt.

Temporum autem collatio ostendit, non procul abesse faustissimum illum diem, in quo filius Dei se ostendet uniuerso generi humano, & triumphum aget reuocatis in uitam mortuis. Nam cum ab exitu ex Aegypto ad Christi pasca fuerint anni 1542. & ad hos congruat sequentis Ecclesiæ tempus, non procul abesse finem consentaneum est.

Cum igitur Deus immensa misericordia Ecclesiam inter nos in extrema & tristi caligine mundi colligat, & nos uocauerit ad celebrationem suorum beneficiorum, agamus ei gratias toto pectore, & cogitatione mirabilium consiliorum Dei reuerenter nos ad pietatem excitemus. Vere & horribiliter irasci Deum peccatis, etsi exempla calamitatum in toto genere humano

mano ostendunt, tamen nullum est illustrius testimonium ingentis iræ, quàm quòd in illo arcano consilio diuinitatis decretum est, hoc modo & non aliter placandam esse iram Dei, sacrificio filij.

Ac miranda est in hoc consilio iusticiæ & misericordiæ copulatio. Ordo iusticiæ omnino pœnam requirebat. Nec peccatum futilitate aut leuitate remittitur: Et cum genus humanum deliquisset, pœnam soluere aliquis in genere humano debebat. Nec tamen aliud erat æquiualens precium, nisi filius Dei. Decretum igitur admirandum factum est, ut filius Dei adsumeret humanam naturam, ut precium æquiualens esset, & tamen aliquis in genere humano pœnam solueret, & ut hæc uictima sustinere magnitudinem iræ posset, & uictrix esset mortis.

Expauescant igitur animi nostri cogitatione iræ Dei, nec cœci & securi iustißimum iudicem contemnamus. Iacuit filius Dei prostratus coram æterno Patre, sentiens iram aduersus tua et mea peccata, quasi ipse se tanta scelerum turpitudine polluisset. Id beneficium adspernantur, qui nolunt agnoscere sese reos esse, & suam turpitudinem in filium Dei translatam esse.

Scopuli

Scopuli in morte filij Dei dehiscunt, Sol amissione lucis mœsticiã significat, Terra quassatur tremore, Homines minus duros esse oportuit, præsertim tum pro nostris sceleribus pœnæ soluantur. Et tamen adeo dura sunt multorum pectora, ut nihil hac tanta re adficiantur.

Rursus autem in ipsis doloribus intueamur victoriam filij Dei, & reditum ex morte. Viuit & sedet ad dextram æterni Patris, ut colligat sibi æternam Ecclesiam, ut pro nobis deprecator sit adsiduus, liberet nos à peccatis & à morte æterna, Et recipimur non propter ullam dignitatem nostram, aut propter benefacta nostra, sed propter filium Dei, qui pro nobis victima factus est, & deprecator est pro nobis.

Accendatur autem in pectore tuo fides statuens, uere te propter eum recipi. Non indulgeas dubitationi, non sinas obrui fidem fluctibus prophanarum cogitationum. Sed uere statuito, non frustra filium Dei missum esse, cuius uoci addita sunt illustria testimonia, resuscitatio mortuorum & alia. Reuerenter gratias ipsi agito, quòd miranda beneuolentia erga genus humanum, pro nobis interceßit, & pœnam in sese deriuauit,

Luceat

Luceat fides in gratiarum actione & inuocatione, sicut inquit Epistola ad Ebreos, προσερχώμεθα ϖ πληροφορίᾳ πίστεως, Accedamus ad hunc Mediatorem, & certò statuamus nos propter eum recipi & exaudiri. Ita in inuocatione ardeat fides, & agnoscere discas filium Dei resuscitatum, & ideo regnantem, ut Ecclesiam sibi colligat, & ei opem ferat.

Hæc exercitia gratiarum actionis & inuocationis uera sunt officia huius diei festi. De hac fide præcipit Paulus prohibens dubitationem, cum inquit, Ne dicas in corde tuo, Quis ascendet in cœlum, Hoc est enim Christum inde deducere, Imo certißimè statuamus uere ad dextram Dei sedere eum, & seuerißimè postulare, ut effundi in nos cœlestia bona petamus, & firma spe acquiescamus in ipso, & auxilium in ærumnis nostris expectemus.

Hæc officia discernunt ueram Ecclesiam, & prophanos. Ideoq; de resuscitato & regnante Mediatore sic concionantur Prophetæ, ut Esaias inquit: Illo die stabit radix Iesse, ut sit uexillum populis, & gentes ad eum confugient, et requies eius erit gloria, seu glorioſa. Affirmat hunc dominum præsidio nobis fore, & uelle à se auxi-

lium firma fide & spe peti. Ideo sententiam græca interpretatio, quam citat Paulus, satis expressit, ἐπ' ἐλπίδι. Et sequentia uerba mortem & resurrectionem complectuntur: Et requies eius erit gloria, Non extinguetur filius Dei, ut Alexander moriens, sed & quiescet aliquantisper mirando consilio Dei, & resuscitabitur, Et gloriose regnabit, Erit efficax in inuocantibus, Erit gloria, non ipsi tantum, sed nobis inuocantibus, sicut & græca interpretatio inquit, καὶ ἔσται ἡ ἀνάπαυσις αὐτοῦ τιμή.

Te igitur fili Dei Iesu Christe, nate ex uirgine, crucifixe pro nobis, & resuscitate, sedens ad dextram æterni Patris, ardentibus uotis oramus, ut tua efficacia & gloria semper inter nos Ecclesiam tibi colligas, & nos ipsos sancto Spiritu tuo regas. Adhortamur autem auditores, ut modesti sint, ut ad pias meditationes & inuocationem idonei esse possint, ostendant etiam, se ministerium Euangelij uenerari, & munera ad aram cras offerant. In Paschate, Anno 1549.

MAGISTER SEBASTIANVS THEODORICVS.

Scitis

ANNO 1549.

SCitis artem medicam ex Physica extrui, & fontes in Physicis admodum tenues sunt, si non monstretur usus in aliqua parte Medicæ doctrinæ. Vtilissimum est igitur, & ad intelligendas Physicorum disputationes, & ad naturæ agnitionem, & ad tuendam ualetudinem, & ad depellendos morbos, nosse elementa doctrinæ Medicæ.

Quare decreui enarrare libellum utilem omnibus studiosis, scriptum in hac Academia à uiro ingeniosissimo, & sagacissimo Medico D. Augustino Schurff, continentem primas materias, quæ in doctrina medica traduntur, & quia non sunt exemplaria typis excusa, dictabo. Nec pigebit operæ in scribendo & audiendo eos, qui dulcedinem & utilitatem huius institutionis degustabunt.

Consideratio mirandi opficij diuini in natura hominis per sese expetenda & iucunda est, & ordo admonet nos de Deo opifice. Hîc uerò utilitas etiam inuitet studium, quia ualetudinis auxilia hinc petuntur. Et uerissimum est multos periculosos & atroces morbos imitio depelli Philosophica diligentia, quæ ex illis libellis discitur.

Vult autem Deus nos tueri ualetudinem, &

honorem haberi corpori, quod est organum Spiritus sancti. Lux intuens Deum, certa flamma est in cerebro lucens, & hæc flamma est lucidior, cum non impeditur crapula.

Timor Dei, reuerentia & dilectio Dei, & fiducia ac lætitia acquiescens in Deo, & sunt in corde, & ibi sensu manifesto percipiuntur, Sed non sit impeditum cor æstu libidinum. Sic de cæteris membris multa dici possent. Sed certum sit, corpus maiore cura regendum esse, ut sit Dei domicilium, & templum minus impeditum. Ad hanc diligentiam, & ad harum maximarum rerum cognitionem etiam Physica doctrina prodest. Inchoabo autem hanc enarrationem proximo die Iouis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IACOBVS MILICHIVS MEDICAE ARTIS DOCTOR.

ADsidue auditores nostros adhortamur, ut modesti sint, ut magis idonei esse possint ad cogitandas causas publicarum & priuatarum miseriarum, & ad inuocationem Dei,

Dei, & ad gratiarum actionem, quòd Deus non accendit totam iram suam, sed seruat adhuc aliquas Ecclesiæ suæ reliquias, & honestos cœtus, & doctrinæ studia.

Pro his tantis bonis tibi fili Dei Iesu Christe, custos Ecclesiæ tuæ, reuerenter gratias agimus, teq; oramus, ne maiores dissipationes in his regionibus fieri sinas, Et cum scias nos uero dolore adfici, quòd quorundam tanta est feritas, ut nulla disciplinæ uincula patiantur, te oramus, ut tu sis disciplinæ custos, & furias grassantes in contumacibus naturis reprimas.

Cum autem & nos nostro loco & nostra sedulitate, quantum possumus, tueri neruos disciplinæ debeamus, testimonia publica iudicij nostri aduersus contumaces proponimus, quorum lectio utinam alios ad modestiam flectat.

Heri autem quidam homo ferus N. Cum nocte hora secunda & hebetationi & periculosæ pugnæ se interfuisse fateretur, ac nollet ingredi in carcerem, sicut modestis omnibus usitatum est, in pœnis detrectauit autoritatem nostram, & uinculum iurisdictionis & pacis aspernatur,

quam ob causam relegatione perpetua eum ex Academia eijcimus, & ut omnes feritatem & contumaciam eius detestentur, publicè hanc sententiam proponimus.

Non leges, non iudicia, non uincula pacis cura, alienum est à natura hominum, & Deus, qui & conditor est humani generis, & autor politici ordinis, tales furores punit, ut scriptum est, Necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Die 15. Maij. Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE

IACOBVS MILICHIVS D.

SCitis hodie in Ecclesia celebrari memoriam triumphi filij Dei, quo in cœlum ascendit magno cœtu spectante, non ut ibi ociosus frueretur sua bonitate, sed ut uere sibi in genere humano colligat æternam ecclesiam, & sit custos sui cœtus, exaudiat nos, ferat opem nobis inuocantibus ipsum, ideo Psalmus describens hoc regnum, inquit, ascendit, captiuam duxit captiuitatem, dat dona hominibus, opitulatur inuocantibus singulis, Dat & publica dona, concordes Ecclesias, uocem doctrinæ, hospitia Ecclesiarum, disciplinam, pacem.

Hæc bona inter homines filius Dei uerissime luctur, quæ multipliciter turbare Diaboli conantur. Cauendæ sunt igitur insidiæ Diaboli, ne dissipationum, tumultuum, & cædium causæ simus, & orandus est filius Dei, ut ipse pios cœtus inter nos foueat, sint & mores nostri modesti, ne diabolica petulantia excitentur tumultus.

Proiectas esse tegulas audimus in aggerem ex collegio, & milites se peti putant. Mandamus igitur seuerissime, ne quis ulla contumelia milites adficiat, qua in re & suæ quisq; salutis rationem habeat, & publicæ tranquillitatis, quia motu tumultu, late grassari arma possent.

Tantorum malorum occasiones certè uitandæ sunt, & nos filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum sedentem ad dexteram, æterni patris oramus, ut auertat talia mala. Magistratus etiam pœnarum seueritate iudicium suum in re tanta ostendet. Die 30. Maij.

RECTOR ACADEMIAE
VVITEBERGENSIS IACOBVS
MILICHIVS DOCTOR.

ANNO 1549.

ANnus hic est 3055 à prima Pentecoste, in qua Lex Dei mirando consilio, illustribus testimonijs inter tonitrua, fulgura, & fulmina in monte Sina uoce diuina promulgata est. Tot annos cum seruauerit Deus Ecclesiam suam, gratias ei agamus, & quòd suos cœtus non sinit deleri, & quòd nos ad societatem æternæ Ecclesiæ uocauit, ac speremus nunc quoq; has mœstas reliquias seruaturum esse, & ne maiores dissipationes fieri sinat, ardentibus cum uotis oremus. Ac nunc recordatio operum diuinorum excuscitet nos ad pietatem. Cogitemus, cur in prima Pentecoste Lex promulgata sit, & cur deinde in Pentecoste noui Testamenti missus sit Spiritus sanctus.

Voluit Deus notam esse Legem, & edidit illa testimonia illustria de Lege, ut corda nostra uere metuant iram aduersus peccatum. Non solum tunc in rupe Sinaide inter horrendos fragores Legem pronunciatam esse existimes, sed tibi sonabit aliquando inter pauores tui pectoris, in calamitatibus priuatis & publicis. Verè enim omnibus hominibus ostendit Deus aliqua iræ suæ signa aduersus peccatum. Sed tunc uox audita est, ut nostras miserias, pœnas esse sciamus, quas

Deus

Deus propter ſuam iuſticiam in Lege propoſitam, exigit.

Deinde uerò & Pentecoſten noui Teſtamenti conſiderans, ampliſſimas & dulciſſimas conſolationes tibi proponito. Hîc cernebant oculi, mitti Spiritum ſanctum, & ut agnoſcamus quis ſit, & ut ſciamus certò nobis quoq; tantum munus & promiſſum eſſe & dari, ut mentes noſtræ ueris & ſalutaribus conſilijs regantur, & in nobis accendantur noticia & inuocatio Dei, ſicut beneficia Spiritus ſancti deſcripta ſunt in dulciſſima promiſſione apud Zachariã, cuius hæc ſunt uerba: Effundam ſuper domum Dauid ſpiritum gratiæ & precum. Mittitur hic gubernator, ut & in uoce Euangelij adfirmet nos recipi in gratiam, & cum in ueris pauoribus erigit & ſanat pectora, hac luce confirmati, agnoſcamus nos eſſe in gratia, & accendamur ad inuocationem.

Dolendum eſt autem, hoc tantum munus negligi. Nam plurimorum animi uel ſuæ ſapientiæ admiratione faſcinati, uel capti uoluptatibus, nec curant, nec expetunt hunc gubernatorem, ac ne quidem inuocationem exercent. Hi furores impij ex animis eijciendi ſunt, & agnoſcenda eſt immenſa bonitas Dei, qui tam multis illuſtribus

& manifestis testimonijs ostendit, uerè nos sibi curæ esse. Resuscitatio mortuorum & alia multa miracula testantur, ueram esse doctrinam Euangelij.

Agnoscamus igitur uere missum esse filium Dei, ut fieret pro nobis uictima, & placata ira æterni Patris recipiamur. Agnoscamus uere donari Spiritum sanctum petentibus, ut uox Euangelij dicit: Quanto magis Pater cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Offert hoc donum omnium maximum, quia spiritus est flamma pectoris æterni Patris, & filij. Cum suo pectore nos copulat Deus, suam lucem, sapientiam, & iusticiam in nobis accendit, cum effundit in nos Spiritum sanctum. Et iubet peti. Tribuas igitur Deo hunc honorem, ut petas, non asperneris, non negligas hunc gubernatorem. Agas gratias, quòd Ecclesiam suam & uocc Euangelij colligit, & Spiritu sancto sibi copulat. Petas & tuum pectus hac flamma æterni Patris & filij accendi, ut tua studia, consilia, & totum uitæ curriculum sit faustum & fœlix tibi & reipublicæ.

Non existimemus promissiones diuinas, inania murmura esse, Non ut Cyclopes, contemnamus uocem Dei, sed firmissimè statuamus, Deum

uere

uere nobis hoc bonum toties promiſſum largiri, & quidem in Pentecoſte ideo palam exhibitum eſſe, ut certò ſtatuamus, omnes inuocantes Deum, omnibus temporibus, idem munus accepturos eſſe. Semper inquit Taulerus, maior eſt in Deo ad dandum cupiditas, quàm in nobis ad accipiendum. O deplorandam duriciem humani cordis. Non cogitari maius donum ullum potest, quàm hæc ipſa diuinæ naturæ ſocietas. Et tamen adeo ferrei ſunt plurimorum animi, ut nec expetant eam, nec pro ea gratias agant Deo, nec datam retinere ſtudeant.

Hunc ſtuporem in nobis agnoſcamus, & ex animis eijciamus, ac primorum parentum exemplum intueamur. Horrenda ingratitudo fuit, cum in primo lapſu Spiritum ſanctum, & diuinæ naturæ ſocietatem ex ſuis cordibus eiecerunt. Hîc amiſſum bonum reddidit tamen Deus immenſa bonitate, deprecante pro eis filio. Hanc immenſam bonitatem & in nobis reſtituendis declarat, modo ut reſtitui petamus. Sic reſtituit horribiliter lapſos Aharonem, Dauidem, & alios multos.

Horum exempla commonefaciant nos, & quantum malum ſit, hunc gubernatorem excu-

tere

tere ex nostris mentibus, quæ ideo conditæ sunt, ut domicilium sint Spiritus sancti, & quæ pœnæ contemptum diuini muneris sequantur, et quanta sit bonitas Dei retrahentis nos miseros trepidantes, ad suam societatem. Harum maximarum rerum cogitatione nos ad inuocationem excitemus.

Te igitur omnipotens Deus, æterne & unice pater domini nostri Iesu Christi, conditor & conseruator cœli & terræ, & hominum, & Ecclesiæ tuæ, unà cum filio tuo coæterno domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto tuo, sapiens, bone, uerax, iuste, misericors, caste, liberrime, oramus, ut propter filium tuum dominum nostrum Iesum Christum, λόγον καὶ εἰκόνα σὸν ἀίδιον, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, nostri miserearis, & nobis peccata nostra remittas, ac nos Spiritu sancto tuo gubernes, colligas tibi Ecclesiam æternam, regas studia doctrinæ, disciplinam & politias, & protegas hospitia Ecclesiæ tuæ.

Mandamus autem auditoribus nostris, ut sint modesti, & hoc ipso officio uenerentur Spiritum sanctum, ne eum uel in seipsis uel in alijs contristent, ut Paulus præcipit, inquiens, μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα

τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ θεοῦ, ᾧ ὦ ἐσφρα-
γίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως. Ostendant etiam significationem gratitudinis erga ministros Euangelij, & cras ad Aram munera offerant. In Pentecoste. Anno 1549.

DE ENARRATIONE PRIMI LIBRI MAGNAE CONstructionis Ptolemæi. M. Erasmus Reinholdus Saluendensis.

DEo iuuante, enarrabo primum librum magnæ constructionis Ptolemæi, ut iuuentus ad fontes doctrinæ de motibus cœlestibus deducatur, eamq; ob causam magno labore edidimus eius libri pagellas græce & latine.

Existimo autem bona ingenia ipsa doctrinæ bonitate & dulcedine moueri, ut hæc studia appetant & colant. Vt enim oculi mirabiliter lætantur luce, & conspectu cœli, & terræ ornatæ magna varietate graminum, florum, arborum, fruticum, & distinctæ fluminibus, Et tamen hæc ipsa aspectio iucundior est, cum accedit cogitatio utilitatis harum rerum, frugum, pabuli, medicamentorum, & consideratio opificis Dei, qui

omnia

omnia mira arte condit, & fouet. Ita menti per ſeſe dulcis eſt cognitio mirabilium in natura rerum, ordinis corporum, motuum cœleſtium, naturæ hominum, & rerum in terra naſcentium. Sed fit gratior & iucundior hæc ſapientia, cum & cauſæ & utilitates agnoſcuntur.

Fateri ſanos omnes neceſſe eſt, ſe conuinci intuentes ordinem & artem totius opificij, ut ſtatuant hunc mundum non extitiſſe caſu, ſed conditum eſſe ab æterna mente Architectatrice, ſeq; commonefieri, quoties cœlum intuentur, & ordinem rerum cogitant, ut obtemperent huic Deo opifici iuxta has ipſas noticias, quas tanquam radios ſuæ ſapientiæ in nos transfudit, & eius iudicium & iram metuant. Et quidem propter hanc ipſam commonefactionem hoc pulcherrimũ theatrum tanta arte factum eſt, quod cum uelit aſpici Deus, & diligenter conſiderari, fateamur doctrinam de eius fabricatione appetendam eſſe. Ingens hæc eſt utilitas, quòd commonefactio eſt de Deo.

Deinde utilitates aliæ multæ ſunt. Neceſſe eſt Anni metas noſſe, neceſſe eſt regionum interualla & poſitus ſcire. Et cum hæc inferiora corpora in terra naſcentia, foueantur motu & lumine

mine cœlesti, causæ multarum mutationum in inferioribus cerni possunt, in positu stellarum. Quanquam autem nec perue stigari omnes causæ possunt, & certæ sunt metæ cœlestium observationum, tamen hæc sobria consideratio multa monet.

Sed ut alias causas discendi omittam, bonas mentes propter Ecclesiæ necessitatem adhortor, ut motuum doctrinam ament, quæ inde usq; ab initio generis humani in Ecclesia patrum, & deinceps floruit, & magnum usum habuit. Initium anni uox diuina in Lege constituit, & eo tempore celebrari iubet Agni esum, quo postea & uerus agnus filius Dei oblatus est. Eclipsium conditæ sunt certæ uiæ, ut agnosci posset, eam Solis Eclipsin, quæ fuit, cum filius Dei in cruce penderet, contra naturæ ordinem fieri, & singulare testimonium dare iræ Dei aduersus tantum scelus impiorum. Deniq; Ecclesia nequaquam carere potest anni ratione, quam quidem & initio monstrante Deo didicit.

Cum igitur motuum doctrina semper ornamentum singulare fuerit Ecclesiæ Dei, nos quoq; quantum nostro loco possumus, eam propter Ecclesiam tueamur:

Principum

Principum hæc cura esse debebat. Et sæpe Deus aliquorum animos excitauit, ut hæc studia iuuarent, ut recens Alphonsi liberalitas, pene extinctam hanc doctrinam reuocauit in lucem. Sed pauci Reges huius exemplum imitantur. Nec sine causa finxit antiquitas, Orionem captum amore Dianæ, id est Lunæ, & cursus eius obseruantem, necatum esse à Scorpio. Adparet enim significatum esse uel ab hoste aliquo Philosophiæ, tanquam à Scorpio, uel bellicis tumultibus honestißimum studium eius impeditum esse, quod nunc quoq; fit, tempora turbulenta & Scorpij ueneno infecta, inimica sunt ueræ Philosophiæ.

Et multi in gubernatione, ad quos cura pertinet huius doctrinæ tuendæ propter rempublicam, alij alijs de causis hanc doctrinam uel negligunt uel oderunt. Sed bonæ mentes hac ipsa in re constantiam iudicij sui declarent, Non sinant extingui hanc doctrinam, quam reipub. & Ecclesiæ necessariam esse intelligunt. Deo etiam in hac re seruiant, quia etsi astra sunt testimonium de Deo, tamen doctrina hoc ipsum testimonium fit illustrius, imo lux & noticiarum in mentibus propius ostendit Deum, & rectè in his uersibus dicitur.

ἔστω δὲ μὴν αὐτὰ πέλα θείας σιμβαπρονοίας μᾶλλον ἢ ἄστρων θεωσίν διδαχή.

Hac igitur discendi occasione utantur studiosi, & Deo gratias agant, quòd & libros, in quibus sunt doctrinæ fontes, seruauit, & nunc profert, & harum artium studia in scholis restituit. Profecto enim singulare Dei beneficium est, quod in tanta negligentia gubernatorum hæ artes non penitus iam olim amissæ sunt.

Existimo etiam in tantis tumultibus & confusionibus imperiorum aliquas inducias & quasi Halcyonia hominibus concedi, ut doceri iuuentus possit. Deo igitur uocanti nos & ad discendam uocem Euangelij, & ad alias artes Ecclesiæ utiles cognoscendas, obtemperemus. Ego diligentiam & fidem propter Deum, & propter Ecclesiæ utilitatem præstabo, etsi scitis hos nostros labores minus iuuari, quàm iustum erat, Sed Deo, Ecclesiæ, reipublicæ, studijs communibus præcipue seruire omnium bonorum ingenia decet. Incipiam autem enarrationem proximo die Iouis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IACOBVS MILICHIVS DOCTOR.

Certißimum eſt, uoluntatem Dei eſſe, ut ſint cœtus docentium & diſcentium, & hos cœtus uult Deus partem eſſe Eccleſiæ ſuæ, & domicilium diuini ſpiritus, uult in eis lucem doctrinæ & honeſta exempla conſpici, tegit eos filius Dei umbra manus ſuæ, & cuſtodit ſeptus piorum angelorum agminibus.

Hæc uera eſſe non dubitamus. Sed graſſantur etiam Diaboli hoſtes filij Dei & infirmæ Ecclesiæ, & turbare ſtudia & noſtros cœtus conantur.

Defenſionem autem præcipue à filio Dei petimus & expectamus, qui eſt inſpector cordium noſtrorum, & ſcit nos utilem doctrinam fideliter & modeſte tradere, quanquam multis magnis iniurijs adficimur, non ab uno genere Sycophantarum.

Deinde neceſſaria eſt in nobis omnibus & morum modeſtia, quam ſi qui nolunt tueri, diſcedant, nec in hac mœſticia temporum augeant nobis ærumnas.

Nuper quidam petulantes noctu acceſſerunt armati ad domum uigilum, & magnum tumultum excitarunt, Audimus etiam noctu uagari multos cum armis. Hæc fiunt nunc maiore cum periculo, quàm tranquillis temporibus. Ideo ſeuerißime

rißime mandamus, ut modesti sitis, ac si quos deprehenderimus, quorum mores & exempla pœnam merentur, faciemus nostrum officium, Deo iuuante, non negligenter.

Illud etiam considerare scholasticos uelimus, multæ fiunt passim dißipationes, ac metuendum est, si mores nostrorum non erunt tolerabiles, fore, ut etiam nos ipsi tranquillitatis causa in alia loca migremus. Si qui igitur nollent fieri talem dißipationem, ita regant mores suos, ne causam præbeant. Oramus autem filium Dei, custodem Ecclesiæ suæ, ut his regionibus pacem concedat, & studia doctrinæ & Ecclesias tueatur. Datæ pridie Ioannis Baptistæ. Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IACOBVS MILICHIVS DOCTOR.

In hesterna concione proponit nobis filius Dei in exemplo Lasari dulcißimam consolationem, ne calamitosi iudicent se abiectos esse à Deo, etiamsi ingentibus ærumnis in hac uita oppreßi sunt, et uidentur esse inutilia terræ onera. In his ipsis miserijs sciamus tamen nos Deo curæ esse, ut ipse adfirmat, se in miseris & inter

miseros habitare. Vt reuera sumus propter mi=
serias, Lasari similes, ita sumus & fide, inuoca=
tione & spe similes Lasari.

Non deterreamur nostra deformitate, quo
minus petamus, & spe non dubitante expecte=
mus auxilium Dei. Et sæpe repetamus precatio=
nem sententiæ horum uersuum congruentem.

Aeger & ulceribus squalens in corpore toto
Hîc iaceo, & pereunt tabida membra fame:
Diuitis ante fores iacuit ceu Lasarus olim,
Cui fastidito nemo ferebat opem.
Vt tamen à cunctis spretus tua cura, tuoq;
Exceptus gremio Lasarus ille fuit:
Sic æterne Deus tua me clementia seruet,
Et miserum dextræ protegat umbra tuæ.

Ita uir honestus Georgius Croll, natus in fa=
milia honesta & ueteri, qui in uera inuocatione
& fiducia domini nostri Iesu Christi Deum co=
luit, ægrotans se quotidie Deo commendauit, ac
dolores suos promissione diuina lenijt, &, ut La=
sarus, filij Dei et totius Ecclesiæ cœlestis consue=
tudinem expetiuit & expectauit, & in inuoca=
tione filij Dei ex hac uita decessit. Hortamur igi=
tur auditores nostros, ut ad eius funus conueni=
ant ante

ant ante ædes consulis Hieronymi Krappi, quod fiet hodie hora duodecima.

Tales congressus in Ecclesia Deus semper esse uult, & in eis uult nos coniungere uota, gemitus, precationes, uult nos cogitare & causas miseriarum generis humani, & de filio mediatore, qui in hac horribili confusione hominum & colligit & seruat æternam Ecclesiam, & uult nobis inuocantibus lenire calamitates. Hunc filium Dei dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, ac sedentem ad dexteram æterni patris, ut dona det hominibus, oremus, ut nos regat, & inter nos seruet Ecclesiam, in omni æternitate Deum celebraturam. Calendis Iulij. Anno 1549.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI ERASMVS REINHOLDVS SALVELDENSIS.

SAepe in hac Academia dulcissimi uersus Samiei nostri Stigelij repetiti sunt:

Vtq; alios alij de Relligione docerent,
Contiguas pietas iussit habere domos.

Certissimum est enim, hanc hominum naturam

ideo consociatam, & multis mirandis uinculis, generatione, educatione, rerum communicatione, imperijs, coniunctam esse, ut alij alios de Deo & alijs rebus bonis doceant. Et doctrina præcipuum uitæ humanæ lumen est. Itaq; præcipuum opus in genere humano sustinent, quicunq; doctrinam Ecclesiæ necessariam, & linguas & artes, quæ illustrant scripta Prophetica & Apostolica, tradunt. Talibus laboribus fauere bonas mentes decet, quos quidem Deo curæ esse non dubitamus, qui cum non frustra condiderit genus humanum, sed semper inde colligat Ecclesiam, seruat etiam cœtus aliquos docentium & discentium, Et ut seruet, ac regat, toto eum pectore oro.

Hæc de nostri ordinis officio, & de uoluntate Dei sæpe cogitanda sunt, ut literas, Doctores, scholasticas operas, hos cœtus, & ipsa scholarum tecta & hospitia magis amemus. Ac nunc præsertim opus est accendi & ali amorem doctrinæ in animis, cum in his dissipationibus studia literarum minus coluntur.

Magnum omnino ornamentum est Ecclesiæ, cognitio linguarum & artium, quas Philosophia continet, quæ ut non extinguatur, necesse est cœtus aliquos esse, in quibus alij alias doctri-

narum

narum partes tradant. Hos cœtus, quibus possumus officijs foucamus, eaq; in re Deo, Ecclesiæ, & uniuersæ posteritati seruiamus.

Nos igitur etsi mediocres difficultates sustinemus, tamen has uelut excubias, in quas ad docendum collocati sumus, non relinquendas esse duximus. Sedulitatis nostræ testes esse boni omnes possunt. Pertinet autem ad operas scholasticas exploratio eruditionis auditorum, quæ fit, cum doctrinæ testimonia tribuuntur.

Instituam igitur Examen post duas septimanas. Interea ad me accedant, ac apud me nomina edant, petituri gradum Magisterij.

Etsi autem omnibus temporibus necessaria est placida iudiciorum collatio, tamen hoc tempore eo magis expetenda est, quia remedium est seu μαλακτικὸν harum ærumnarum, in quibus uersari Ecclesiam & nos ipsos sentimus. Cumq; res ipsa ostendat, studijs harum regionum profuisse hanc doctrinæ explorationem, & sententiarum collationem, tueamur hunc morem studiosius. Profecto solitudo, in qua iudiciorum collatio esse non potest, & doctrinæ tenebras adfert, & quasi dissonas uoces parit, etiam

cum non prorſus negliguntur ſtudia literarum. Nec ſolum de cæteris artibus, ſed etiam de his noſtris ſtudijs præclarè dictum eſſe ab Euripide iudicemus, ἡ ὁμιλία ἔπεκε τεχνὰς.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IACOBVS MILICHIVS DOCTOR.

SVnt omnino uerißima cœleſtia dicta, quæ affirmant filium Dei, *& caſtos angelos, cuſtodes eſſe uitæ noſtræ, qualia hæc ſunt:* Omnes *capilli capitis ueſtri numerati ſunt. Item:* Mandauit *angelis ſuis de te, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis. Sed uult ille cuſtos noſter, filius* Dei, *ne petulanter à uijs, quas* Deus *ordinauit, diſcedamus. Non uult te uolitare in aëre, aut tentare aquarum gurgites. Aliæ ſunt uiæ noſtrorum corporum. Et* Paulus *inquit:* Accuratè *ambulate, non ut fatui. Et ſcriptum eſt:* Qui *amat periculum, peribit in eo.*

Cum igitur Deus, *etſi cuſtodit uitam noſtram, uelit tamen aliquam noſtram diligentiam eſſe, & ob eam cauſam, reliquerit in homine liberum imperium regendi* τὴν προαιρετικὴν κίνησιν, *obteſtamur*

obtestamur scholasticos, ut Deo hanc obedientiam præstent, ne temere & petulanter accersant sibi pericula, & seuerè prohibemus natationes in Albi & stagnis, quarum exempla infœlicia multa memimimus, quæ conspici uult Deus, ut alij sint in tuenda uita diligentiores.

Etsi autem acuere curam debebat metus mortis, tamen considerent bonæ mentes etiam alias causas, propter quas uitanda sunt hæc pericula.

Primum offendit Deum petulantia, cum uolentes consciscunt sibi mortem, ut αὐτόχειρες, qui sese manu sua interficiunt.

Deinde fiunt miserorum parentum parricidæ, qui mœrore & luctu contabescunt.

Offendit Deum & contumacia aduersus mandata Magistratus.

Horum delictorum cogitatione expauescere bonas mentes decet, & hoc metu coherceri, ne Deum offendant, & ne parentibus, ingenti mœrore sauciatis, causa sint mortis.

Sint adolescentes & eo cautiores, quia certum est, Diabolos insidiari ipsorum uitæ, & circa flumina & stagna uolitare, intentos in occasionem, sicut in ipso Albi, multi uiderunt noctu

ſpectra, uelut lychnos ardentes, longo ſpatio uebi & reuehi, Et poſſemus alia triſtia exempla recitare.

Propoſuimus autem hoc edictum pio & paterno conſilio, quia maximè optamus uos ſaluos & incolumes uiuere, & fieri organa ſalutaria nobis & alijs. Ideo ſeuere præcipimus, ut huic noſtro edicto obtemperetis, & ijs cauſis, quas recitauimus, ſerio moueamini. Die 15. Iulij. Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IACOBVS MILICHIVS DOCTOR.

LEctio Euangelicæ hiſtoriæ, quam hodie proponit Eccleſia, teſtatur, etiam inopi agmini, quod filium Dei concionantem ſequitur, mirabili modo victum præberi ab ipſo filio Dei cuſtode ſui cœtus. Cui etiam gratias agimus, quòd hactenus magna clementia pœnas mitigauit, & nunc meſſem largam præbuit.

Vicißim igitur œconomus pauperum ſcholaſticorum rationem habiturus eſt, & dabit cibum ſingulis ſeptimanis quaternis großis, ita cum anne plus dederint, reliquum in potum ſalubriorem conferre poterunt.

Pro

Pro hac benignitate œconomi, uicissim petimus, ut Scholastici, sicut iustos & gratos hospites decet, modesti sint, & in soluendo fideles. Quia scitis uere scriptum esse de iusticia conseruatrice societatis humanæ, τῶ ἀνθρωποιῶ ἀνάλογον, συμμιῶς ἡ πόλις. Die 4. Augusti. Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IACOBVS MILICHIVS DOCTOR.

CONsolatio est dulcissima uoce filij Dei tradita, quæ adfirmat sine ulla dubitatione Deo curæ esse infantes in Ecclesia: Non est uoluntas patris cœlestis, ut pereat unus de paruulis istis. Hæc sententia pijs parentibus in morte infantum lenit dolorem.

Sed ipsis etiam adolescentibus, qui puritatem conscientiæ adhuc retinent, semper in conspectu esse debet, ut certissime statuant, Deum ipsum custodem esse uitæ ipsorum, propter ipsos dari victum, hospitia, politias, in quibus educari & erudiri possint.

Commendent igitur suam uitam Deo, & petant ab eo omnia bona uitæ necessaria, doctrinam etiam de Deo libenter discant, commo-

nefacti hac ipsa uoce. Non est uoluntas patris cœlestis, ut pereat unus de paruulis istis. Item ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.

Cum autem hodie ex hac uita in cœlestem euocatus ſit filius uiri clariſſimi D. Laurentij Lindemanni Doctoris Iuris, hortamur ſcholaſticos, ut ad funus hora quarta conueniant, & harum ſententiarum cogitatione, quas recitaui ad precationem ſe excitent.

Scitis propter multas grauiſſimas cauſas pias funerum ceremonias retinendas eſſe, ut de cauſis mortis & miſeriarum humanarum, & de filio Dei liberatore, de futuro iudicio cogitemus.

Pium eſt etiam oſtendere, nos affici honeſtorum luctu. Eſt autem parentum huius infantis uirtus digna laude. Et pater Doctoris Laurentij Caſpar Lindeman Medicæ artis Doctor, excelluit eruditione & omnibus uirtutibus, & uitæ, multorum hic opem tulit. Datæ die 7. Auguſti. Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE
IACOBVS MILICHIVS D.

Magnum

ANNO 1549.

MAgnum & inenarrabile miraculum est, generatio hominis, & manifestum testimonium præsentiæ Dei in natura, quod ostendit, non casu nasci homines, sed totum hoc opus regi diuino consilio.

Fœtui nascenti in utero mox alimentum conditum est, editur certo tempore, iuncturæ in osse sacro patefaciunt meatus, quæ nulla humana ope aperiri aut claudi possunt. Inseritur isti massæ diuinitus mens, secum adferens lucem de Deo & initijs artium, quæ uitam regunt, & uerè sunt radij mentis diuinæ. Ideo sæpe cogitanda sunt ortus nostri miracula, & agnoscenda Dei præsentia, & Deus celebrandus est, & parentes amandi, & uenerandi sunt, qui sunt organa diuini operis.

In hac cogitatione etiam matrum pericula, labores & σοργὴν considcremus, & si quæ labore pariendi oppressæ moriuntur, doleamus, & deploremus communes generis humani miserias & calamitates: Hæc præcipue cogitanda sunt in talium matrum funeribus.

Fiet autem hodie hora quarta funus honestæ & piæ coniugi Viti Creutzeri, Typographi uiri integri

integri & modesti, quæ enixa tredecim natos, iam in hac sua militia in partu quartodecimo extincta est. Sed mens fuit erecta fide & inuocatione filij Dei.

Volumus igitur conuenire auditores nostros ad funus, ut hoc ipso exemplo commonefacti cogitent, quanto periculo ipsi in lucem editi sint, & agnoscant Deum generationi adesse, et uitam ab eo dari & ali. Sicut scriptum est, ϕν ἀυτῶ ζῶμεν, ἢ κινδυνευθα, ἢ ἐσμεν.

Matrum etiam & sororum & filiarum pericula Deo commendent, & uera fide statuant, Deum custodem esse uitæ, & ab eo gubernationem petant, & ei tanquam conditori & seruatori reuerenter obtemperent. Datæ postridie Laurentij. Anno 1549.

PHILIPPVS MELANTHON.

In Ecclesia Brandeburgensi desiderantur Sacerdotes, qui publice doceant et administrent Sacramenta. Etsi autem propter luem ibi grassantem consentaneum est, periculo deterreri etiam bonos uiros, ne ibi seruire uelint: Tamen publice significandum duximus, nos rogatos esse, ut si qui inuenirentur tali robore animi, ut non

recusarent

recusarent eò proficisci, literas eis ad Senatum daremus. Et speramus tales aliquos esse, qui necessitatem Ecclesiæ anteferent suo periculo.

Si quis igitur proficisci uolet, petat à Reuerendo. D. Pastore Ecclesiæ nostræ & à me literas, ut senatui nostrum testimonium adferat.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. ERASMVS REINHOLD.

QVod faustum & fœlix sit, hodie hora duodecima instituetur Examen publicum, in quo specimen eruditionis præbebunt honesti & docti uiri, qui nunc gradum Magisterij Philosophici petunt. Hortamur igitur Collegas nostros, & alios, qui colunt Philosophica studia, ut ad hunc nostrum congressum amanter accedant, eoq; officio ostendant, se fauere & honori horum, qui gradum petunt, & ipsis Philosophiæ studijs, præsertim cum nihil in uita humana dulcius sit talibus colloquijs de doctrina, quæ sunt imago æternæ illius Academiæ, in qua audiemus doctorem filium Dei, & cum Angelis, Prophetis, & Apostolis de mirandis Dei operibus suauissime disputabimus

bimus. Ipſa etiam frequentia in talibus congreſſibus, iunioribus oſtendat ordinis noſtri coniunctionem, & ſit exemplo ipſis, ad amandam conſociationem & communem concordiam, quæ Eccleſiæ Dei præſertim hoc tempore, maxime neceſſaria eſt.

ὦ χρυσὸς ἀγλαός
οὐ δ' ἀδάμας
οὕτως ἀσχάπτα πρὸς ὄψιμ.
ὡς ἀγαθῶμ ἀνδρῶμ
ξυμφράδμωμ νόησις.

Scriptum eſt in ueteri Poëmate, Ac profectò uerum eſt, nihil pulchrius eruditorum conſenſu & amicicia, quæ quidem & ſpeciem Eccleſiæ honeſtiorem efficit, & omnibus officijs alenda eſt. Notißima ſunt enim ſeuerißima præcepta, quale hoc eſt, ὁ θεὸς ἀγάπη ὅστι, καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἐν τῷ θεῷ μένει, καὶ ὁ θεὸς ἐν αὐτῷ. Quid dici nobis ad conſolationem maius poteſt, quàm uerum & ardentem in Deo amorem eſſe erga nos, ut hic adfirmat, cum inquit, Deus eſt dilectio? Deinde quàm ſeuere additum eſt præceptum, Qui in dilectione manet, in Deo manet, id eſt, qui ſtudia, conſilia, & labores refert, non ad faciendas diſſipationes, ſed

coniun-

coniungendas uoluntates quam plurimorum, & ad communem consensum & concordiam tuendam. Id officium & nobis curæ sit in magnis & paruis rebus. Nihil enim paruum est, nihil contemne, ut Medici monent. Quare & nunc libenter conueniamus, & amanter de rebus optimis colloquamur, Imo & inter disserendum uota ad Deum misceamus, ne doctrinæ studia inter nos extingui sinat. Die Augusti 16. Anno 1549.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVITEBERGENSI M. ERASMVS REINHOLD.

GRatias agimus tibi Deus æterne Pater domini nostri Iesu Christi fons sapientiæ, quòd immensa bonitate in his regionibus seruas Ecclesiam, teq; oramus ardentibus uotis, ne tuæ doctrinæ lucem, & aliarum artium, quæ Ecclesiæ utiles sunt, extingui sinas.

Hæc uota etiam in publicis congressibus nostris repetenda sunt. Ideo petimus, ut omnes Doctores, Magistri, & auditores die Augusti uicesimo conueniant ad renunciationem gradus Ma-

gisterij decernendi his, quorum nomina infrà scripta sunt, & ut testes sint huius renunciationis, & ut simul nobiscum precentur Deum, ut Ecclesias, doctrinæ studia, hospitia Ecclesiarum, & disciplinam clementer in his regionibus, & in hoc oppido tueatur.

Pertinent autem ad Ecclesiam & hæc ipsa linguarum & Philosophiæ studia, quorum propagatio nostro ordini commendata est. Manifestum est enim sine linguarum cognitione monumenta Prophetica & Apostolica non posse legi & intelligi. Neo raro fit, ut ignari linguarum, in interpretatione perinde aperire dicta Prophetica & Apostolica conentur, uelut, ἐς τὰ ξύλα κλείθρα χίζειν, τῇ δὲ ἀξίνῃ τὴν θύραν ἀνοίγειν πειρώμενοι. Ac dolendum est, tetros errores & contumelioſos aduersus Deum multis iam seculis hæsisse in Ecclesia, qui à linguarum & phrasis inscitia orti sunt.

Deinde multi & magni usus sunt uniuersæ Philosophiæ, cum in hac tota uitæ gubernatione, tum uerò etiam in explicatione dogmatum Ecclesiæ. Quare amanda & iuuanda sunt hæc literarum studia, Nec dubitemus nos, labores nostros, quos sustinemus in eorum propagatione, Deo placere, cui curæ erit, ne sint irriti. Nec

fran-

frangamur animis propterea, quòd aliqui de his studijs malignè sentiunt, sed ueras discendi causas cogitemus, & in doctrina custodienda fidem & diligentiam Deo, Ecclesiæ, & generi humano debitam præstemus. Laudanda est igitur uoluntas horum, quibus nunc testimonium eruditionis tribuemus, deinde & uerè hoc prædicare possumus, in hoc numero, Dei beneficio, plæroſq; egregie eruditos esse, quos speramus Ecclesiæ & reipublicæ magno usui futuros esse, & ut faciat eos Deus σκεύη ἐλέους, salutaria ipsis & alijs, toto pectore optamus. Die Augu. 18. Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE
IACOBVS MILICHIVS D.

NEquaquam dubium est filium Dei, dominum nostrum Iesum Christũ crucifixum pro nobis, & resuscitatum, custodem esse Ecclesiæ suæ, & tueri eam contra furores Diaboli impellentis mala ingenia ad faciendam ἀκαταστασίαν, & horrendas dissipationes generis humani. Adfirmat igitur Paulus adfuisse filium Dei Israëlitis in deserto. Hunc oramus ardentibus uotis, ut & huius oppidi Ecclesiam, & cœtus discentium, & hos nidulos protegat. Mandat autem, ut & Magistratus sint

legum ministri, & ut populus audiat leges, & disciplinæ frenos patiatur, quos qui pati non uolunt, ab omni ciuili societate excludendi sunt.

Est autem in hoc oppido adolescens N. N. qui propter petulantiam & antea ex Academia relegatus est. Hunc, quia rursus excitat tumultus, hoc decreto publicè proposito, & relegamus ex Acadamia, & relegatum esse, ut absit integrum triennium, declaramus, ut & Vrbani Magistratus tuendæ pacis causa faciant ea, quæ sui sunt officij. Mandamus etiam omnibus, qui ad nostram iurisdictionem pertinent, ne se adiungant huic adolescenti N. N. mouenti tumultus, aut conuocanti alios ad tumultuandum.

Scitis publicis legibus illa seditiosa classica, & concursus tumultuantium seuerissimè prohiberi & puniri. Ideo & legum uoce, & nostris edictis commonefacti, modestiam & tranquillitatem necessariam communi societati amate. Die 7. Augusti. Anno 1549.

DECANVS COLLEGII MEDICORVM LECTORI S. D.

Multa

Multa sunt testimonia, quæ ostendunt, semper artem Medicam præcipuo honore fuisse apud homines bene institutos. Et narrant historiæ de Alexandro magno, cum in ipsius exercitu sæua pestilentia magnam faceret uastitatem, ipsum regem inquisiuisse magno studio remedia, tandemq; ei diuinitus in somnio monstratam herbam fuisse, qua seruaret milites.

Declarant etiam appellationes plurimarum herbarum, olim principes hanc curam se non indignam iudicasse, ut remedia morborum & ipsi quærerent, & alijs exhiberent, ut adhuc monent uocabula Centaureæ, Achillæi, Lysimachiæ, Gentianæ, & uidetur usus terræ Lemniæ primum à Philoctete duce animaduersus esse, cum in Lemno relictus ab exercitu græco, sæuis ulceribus ex ueneno natis cruciaretur.

Facile autem apparet, non propter usum tantum eam dignitatem fuisse huius artis, sed etiam propter multiplicem naturæ considerationem, cui & causæ morborum & remediorum descriptiones pulcherrimam occasionem præbent. Vt enim ingenioſos & sapientes agricolas delectat agricultura, non propter fructum tan-

tum, quem percipiunt ex terra, sed etiam propter ipsius naturæ consyderationem, quæ eos in terræ & rerum nascentium inspectione ita capit, ut in ipsa cultura, uideantur uersari sibi tanquam in iucundissimo studio & locupleti schola, quæ undique etiam diuinitatis uestigia exhibeat. Sic generosas mentes in obseruatione remediorum, ipsa admiratio capit, etiamsi non tanta utilitas accedat, quantam quotidiana necessitas flagitat, & quantam Medicinæ usus quotidie singulis fere præstat.

Multo autem magis nos in scholis pulcherrimam artem mirari à primis annis decet, & uenerari cum ipsum studium, propter locupletissimam doctrinam, quæ in inquisitione multarum rerum in tota natura & Deum monstrat, & nos in admirationem rerum cognitione dignissimarum deducit, tum etiam omnes illos amare conuenit, qui suis laboribus salutarem doctrinam retinent, & eius usu multorum uitam & ualetudinem à tristissimis morbis, & multis alijs pestibus tuentur & defendunt.

Cum autem hoc tempore uir bonus & doctus Sebastianus Creusner Bolislauiensis, ita in hoc genere studij sit uersatus & exercitatus, ut meretur eruditorum iudicio honestissimum te-

stimonium

stimonium doctrinæ, fidei & artis, decet homines literatos ipsius instituto & honori plurimum fauere.

Cum igitur decreuerimus ad proximum diem Martis, Deo iuuante, huic Sebastiano conferre gradum Doctoris Medicinæ, rogamus & hortamur Doctores, Magistros & scholasticos Academiæ, ut honoris causa dignentur interesse renunciationi gradus huius uiri, & ut commendent auspicia professionis in hoc Sebastiano pijs precibus Deo.

Simul autem coniunctis uotis in publico loco petamus, ut Deus seruet & tueatur apud nos studia optimarum rerum, quæ ad ipsius gloriam & humanæ uitæ necessitatem pertinent. Id cum sine tranquillitate in repub. fieri non possit, Oro te Deus æterne pater Domini nostri Iesu Christi, ut concedas studijs pacem & tranquillitatem firmam & salutarem. Datum Vuitteberg æ. 5. Calendas Septembris. Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE
IACOBVS MILICHIVS D.

Colamus pia officia, & ut nos ipsos de uoluntate Dei cõmonefaciamus, & ut exem

pia nostra inuitent alios, & ut ostendamus, nos dolore amicorũ adfici, quod ipsum etiam est honestum officium. Cum igitur honesta & pia matrona uiri honesti & officiosi Mathiæ Carpophori coniunx, ex hac mortali uita inter uota & confessionem & inuocationem filij Dei decesserit, hortamur Doctores, Magistros & auditores, ut ad funus hora quarta conueniant. Sciunt omnes, Mathiam fauere scholastico ordini, nec rudem esse literarum, et natura & arte musicum esse, ac multos labores utiles uniuersæ ciuitati & Academiæ sustinere, & ciuem esse modestum & beneficum. Has uirtutes non agnoscere, profecto non est officiosum. Quare ut conspici possit, nos uirtutem & intelligere & amare, beneuolentiam nostram erga ipsum etiam hoc pio officio declaremus. Die 21. Augusti. Anno 1549.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI ERASMVS REINHOLDVS SALVELDENSIS.

ETiam lectio Epistolæ Paulinæ, quæ hodie publicè recitatur, ut mos est Ecclesiæ, illustre testimonium est, studia linguarum & ueræ

uerae Philosophiæ necessaria esse ad explicationem monumentorum, in quibus immensa bonitate DEVS extare uoluit doctrinam de suo filio, & de reconciliatione. Nam ut multa alia nunc prætream, Paulus ibi discernit promißionem & Legem: Et temporum collatione ostendit, promissionem reconciliationis non pendere ex conditione Legis, ac narrat, Legem promulgatam esse à Moyse, postquam promißio Abrahæ tradita est anno 430. Hîc considerent studiosi, quàm necessaria sit erudita distinctio Legis & promissionis, quam explicari non posse, nisi à recte institutis, manifestum est. Nam in Monachorum doctrina certum est, non de Troiæ, aut Ierosolymæ conflagratione magis dici posse, παντα μίαν κόνιν, quàm de interpretatione, quam ipsi Paulo adfingunt.

Deinde Annorum ratio quomodo rectè ostendi poterit, sine nostra doctrina? Et in illo exemplo adparet, singularem diligentiam fuisse in Ecclesia eius temporis, obseruandi tempora omnium patefactionum diuinarum, quæ profectò in Ecclesia ordinè considerari necesse est.

Execranda est igitur negligentia gubernatorum, qui hæc nostra studia non adiuuant, nec

curant illustrari doctrinam in Ecclesia. Est autem erudita computatio exordienda à prima vocatione Abrahæ, qua eductus est ex Mesopotamia. Inde usq; ad exitum posteritatis ex Aegypto, anni sunt 430. Interea quàm uariæ uices, quantæ ærumnæ fuerint Ecclesiæ, cogitemus, in quibus tamen seruatam esse DEI præsentia, cernimus. Hæc considerantes simul etiam hoc cogitemus, in hac tristi senecta mundi nobis filium Dei custodem Ecclesiæ non defuturum esse, cum quidem ita dixerit, Ego creaui uos, ego uos etiam in senecta gestabo. Hac consolatione nos sustentemus, nec frangamur animis, ut doctrinæ studia abijciamus. Etiamsi sumus imbecilles & miseri, tamen & auditores sumus filij DEI, & συμφοιτήται καὶ συμμαθηταὶ illorum summorum uirorum, Abrahæ, Isaac, Iacob, Ioseph, Moysi, Pauli. Ac certissimum est, ad nos quoq; pertinere diuinam promissionem Abrahæ traditam. Iam situs illorum locorum Assyriæ, Palestinæ, Aegypti, & tempora quomodo scict Lector, sine nostris literis?

Ideo uos propter DEVM & propter Ecclesiam obtestamur, ut studia Philosophica ametis, ad quorum conseruationem uariæ operæ scholasticæ conducunt. Cum autem nunc petiuerint

quidam

quidam eruditionis testimonia, qui nuper, cum eorum opinione citius instituta essent examina, adesse nõ potuerunt, noluimus eis decesse nostrum officium. Id publicè significandum duxi, ut si qui alij uolent testimonia perere, se istis adiungere possint. Cum autem necesse sit prius nomina dare Decano, ut graui consilio constitutum est, accedant ad me intra octiduum. Die 22. Septemb.

ERASMVS REINHOLDVS SALVELDENSIS.

Libenter repetimus ueterem ætatum mundi distributionem, ut memoriam sententiæ tam insignis transmittamus ad posteros: Vt in homine tres sunt uires, ἡγεμονικόν, θυμικόν καὶ ἐπιθυμητικόν, ita uetustas dixit, Initio in genere humano regnasse ἡγεμονικόν. Prima enim ætas inuenit artes, & homines publice & priuatim sapientius & moderatius regebantur. Patres longæui motus cœlestes, causas Eclipsium, metas siderum animaduerterunt, & iunioribus auidè discentibus monstrarunt, uires etiam plantarum explorauerunt. Et in illa terræ uberitate nondum de diuitijs magna certamina erant.

Ac fuisse

Ac fuisse excellentes artifices, arca Nohæ, & deinde Babylonicæ turris extructio ostendunt, quorum operum idæas nemo, nisi excellens Geometer præformare potuit.

Secuta est bellatrix ætas θυμικὴ, *cum robore & armis gentes domitæ sunt, quæ ætas uiros etiam bellicosos genuit. Coætanei fuerunt Samson & Hercules, et deinde Dauid & Achilles, & similes alij multi.*

Post Octauij Augusti ætatem secuta est mundi senecta languida & delira, in qua iam regnat ἐπιθυμητικὸν, *ut senes fiunt auidiores otij & uoluptatum. Ac res ostendit, molliora et segniora corpora & ingenia nostrorum hominum nunc esse, quàm fuerunt auorum, & superiorum parentum nostrorum.*

Nec prorsus tamen extingui DEVS *lucem doctrinæ, ac omne uirtutis studium sinit, sed seruat in hac quamuis languefacta natura aliquas & artium & Ecclesiæ reliquias, quæ quidem magis in ijs conseruantur, qui & se ipsi ad discendum excitant, & non furenter excutiunt frenos disciplinæ.*

Ne igitur doctrina de Anni ratione, necessaria

Ecclesiæ

Ecclesiæ & uitæ intercat, discendæ sunt artes, ex quibus motuum doctrinæ extructa est, Arithmetica & Geometria, quarū quidem et alij multi usus sunt, & fontes cognoscendi sunt. Ideo sæpe repetimus Euclidem, Et cum nitide iam editi sint sex libri Euclidis, plures & paruo precio exempla emere possunt. Quare enarrationem rursus inchoabo, & in addendis demonstrationibus animitar, ut facilitate & perspicuitate uoluntates iuniorum inuitatæ, laborem discendi perferre non recusent. Inchoabo autem die proxima Iouis, hora secunda, ac tum simul prælectionum nostrarum distributionem auditoribus indicabo.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IACOBVS MILICHIVS ARTIS MEDICAE DOCTOR.

DEus παρρησιογνώσιας scit, nos præcipuè ob hanc causam uoluisse hanc Academiam conseruari, quia cum antea mediocriter profuisset studijs omnium doctrinarum coniunctio collegarum nostrorum, dißipari hunc cœtum noluimus: Nunc ad alia incommoda accedit

xedit nobis & hic dolor, quòd multi in tantâ mœsticia temporũ in hoc oppido ipso nimis pe= tulantes sunt. Quæstor illustrißimi principis Electoris Ducis Saxoniæ, narrat, & in suas, et in aliorum fenestras conijci saxa. Hanc petulantiam scitis legibus diuinis & humanis prohibitam es= se. Et exemplum est inhonestum & periculosum omnibus. Et metuendum est, ne irritati superio= res magistratus, iusta seueritate aliquando utan= tur. Quare uos de publicis legibus admonemus, & hoc edicto simul mandamus, ne tumultus ex= citetis quoquo modo, uel conijciendis lapidibus, uel alia uiolentiæ specie. Si harum doctrinarum studia, quæ fouere cupimus, uobis & reipub. or= namento esse iudicatis, obtestamur uos propter ipsam dignitatem doctrinarum, & propter De= um, ne tranquillitatem turbetis. Datæ die Sexto Octobris. Anno 1549.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. ERASMVS REINHOLDVS.

QVod Faustum ac fœlix sit, die 15. Octo= bris proximo decernetur gradus & honos Magisterij philosophici uiris ho= nestis

neſtis et eruditis octo, quorum nomina infrà adſcripta ſunt.

Cum autem hæc teſtimonia deceat eſſe publica, & hi ipſi congreſſus ad diſciplinam pertineant, & bonas mentes delectent, petimus, ut ad eam renunciationem gradus, conueniant Doctores, Magiſtri, & auditores.

Amemus hæc ſcholaſtica ſtudia & exercitia, & hos ipſos congreſſus, in quibus multæ utiles commonefactiones de doctrina audiuntur, & cum accedit precatio, uelut umbra ſunt cœleſtis Eccleſiæ, cuius hæc erit præcipua uoluptas, in aſſiduis congreſſibus audire filium Dei, enarrantem ſapientiam diuinam, et ideam monſtrantem totius opificij mundi, cur ſingulæ in natura partes hoc modo conditæ ſint, & iam in agmine Prophetarum, iam in cœtu Apoſtolorum ſciſcitari multa de ſapientia DEI. Ad hanc æternam ſcholam certe neceſſe eſt nos in hac uita præparari, ſicut ſcriptum eſt, quos elegit hos & uocauit. Hoc ordine Deus ſibi colligit æternam Eccleſiam, uult in hac mortali uita doctrinam inchoari. Ideo amanda & colenda ſunt doctrinæ ſtudia, quæ ut regat, & tueatur filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, crucifixus pro nobis & reſuſcitatus, cuſtos Eccleſiæ ſuæ, toto cum pectore oro. 17. Octobris.

Rector

ANNO 1549.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IACOBVS MILICHIVS ARTIS MEDICAE DOCTOR.

VOx est Irenæi uera & plena eruditionis, & in magnis periculis consolationem præcipuam ostendens Ecclesiæ, uidelicet: SEMPER ADFVIT FILIVS DEI GENERI HVMANO, id est, semper fuit custos, est & umbraculum sui cœtus, qui doctrinam Euangelij sonat, & clementer aliqua seruat docentium & discentium agmina. Hic sedet ad gubernaculum in Arca Nohæ, & illos suos Argonautas protegit. Nunc quoq; in seuissimis temporibus harum regionum Ecclesias seruat. Itaq; & gratias ei agamus, seruanti Ecclesias, & in ijs hæc nostra studia, & oremus cum, ut deinceps nos seruet & regat, nec sinat pia studia Ecclesiæ utilia, deleri. Hæc uota & sæpe aliàs, & præcipue in electione noui Rectoris repetenda sunt.

Cum igitur cras, quod faustum & fœlix sit, eligendus sit de more Academiæ Rector, mandamus, ut ad renunctiationem Rectoris hora Octaua in auditorio maximo, scholastici conueniant, & simul

& simul pia uota nobiscum faciant ad uerum Rectorem piorum studiorum, filium DEI, ut hanc Academiam seruet & gubernet. Sciamus autem hunc Rectorem filium Dei præcipere etiam, ut mores sint modesti. Quare ut ostendamus nos uerè optare, ut ipse hunc nostram Cymbam regat, & in ea maneat, sit inuocatio ardentior, & mores maiori cura regantur. Die 17. Octobris.

EXcellens Dei donum est, & diuinitus traditum hominum naturæ propter ingentes utilitates, quòd animaduerso solis aliorumq; siderum rato ac perpetuo circuitu, anni certa ratio constituta est, quæ & in uniuersa uita politica maximarum commoditatum causa est, & præcipue nobis uiuentibus in ecclesia Dei, adeo necessaria est, ut nec initia mundi, nec ordo temporum, quibus se Deus patefecit, sine ea cogitari possit, quem uult Deus à nobis sæpe considerari, ut quæ prior sit, quæ posterior doctrina religionis, sciamus.

Deinde & ipsa anni contemplatio, seiunctis utilitatibus, digna est admiratione propter Deum autorem, qui ita condidit solis corpus, ut sit fons luminis in hoc toto domicilio creaturarum,

rum, nec tantum ostendat res, sed etiam omnia nascentia calore foueat, & circuitu suo intra certas metas constituto, ordinem & memoriam temporum inde usq; à condito genere humano tueatur. Hæc omnia cum sapientissime ordinata sint à Deo, & Deum architectum monstrent, profecto cõsideratione digna sunt. Cum in Genesi manifeste dicatur, lumina hæc condita esse, ut discernant dies, tempora, & annos. Videmus nos etiam diuino testimonio admoneri, ut omni studio istam doctrinam, quæ anni rationem monstrat, colamus.

Decreui igitur tradere rationem componendi Ephemerides annuas, quales sunt, quæ parietibus affiguntur, ad quotidianum usum, quæ calendaria uocantur. In hoc exercitio nobis multa fient in doctrina motuum magis perspicua, & uti tabulis, quæ omnium planetarum motus continent, discetis. Libellus quem dictabo, à Stoffl ero, qui plurimum illustrauit doctrinam motuum cœlestium, compositus est, ideo studiosos ad eius libelli lectionem inuito, qui me proximo die Mercurij hora 9. conueniant. Die 21. Octobris.

Dauid Chytræus.

VIsitatum est in hac Academia, repeti enarrationem libri secundi Plinij, & quia

elementa

elementa quædam continet doctrinæ de cœlestium corporum ordine & motibus,& de elementis:Et interpreti occasionem præbet multa utilia addendi. Quanquam autem res eædem alibi in ipsorum artium libris traduntur, tamen homines latinæ linguæ studiosos, ignorare Plinium, turpe est, Qui hac in re præcipue bene meritus est de lingua latina, quòd uocabula multarum rerum, plantarum & animantium,& alia posteritati conseruauit. Ac sine eo latina lingua nunc in rerum uocabulis magna ex parte muta esset. Multa etiam ueterum dicta citat, quæ alibi non extant. Ideo & utilis est & grata studiosis Plinij lectio. Ac nos quidem meminimus ante enarrationem, flagrasse nos magna auiditate cognoscendi, quid diceret, Vtinam nunc similis esset auiditas in iuuenibus, cum explicatio perspicua, plana & facilis, proponitur. Nec dubito, omnes, qui audiuerunt Plinij enarrationem, fateri, se ex ea magnam uoluptatem & utilitatem cœpisse. Verum est, non omnes materias similiter dignas esse cognitione. Sed tamen maior pars huius secundi libri & utilis & iucunda est.

Ideo adhortor scholasticos, ut studiose audiant hanc interpretationem. Multa de fatalibus mutationibus rerum humanarum, & de

earum causis & signis ibi dicuntur, quarum consideratio hoc tempore aliquo modo prodest, uel ad ferendos dolores, uel ad cauenda aliqua mala.

Ipsa etiam naturæ & ordinis aspectio, testimonium est prouidentiæ diuinæ. Vtilissimum est autem, quam plurima testimonia diuinæ prouidentiæ in natura sæpe contemplari. Inchoabo autem enarrationem, Deo iuuante, die proximo 29. Octobris.

Sebastianus Theodoricus.

DECANVS COLLEGII MEDICORVM IACOBVS MILICHIVS DOCTOR.

QVàm sanctum et pium doctrinæ uitæq; genus colant hi, qui in rerum natura inuestiganda ac cognoscenda uersantur, & ægrotantibus corporibus inde salutaria uitæ remedia depromunt, cũ multa alia testimonia declarant, tum uerò æternus Deus conditor Mnudi ac naturæ ipse ostendit. Qui ut rerum à se conditarum uim, atq; hæc uitæ præsidia hominum generi pro sua immensa bonitate ac paterno amore indicauit, ita donum curationis, ac Medicinam,

Medicinam, inde usq; ab initio cum sacratißimi uerbi sui ministerio coniunctã esse uoluit. Nempe ut ijdem essent & corporis medici, & animæ, hominesq; ab his præsentis uitæ auxilijs ad cognoscendum opificem atq; autorem æternæ uitæ perducerentur.

Ideo post Diluuium uinum ostendit Nohæ, ut debilitatæ iam naturæ, ac pluribus quàm antea morbis, obnoxiæ, id salutare auxiliũ esset. Abrahæ Balsami usum indicauit, cuius ope ille haud dubie multos mortales à uarijs & grauißimis morbis liberauit. Curat Regem suum Esaias propheta, & non tam à morbo, quàm à præsenti morte, mandato atq; auxilio diuino liberat.

Deniq; Christus ipse Dominus ac redemptor noster, dum in hac uita uersaretur, ut animas ab æterna morte, ita corpora à morbis & ab exitio liberauit. Fecerunt idem post ipsum Apostoli. Mansitq; hoc diuinum beneficium ita coniunctum cum cœlestis doctrinæ ministerio, ut homines certò scirent, eundem præsentis uitæ datorem ac conseruatorem, & æternæ fœlicitatis authorem esse.

Quapropter & nos, qui in istis senescentis mundi ærumnis iactamur, quo plus utriusq; do-

Etrinæ præsidio indigemus, eo maiore etiam reuerentia studioque utrunq; genus colere atq; amplecti debemus, Magis tamen illud, cuius ope æternam uitam consequimur, quàm hoc, quod præsentis uitæ miserijs succurrit, cui tamen & suus honos debetur.

Cum igitur ad diem Martis proximum gradum & insignia Doctoris in Medicina conferre decreuerimus Doctißimo atq; honestißimo uiro Magistro Guaro VVigando Guarimo, petimus à Dominis Magistris ac cæteris studiosis & alumnis huius Academiæ, ut sua præsentia eam ceremoniam honorare uelint. Hoc officium ut pium est, plenumq; humanitatis, & homines pulcherrimarum artium studijs deditos præcipuè decet, ita & nobis ac collegio nostro gratißimum erit.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS M. ERASMVS REINHOLDVS.

A Deo uarijs & duris calamitatibus hoc tempore premitur & excrcetur Ecclesia, ut si toti in lachrymas solueremur, non satis possemus deplorare nostras miserias, in quibus & nunc uersamur, & paulo post unà

cum

cum posteritate futuri uidemur, nisi Deus *singu=lari clementia nobis et Ecclesiæ suæ opem tulerit.*

Non enim communes tantum difficultate, quas bella nostri temporis attulerunt, nos affli=gunt, sed & alia pericula impendent, quæ minan=tur passim scholis & Ecclesijs pie constitutis, tri=stissimum uastationem, & oppressionem cœlestis doctrinæ, quæ hactenus nobis monstrauit in no=stris Ecclesijs de Deo & ueris cultibus Dei, ue=ram & salutarem sententiam, perspicue con=sentientem cum uera & catholica Ecclesia Dei, omniumq; Prophetarum & Apostolorum uoce & scriptis.

Ad hæc mala accedunt interitus tot doctorum & bonorum uirorum, quos intra paucos annos publicus dolor, & uiolentia temporum, nobis immatura morte eripuerunt.

Neque uerò nunc mediocrem Ecclesia & schola nostra iacturam fecit, postquam amisi=mus clarissimum uirum, & omni genere laudis præstantem D. *Doctorem Casparum Crucige=rum.*

Erat in eo cœlestis doctrinæ cognitio uberri=ma, quam in eo primum ardens pietas ipsius, & spiritus ille æternus, omnis sapientiæ unicus fons & donator, accendit & auxit, deinde ipse

quoq; multarum aliarum rerum scientia egregie prouexit & aluit. Ita enim linguarum peritia instructus fuit, ut in hebraicis literis facile uinceret reliquos sacrorum librorum interpretes, iudicij dexteritate, & ingenij celeritate.

Et ipsi scimus, quanta eius in dicendo uis, quanta elegantia & iudicij rectitudo fuerit, cum in alijs linguis omnibus necessarijs Reipub. & Ecclesiæ, aliquid explicandum uel uoce uel scriptis susciperet. Nec obscure magnitudinem ingenij in eo declarat summa & propemodum perfecta Mathematicarum disciplinarum cognitio, in qua ita excelluit, ut doctissimorum hominum iudicio, inter artifices huius generis iure haberetur.

Hæc summa dona ornauit multis egregijs uirtutibus, grauitate, constantia, moderatione summa in omnibus rebus, beneficentia in alios, & eximia φιλοσοργίᾳ in suos. Estq; hoc illustre quasi naturalis & perpetuæ bonitatis in ipso testimonium, quòd cum fere semestri spacio, longo & difficili morbo oppressus decumberet, nullam tamen unquam uel uoce uel gestu significationem edidit impatientiæ uel doloris, grauiuiro & pietate prædito parum conuenientis.

Hæc

Hæc tanta bona, quibus non ſtudio tantum & naturæ bonitate, ſed etiam diuinitus ornatus fuit, contulit non ad ullam priuatam cupiditatem, ſed tantum ad Eccleſiæ & reipublicæ utilitatem.

Itaq; & de noſtra ſchola & uniuerſa Eccleſia egregie meritus fuit, non ſolum tranquillo tempore, docendo & edendo ſua & aliorum ſcripta, profutura pijs: Sed etiam aſpero belli tempore, quo ſolus fere & diu, publica negocia ſingulari prudentia, diligentia, & magnitudine animi ſuſtinuit, ut eius uel præcipua opera appareat in inſtauranda ſchola, quam armorum tumultibus collapſam, & omnino diſſipatam, Deus ſingulari clementia, & bonorum uirorum diligentia, quaſi tabulas fractæ nauis, iterum collectam & conſtitutam eſſe uoluit.

Eſt autem hoc longe acerbiſſimum, quòd tali tempore hoc uiro orbati ſumus, quo propter certamina, quæ ſecutura uidentur de religione, imprimis Eccleſia eius uoce & authoritate erudienda & confirmanda erat.

Nos autem quod poſſumus nunc, talis uiri memoriam grato animo colamus, & omnibus offi-

cijs,

eijs, quibus licet, etiam triſti tempore, mortuum proſequamur.

Cumq; hodie veſperi poſt concionem corpus humo condendum ſit, hortor Doctores, Magiſtros, & Scholaſticos omnes Academiæ, ut ſummo ſtudio ad funeris ceremonias conueniant, Deoq; pijs uotis Eccleſiam & poſteritatem commendent. Nam ille quidem propter pietatem, ardentem fidem in filium Dei, quem uſque ad extremum ſpiritum conſtantiſſimè retinuit, nunc Chriſti & omnium piorum in cœlo conſuetudine fruitur cum ſumma & æterna lætitia.

Nos uerò, qui, ut ille ait, aliàs hinc ad lachrimas nunc forte uocamur, emendatione uitæ & ardore precum, de noſtra & noſtrorum ſalute, gloriaq; Dei retinenda cogitemus, in qua re ut Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti clementer nos adiuuet, & confirmet, oro. 13. Nouembris.

RECTOR ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS M. ERASMVS REINHOLDVS.

SAepe

SAepe auditis agmina docentium & discen-
tium in hac uita, imaginem esse uitæ cœle-
stis, in qua assidentes filio Dei audiemus
colloquentes æternum Patem, Filium, & Spiri-
tum sanctum, et in ipsis coràm aspiciemus Ideam
uniuersi opificij mundi, & causas mirandorum
consiliorum, quare & filius missus sit, ut fieret
uictima, & Ecclesia inter tantas miserias colle-
cta sit, Deniq; perfusi luce cœlesti, læti fruemur
sapientia & bonitate Dei.

Nec profecto quidquam in tota uita homi-
num melius & præstantius est hoc ipso opere,
uera docendi & discendi de Deo, & de alijs re-
bus bonis. Ac propter hoc opus ad societatem
conditi sunt homines, & DEVS in Ecclesia inter
ingentia pericula aduersus rabiem diabolorum,
scholas, literas, doctrinæ uocem, & optimas artes
immensa bonitate tuetur. Sed uult nos agnosce-
re hæc sua beneficia, uult scholas non petulantiæ
gymnasia esse, Sed domicilia doctrinæ & disci-
plinæ, ac uera templa diuinitatis, in quibus spiri-
tus sanctus uoce docentium flectat mentes ad
ueram inuocationem, & ad omnes uirtutes.

Propterea & casti angeli uestra corpora, &
hospitia contra Diabolos tuentur. Hæc sunt uc-
rissima.

Quare

Quare uos propter Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, fontem sapientiæ, qui radios suæ lucis nobis impertit, qui misit Filium Angelum magni consilij, ut Propheta eum nominat, id est, doctorem ex arcano consilio diuinitatis, uocem Euangelij proferentem, obtestamur, ut sitis modesti, ac præcipue iam in tanto luctu Ecclesiæ, adficiamini cura communis salutis, & mentes ad considerationem horribilium dissipationum compositas, ad petendum auxilium cœleste accendatis.

Profecto non congruit horum temporum periculis, hæc magna securitas, ac ebrietas potius multorum, qui sine modo laxant frenos cupiditatibus. Romani tempore belli Punici secundi ciuem prospicientem de fenestra coronatum, iusserunt in carcerem duci, tali tempore delicijs indulgentem.

Quanto indignius est, scholasticos, qui sunt Ecclesiæ milites, in his tantis miserijs non solum leuiter ludere, ut ille Romanus in cœna hilariore corontis se oblectabat, Sed hostili more in plateis & in hospitijs tumultuari?

Prohibemus igitur seuerissimè nocturnas uociferationes, & armatorum discursationes, ac

significamus

significamus uobis excubias à magistratibus se-
ueriores constitutas esse, quibus mandatum est,
ut tumultuantes compescant.

Frenare impetus animorum ratio, meditatio
doctrinæ, cogitatio de ira Dei, et ingentibus rui-
nis rerum humanarum huius senectæ mundi de-
bebant. Sed si qui harum maximarum rerum
cogitatione non mouentur, hos compesci à magi-
stratibus necesse est. Et speramus Deum & pio-
rum gemitus exauditurum esse, & seruaturum
hos nostros alueolos, et magistratuum diligentiæ
opitulaturum esse. Calendis Decembris.

Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS M. ERASMVS REINHOLDVS.

OMnium uirtutum doctrina à Deo præ-
cipue propter hanc causam patefacta est,
ut inde discamus, qualis sit ipse Deus,
eumque in omni inuocatione & consideratione
à malis naturis, uirtutum cogitatione discerna-
mus. Cum enim nec oculis corporum eum cerna-
mus, nec inclusum brachijs amplecti possimus, &

tamen

tamen alloqui conditorem rerum neceſſe ſit, diſcerni eum certis proprietatibus oportet, inter quas ſunt & uirtutes, quarum maxime conſpicua eſt Caſtitas, quæ clariſſime diſcernit DEVM à Diabolis & ab hominibus pollutis. Id diſcrimen ut luceat in genere humano, ſanxit DEVS certas leges conſociationis maris & fœminæ, ſeuerisſime prohibet uagas libidines, & horrendis pœnis declarat iram ſuam aduerſus pollutos libidinibus, ut omnium temporum hiſtoriæ oſtendunt.

Vult igitur coniugia publico & pio ritu inchoari, in quo homines commonefacti de origine & conſeruatione generis humani, & de legibus caſtitatis, modeſtiæ, & aliarum uirtutum, agnoſcant & inuocent DEVM conditorem, ſapientem, ueracem, beneficum, iuſtum, caſtum, mirabiliter conſeruantem ac protegentem hanc imbecillem naturam & ſocietatem generis humani. Ac omnibus ætatibus ad aras initia coniugiorum facta ſunt, ut et Pytagoræ dictum teſtatur, quod citat Ariſtoteles.

Nihil autem minus decet, quam turbare ſacrum Nuptiale, ut faciunt homines curioſi, qui non uocati promiſcue in templa & in cœtum hoſpitum irrumpunt, & ſpectandi cauſa paſſim diſcurrunt.

Scitis

Scitis autem, quantum decus sit Modestiæ, quæ quidē magis à scholasticis flagitatur, quam à cæteris hominibus, quia literæ ostendunt & huius uirtutis & aliarum pulchritudinem.

Mandamus igitur, ne his diebus, cum sacrum nuptiale celebrabitur, in arcem & templum tumultuose ingredi conemini, & ne nocturnis discursationibus & clamoribus, aut alijs tumultibus tranquillitatem hospitum, & ordinem sacri, & aliorum honestorum congressum turbetis, ac magnopere petimus, ut hoc tempore in tanta frequentia hospitum, ita luceat modestia uestra, ut studia nostra magis amentur, nec uideantur literarum cultores magis feri & barbari, quam reliqua plebecula.

Primum in hac re DEO *hoc officium tribuatis, ne quid irreuerenter fiat Nuptiarum tempore, in quibus non impedienda est aliorum inuocatio, nec alia honesta officia turbanda sunt.*

Deinde & iudicia hominum respicite, qui iuste succensent petulantiæ & barbaris moribus eorum, qui nec sacrorum rituum rationem habent, nec reuerentur hospites.

Postremo & periculorum uestrorum & communium

communium metus uos reprimat. Erunt excubiæ frequentiores, quæ non parcent tumultuantibus.

Hoc edictum honesto & pio consilio proposuimus, ac ualde petimus, ut pro nostris magnis laboribus, curis, & doloribus hanc gratiam referatis, ne dolores nostros malis exemplis augeatis: Imo & DEO hanc referte gratiam pro omnium doctrinarum luce, ne studia nostra in odium & contemptum propter malos mores adducantur.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS M. ERASMVS REINHOLDVS.

IN hodierna lectione Euangelij nominatur locus, ubi Iohannes Baptizabat, Bethabara, id est, domus traiectus, ac significari consentaneum est Ecclesiam, quæ est domus traiectus, & uadum ex hac mortali & ærumnosa uita, in cœlestem & æternam patriam, ad quam Deus immensa misericordia Ecclesiæ ministerio nos transuehit. Id beneficium grati agnoscamus, & nos ad traijciendum præparemus.

Decessit autem hac nocte honestus iuuenis Christo-

Christophorus φραγμίτης, filius senis pij, & fideliter seruientis Ecclesiæ Noribergensi, postquam in hoc morbo, & in hoc ipso agone huius noctis, adsidua inuocatione, & sese, & uniuersam Ecclesiam filio Dei Domino nostro Iesu Christo commendauit. Fiet autem ei funus hora decima. Quare hortamur scholasticos, ut tunc ante Nosocomium Academiæ conueniant, & ueris gemitibus & uotis inuocent filium Dei, & petant, ut bona ingenia Ecclesiæ seruet, nec sinat fieri barbaricam uastitatem, sicut dixit. Ego gestabo uos etiam senescentes. Die 22. Decembris. Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS BENEDICTVS PAVLI IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR.

QVod faustum fœlixq; sit Ecclesiæ, & Academiæ nostræ, cras de more eligetur & renunciabitur alius Rector, qui mihi in gubernatione scholastici cœtus succedet. Volo igitur omnes Academiæ alumnos cras horæ sexta mane conuenire in collegio maiori, ut ibi intersint publicæ renunciationi Magistratus, qui

multis grauibus de causis iuuentuti & Academiæ præficitur. Cumq; propter iuuentutem præcipue gubernatores multas curas & molestias sustineant, decet uos maiori etiam studio operam dare, ut uicissim legibus, disciplinæ causa propositis, obtemperetis, & Magistratuum beneficia gratis animis agnoscatis, eosq;, qua decet obseruantia & reuerentia, colatis. Certe hæc tempora mirifice exercent illos, qui studijs & Ecclesijs præsunt, propter multas causas. Quare magna impietas est, domestica ingratitudine & contumacia eorum miserias cumulare.

Coniungetis etiam pia uota nobiscum in uera Inuocatione filij Dei domini nostri Iesu Christi, ut quemadmodum in hac Schola hactenus fulsit uera doctrina de Deo multis annis, ita porro apud nos diu seruetur, & sonet in templis & scholis ad retinendam gloriam Dei, & multorum salutem. Hæc ut petamus ardentioribus animis, tempora monent, quæ fortassis ideo sunt asperiora, ut Deus nobis excutiat ueternum securitatis, qua hactenus oppressi fuimus, & accendat nos, ut maiori ardore cum inuocemus in angustijs. Nec dubium est, uehementer displicere Deo securitatem eorum, qui nunc Ecclesiæ calamitatibus & periculis, non adficiuntur

*untur, Sicut in Amos tristissimis commination*i=
bus exclamat. Væ illis, qui nihil patiuntur su=
per contritione Ioseph. Sitis igitur modesti, &
pijs precibus studeatis flectere iram Dei ad mi=
tiganda publica mala, pridie Calendas
Maias. Anno 1549.

SCRIPTA PROPOSITA PVBLICE IN ACADEMIAE VVITEBERGENSI, ANNO IVBILEO M. D. L. POST NATALEM CHRISTI.

RECTOR ACADEMIAE M. ERASMVS REINHOLDVS.

Pvlcherrimus ordo corporum in uniuersa natura conuincit omnes sanos, ut fateri co=*gantur, hunc mundum non extitisse casu. Deinde noticiæ nobiscum nascentes manifestè testantur & esse Deum, & esse sapientem, bo*=*num, ueracem, iustum, beneficum, castum, et uin*=*dicem scelerum. Et quidem hanc ob causam DEVS hanc totam naturam condidit, ut se pa*=

tefaceret, & creaturæ intelligenti ſuam bonitatem communicaret, & uiciſsim ab ea cognoſceretur & celebraretur. Vt autem propius aſpiceretur, etiam uoce ſua patefecit ſe, & addidit illuſtria & non fallentia teſtimonia, miracula reditus ex Aegypto, & reſuſcitationes multorum mortuorum.

His teſtimonijs confirmati, ſtatuamus uerè colligi à Deo Eccleſiam in æternitate ipſum celebraturam, & doctrinam quam tradidit, firmam & immotam ueritatem eſſe, ac mirando & ineffabili conſilio miſſum eſſe filium Dei, ut ipſius ſacrificio placata ira Dei, & non aliter, reciperentur homines, ut rurſus fierent hæredes æternæ & dulciſsimæ conſuetudinis cum Deo.

Hanc cauſam finalem tanti operis expreſſam eſſe ſcimus, in cuius cogitatione utrunq; agnoſcamus, Deum horribiliter iraſci omnibus omnium peccatis, cum non placari, niſi à filio uoluerit. Deinde ingentem eſſe amorem diuinitatis erga genus humanum, cum tanta uictima nobis donata ſit, propter quam reciperemur.

Conſideratio autem utriuſq; rei, ſcelerum noſtrorum & diuini amoris, permouere animos noſtros

nostros debebat, ut uere & expauescceremus agnitione iustißimæ iræ Dei, & rursus gratias ageremus pro immenso beneficio, & læti amplecteremur & oscularemur filium, ut Psalmus iubet.

Sed hei ferrea hominum pectora. Quotus quisq; hæc uel leuiter cogitat? Vt autem uox diuina in Prophetis omnibus clamitat, ut hæc consideremus, & in ipso Natali filij, turmæ Angelicæ canunt hymnum Deo, & pastores iubent uisere natum Dominum, & stellæ duces sunt Magorum: sic in Ecclesia doctores, & parentes, & omnes, qui parentum loco sunt, ut Angeli, canant & ipsi Deo hymnum, & suos cœtus singuli hortentur, ut nunc maiore attentione miran-dum fœdus naturæ diuinæ & humanæ consideretur, & accendantur pectora ad Deum celebrandum, & ad gratiarum actionem.

Est autem sapientia inenarrabilis in hoc consilio, quam postea coràm intuentes Deum in clara luce, & audientes æterni Patris, Filij, & Spiritus sancti colloquia, plenius cognoscemus. Et tamen huius sapientiæ elementa Deus in hac uita nos discere iußit. Cum igitur necessaria sit, & Deo grata hæc qualiscunq; meditatio, exuscitemus

temus ad eam pectora & mentes, non contemnamus hæc exercitia, ut feri Cyclopes, sed reuerenter de tota doctrina huius fœderis cogitemus, Quis sit hic Dominus, qui ex uirgine natus est, Cur Filius Dei λόγος καὶ εἰκὼν æterni Patris nominetur, cur nominetur Emmanuel, quantum miraculum sit copulatio duarum naturarum in hoc Domino. De causa finali antea dictum est, ut placator sit, & liberator.

Sed considera etiam impulsiuas. Hanc sapientiam nulla æternitas exhaurire poterit. Et tamen in illa æterna Academia causas scrutabimur, & nunc initia eius doctrinæ quæramus. Est omnino caput huius sapientiæ, cum Deus & iustus sit & misericors, ita misericordiam exercet in nobis recipiendis, ne tamen iusticia uioletur. Miranda igitur temperamento iusticiæ & misericordiæ recipitur genus humanum. Cum omnis Lex obliget uel ad obedientiam, uel ad pœnam, legi satisfit, pœna in filium deriuata, Nec ex futilitate remittitur peccatum, sed ita, ut iusticiæ satisfiat hac compensatione. Postea erga nos pollutos misericordia declaratur.

Cur autem duæ naturæ copulatæ sunt? Primum.

neum, quia cum peccasset genus humanum, persoluere aliquem in genere humano pœnam iustitia flagitabat.

Secundo, ut precium esset æquiualens pro hac immensa mole scelerum, in illa sapientissima deliberatione decretum est, ut Filius omnipotens æterni Patris λύτρα persolueret.

Tertio, Nec poterat ulla creatura superata morte restituere uitam. Nec aliud Semen poterat conterere caput serpentis.

Etsi autem exhauriri causæ huius deliberationis non possunt, tamen hæc elementa utcunq; cogitemus, nosq; ad gratiarum actionem accendamus. Quantus amor est generis humani in æterno patre, qui in conditione transfudit in nos eorum bonorum similitudinem, quæ in ipso sunt optima, scilicet suæ sapientiæ & iusticiæ radios? Itaq; uera σοφγή dilexit opus ipsi simillimum, ὅμοιον γὰρ ὁμοίῳ φίλον. Et Deus uere delectatur sapientia & iusticia. His bonis amissis, hîc filij lucet erga nos summa & ineffabilis dilectio, qui fit deprecator pro nobis καὶ ἱκέτης, & in se iram non simulatam, sed ueram & ingentem deriuat.

Postquam igitur facta est reconciliatio, rursus hæc, quanquam iam fragilis, & adhuc squa-

lida natura sit templum Dei, rursus Pater, Filius, & Spiritus sanctus nos recipiunt. Nec munus aliud maius dari potest, quàm quòd transfundi= tur in nostra pectora Spiritus sanctus, ut nos co= pulet æterno Patri & filio, & lucem ac lætici= am acquiescentem in Deo in nobis accendat. Hanc tantam bonitatem aliquo modo agnosca= mus, & Deo gratias agamus.

Huc accedat & recordatio doctrinæ maxime necessaria. Quomodo hæc tanta bona certò no= bis largiatur Deus. Hîc repetenda est uox Euan gelij, quæ adfirmat, in pœnitentia, gratis, pro= pter filium Dei certò remißionem pectatorum nobis donari. Hæc fiducia intuens mediatorem, pariat lætitiam in cordibus & inuocationem. Et in uniuersæ doctrinæ cogitatione, & in ipsa precatione detestemur omnium fanaticorum fu= rores, qui pugnant cum Euangelio, & oremus Deũ, ne sinat extingui lucem suæ ueritatis, nec Ethnicam barbariem fieri sinat.

Petamus etiam, ut Ecclesiarum hospitia cle= menter protegat, sicut protexit illam casam, in qua tunc erat illud cœleste agmen, Filius Dei, Mater, Ioseph, Pastores, Angeli. Ac subinde in= ter hos

ter hos gemitus & uota exuſcitetur fides, & profiteamur nos credere recipi noſtras preces, ut ille inquit. Credo Domine, ſed opem ferto diffidentiæ meæ.

Sit etiam nunc in moribus maior modeſtia, ne ueſtram & aliorum inuocationem turbetis. Piæ mentes angelicum nunc quoq; canunt hymnum Deo, cuius harmoniam diaboli ſuis ululatibus turbare conantur. Iam utrius cœtus ſimilitudo expetenda ſit, non difficile eſt iudicare.

Vt autem reuerentiæ ſignificatio erga Euangelij miniſtros extet, præcipimus, ut cras ſinguli Scholaſtici munus ad aram offerant. Hoc officium etſi tenue eſt, tamen ad exemplum pertinet, Quare bene morati libentius obtempercnt.

Θεῷ δόξα. Anno 1550.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IOHANNES MARCELLVS REGIOMONTANVS.

Auſpicijs referat Menſis fœlicibus annum,
Qui uetus à Iani nomine nomen habet.

Chriſte faue, ſacramq; tibi defende Sareptam,
Tempora da ſtudijs candidiora pijs,
Proſpice turbatis rebus, rerumq; quieti,
Et mala in aërios publica pelle Notos.
Ac quoniã annus adeſt luſtris bis quinq; peractis
Vendita qui domimis reddidit arua ſuis.
Fac aliqua ærumnis fatiſq; ex parte leuatis,
Iſte tuis uere lætior annus eat.
Complendamq; olim iam nobis redde ſalutem,
Donaq; iuſticiæ non peritura tuæ.
Vt ſint qui duro tua dogmata tempore diſcant,
Naſcentiq; tibi baſia Chriſte ferant.
Ad noſtros gemitus addat ſua uota iuuentus,
Moribus & caſtis uota preceſq; iuuet.
Ne iuſtam nobis cumulemus uindicis iram,
Obruat & cunctos uaſta ruina ſimul:
Iam quoq; cum ritu ſtudia explorentur honeſto,
Ceu ratio ueteri more recepta probat.
Nec Collegarum deerit tibi prompta uoluntas,
Nec mea, Apollineis turba dicata ſacris.
Hic gradus Aonidum merito debetur alumnis,
Qui ſtudijs aliquod commeruere decus.
Ingenijs quorum cultæ fœliciter artes,
Ventura poterunt poſteritate frui.
Palladiæ petitur quibus ergo fama coronæ,
Vt doctos inter nomina digna ferant.

Colloquiũ

Colloquij certas illis decernimus horas,
Atq; dies huius temporis offerimus.
Vt ſua conſueto nobis dent nomina more,
Altera erit noſtri ſollicitudo chori.
Aſpiret nobis modo uirgine natus Ieſus,
Conferat & ſtudijs fata ſecunda pijs.

Anno 1 5 50.

PRæcipuos legi quos ſcripſit Naſo libellos
Hactenus, officij pro ratione mei.
Qui uitam monitis formare ſalubribus, atq;
Flumina ſermonis ſuppeditare queunt.
Herbiferos docti nunc expaciabor in agros
Vergilij, enarrans utile uatis opus,
Qui docet aruorum cultus per ſydera cœli,
Quando colendus ager, quando ſecãda Ceres.
Arcturus rutilans prodit cum ueſpere ab undis,
Scindenda eſt ſulcis humida terra nouis.
Mane ſed, Orion humeros poſtq̃ exerit ingens,
Tum grauis eſt curua falce metenda ſeges.
Culturamq; ſimul pecoris deſcribit & annos,
Prouida quos generi ſors ſua cuiq; dedit,
Vt pecoris diſcat generoſi pullus in aruis
Altius ingrediens mollia frena pati.
Qualis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus, atq; alij qui celebrantur equi.

Hinc

Hinc ut apes faciant opera ingenioſa legemus,
Et quo conficiant dulcia mella modo.
Vtq; recens cæſi putrefacto ſanguine tauri
Perdita caſtarum ſpes reparetur apum.
Ruſtica ſunt quamuis opera hæc, tamẽ ipſe uolebat
Vmbras arcanæ conditor eſſe rei.
Sicut enim Taurus putris terraq; ſepultus,
Extinctis apibus gentis origo nouæ eſt:
Sic oritur triſti reparata Eccleſia morte,
Cui reddis uitam ſanguine Chriſte tuo.
Non caſu mundi confluxit forma ſine arte,
Nec ſine mente regi machina tanta poteſt.
Quare hoc luſtrantes oculiſq; animiſq; theatrũ,
Diſtinctas rerum conſilioq; uices,
Nobiſcum autoris uerſari credite numen,
Ipſius & metuant pectora ueſtra minas.
Adiungam uerò Lucani ſcripta Poëtæ,
Impia Romulidum qui canit arma ducum.
Ciuiliq; omnes pollutas ſanguine terras,
Et memorat ſpreta fœdera rupta fide.
Hæc mala prodigium portendit triſte futura,
Aenea de cœlo cum lupa tacta fuit.
Cuius ab uberibus, ſubito diſiecta fragore,
Infantum duo ſunt corpora ſparſa procul.
Hîc uos dum legitis, fuerint quæ ſemina belli,
Faſtus, & hinc inter diſſidia orta Duces,

Diſcite

ANNO 1550.

Discite nascentes uitare & tollere morbos,
Et studio pacis uelle placere Deo.
Iohannes Marcellus Regiomontanus.

DECANVS COLLEGII DOCTORVM ARTIS MEDICAE IACOBVS MILICHIVS DOCTOR.

SCitis & naturæ considerationem dulcissimam esse, ac illustria de Deo, & de prouidentia testimonia ostendere, & artem medicam utiliter seruire hominum uitæ. Quare doctrinæ de natura rerum, & de medicatione studia ueneranda sunt, & fidelibus doctoribus, & medicis gratitudo debetur, ut scriptum est. Honora medicum, quia Deus eum propter necessitatem creauit. Et Phalaris quanquam tyrannus, tamen erga medicum gratus fuit, eiusq; iusticiam fidem & artem prædicans, inquit se eum laudare φρονοῦντα ἄξια τοῦ θεοῦ κτίσαντος τὴν τέχνην.

Petimus igitur, ut die Februarij quarto conueniant doctores, Magistri, & auditores omnium facultatum, ad renunciationem gradus Doctoris, qui decernetur uiro clarissimo, eruditione & uirtute

& uirtute præstanti M. Vito Ortel Vuinsbemio, præsertim cum & docendo & medicando profuerit multis ipsius fides & diligentia. Itaq; & eius honori faueamus, & Deum precemur, ut studia doctrinarum gubernet & tueatur. Die purificationis Mariæ. Anno 1550.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IOHANNES MARCELLVS REGIOMONTANVS.

EXplorauimus hisce diebus priuatim studia & ingenia illorum, qui nunc petunt gradum Magisterij. Cunq; cognoucrimus plærosq; egregia uirtute & eruditione præclarè instructos esse, aperimus eis cras de more publicum examen.

Rogamus igitur uiros doctos, & præcipue Magistros & collegas nostros omnes, ut nos in audiendis his scholasticis pro nostra coniunctione studioseè adiuuent, & amanter de rebus utilibus & cognitione dignis in publico loco conferendis operas conferant, hosq; congressus scholasticos suis quoq; officijs foueāt et tueantur.

Id libentius facient, cum constet nostras coniunctiones,

functiones, non minus pertinere ad Ecclesiam, & Rempublicam, quàm ullorum aliorum ordinum, quos sæpe tantum opum & potentiæ defensio coniungit, cum Deus nos præcipue uirtutis ac necessariæ & salutaris doctrinæ defendendæ, ac propagandæ causa uelit esse coniunctos, & consociatos omnibus officijs, quæ bonos & doctos uiros decent.

Hac in re igitur, ut eruditiores nobis suum officium præstent, uehementer rogamus. Deumq; patrem Domini nostri Iesu Christi oramus, ut studium nostrum in tuenda recta doctrina prouehat, efficiatq;, ut in nostris actionibus talis sit nostra uoluntas, & perficiendi facultas, ut quemadmodum Paulus ait, ipsi aliqua grata fiant. Datum 5. Februarij.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IOHANNES MARCELLVS REGIOMONTANVS.

Sit infixa pectoribus omnium, precatio filij Dei in agone recitata, & sæpe repetatur, lectione, cogitatione, & ardenti meditatione, nosq; illa summa sacerdotis nostri uox excitet, ut ad eius preces, nostra uota & gemitus

nostros

nostros adiungamus. Etsi autem sapientia, quæ in ea precatione comprehenditur, exhauriri non potest, tamen scripta est, ut inde multa discamus. Et membra sunt narrationis præcipua quatuor. Petit filius Dei, ut Ecclesia uoce Euangelij colligatur, deinde ut seruetur, & animi copulentur concordia, & sint unum, ut ipse inquit, in nobis. Clara uoce postea, ut sacerdos, sacrificium illud mirandum pro nobis adplicat, in quo sese patri offert, & iram in se deriuat.

Postrema pars est, ut Ecclesia cœlesti et æterna uita, sapientia, iusticia & lætitia donetur. In hac ipsa petione cum dicit. Sanctifica eos ueritate, Sermo tuus est ueritas, alligat nos ad hæc ipsa scripta, quæ sermonem diuinum continent. Hæc legi sine literarum & linguarum cognitione, & sine eruditione mediocri enarrari non possunt. Verissimum est enim quod Plato dicit, ab indoctis lacerari doctrinas, ut catelli lacerant panniculos. Vult igitur Deus esse cœtus docentium & discentium literas, linguas & artes necessarias explicationi. Et ut ministerium Euangelicum, ita hæc necessaria studia clementer tuetur, ut scriptum est, sedet ad dexteram æterni patris, dans dona hominibus, pastores & doctores.

tes. Huius Rectoris præsentia nos consolemur.

Cumq; doctrinam incorruptam sonemus, & hæc studia utilia Ecclesiæ Deo placere sciamus, non abijciamus hos docendi & discendi labores fracti ullis difficultatibus, iniurijs, aut calumnijs, quas refutare uestri oculi & uestræ aures possunt, & hic uersus sæpe nobis in mentem uenit. ἄγαν δ' ἐς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος. Multum autem, ut scitis, exploratio eruditionis prodest discentibus. Itaq; cum iam post examina, facienda sit renunciatio testimonij nostri, petimus, ut die Februarij undecima Doctores, Magistri & auditores conueniant ad renunciationem gradus Magisterij Philosophici, qui decernetur honestis & doctis uiris, quorum nomina hîc adscripta sunt.

Magnum decus sunt totius uitæ, congressus eruditorum amanter conuenientium, & eo ipso officio inuitantium iuuentutem ad discendum, & ad communem concordiam tuendam. Ibi etiam uota coniungenda sunt, ac precandum unà cum filio Dei, ut æternus pater fons sapientiæ seruet Ecclesiam, & inter nos æternam hæreditatem filio colligat, & hæc nostra studia regat, & hospitia protegat, quia certum est, non seruari Ecclesiam sine ope diuina.

Videmus autem ad illustrandas artes frequentia opus esse, ut dictum est ab Euripide, ὁμιλία *ἔτεκε τέχνας. Et ad concordiam prodest assuefieri multos ad unam simplicissimam docendi formam. Dissipationes scholarum utroq; modo nocent, minus illustrari artes sine adiutoribus possunt, & lucifugæ frequentiam scholarum & aliena iudicia fugitantes pariunt noua genera doctrinarum. Quare Deum oremus ne maiores dissipationes fiant. Datæ die 10. Februarij. Anno 1550.*

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS M. ERASMVS REINHOLDVS.

IDeo generi humano ardens, & ineffabilis amor erga sobolem diuinitus inditus est, ut sit commonefactio de amore Dei erga filium & erga nos, ac sæpe in inuocatione, cum cogitamus Deum uelle se nominari Patrem, ueniat in mentem, uerè nos sic à Deo diligi, ut diligimus ex nobis natos, & adfici cum nostris calamitatibus, sicut in nostris pectoribus acerrimi sensus sunt dolorum in aduersis casibus aut morte natorum. Itaq; postquam decessit ex hac mortali uita, Matrona honestissima, Coniunx Lucæ Cranach,

nach filia uiri præstantißimi Doctoris Gregorij Pruck, magno in luctu & mœrore Pater futurus est, & hîc coràm lachrymas & gemitus maritiuidemus. Pium est autem nos horum ingenti dolore adfici. Nam Pater propter sapientiæ & uirtutis præstantiam, & quia erga Ecclesias harum regionum inprimis officiosus fuit, & diu molem gubernationis præcipue magna fide sustinuit, diligendus & uenerandus est, ac à Deo petendum est, ut eius mœrorem leniat, qui quidem cum rectè teneat doctrinã Euangelij, à Deo illustribus testimonijs patefactam, et firma adsensione eam amplectatur, nouit fontes uerarum consolationum, in quibus hæc præcipua est, quòd & in tota uita, filiæ mores fuerunt pij, casti, & conuenientes honestæ matronæ, & in hoc extremo agone fides eius fulsit in adsidua inuocatione filij Dei, & in tranquillitate animi eximia, quæ spem & desiderium in ea cœlestis consuetudinis ostendit. Patris etiam mentionem summa cum pietate, & desiderij significatione fecit, ac fratrem iußit ei gratias agere, pro totius uitæ beneficijs, educatione paterna, atq; institutione Christiana.

Qui autem sic commendant se filio Dei, decessuri ex hac ærumnosa uita, hos duci ad socie-

tatem Ecclesiæ cœlestis, quæ fruitur conspectu Dei, non dubium est, iuxta illa dicta: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, Item, Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ. Et Iohannis sexto. Hæc est autem uoluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. In illo cœlesti agmine iam & dulcissimæ matris, & charissimarum sororum, & fratris complexu & sermonibus fruitur, & unà cum eis, Ecclesiæ, patris, mariti & suorum natorum salutem Deo commendat. Hæc cogitatio de immortalitate maximam uim habet in animis non prophanis, & qui firma adsensione patefactiones diuinas amplectuntur.

Mandamus autem, ut hodie ad Funus horæ tertia conueniatis, ubi in hoc luctu, aliarum calamitatum sensu etiam adficiamur, ac oremus Deum, ut Ecclesiæ periclitanti opem ferat, & Ecclesiarum hospitia protegat. Tot uidimus funera hoc biennio in hoc oppido præcipuorum ciuium & matronarum, quarum fuit excellens uirtus, coniugis D. doctoris Benedicti, coniugis Gregorij Bruck, coniugis Erasmi Reinholt, coniugis Ambrosij Reuteri, coniugis domini Froschelij & aliarum

aliarum quarundam, ut etiam omine moueamur. Sed discamus uerissimam esse uocem Dei, quæ adfirmat Ecclesiam sine diuina ope seruari non posse, ac uelle Deum à se peti auxilium, & uerè exaudire nostros gemitus & nostra uota, sicut inquit Psalmus, Prope est Dominus omnibus inuocantibus eũ, omnibus inuocantibus eum in ueritate. Datæ die 11. Februarij. Anno 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS M. ERASMVS REINHOLDVS.

IPsa ciuilis societas, & eius conseruatio ostendunt, genus humanum non casu ex atomis ortum esse, sed à Deo mira arte conditum esse, & uincula consociationis multa nobis certo consilio addita esse: generationem, educationem, contractus, defensionem. Nec conseruari societas posset, nisi Deus adesset ipse custos ciuitatum & imperiorum, estq; finis præcipuus societatis, ut alij alios de Deo, & de rebus bonis alijs docere possint, & simul uerum Deum, una uoce multi celebremus. Dedit igitur leges, seuerissime prohibentes conturbationem societatis, ut, nõ occides, non furtum facies, & addidit gubernatores, ut

harum ipſarum legum miniſtri ſint, puniant contumaces. Nec ipſe deeſt ſuis legibus, ſed cum magiſtratus ſunt negligentes, pariter utroſq; punit, & ignauos Magiſtratus, et ſecuros latrones ac fures. Sciamus igitur tanquam murum ſingulorum ædibus circundatas eſſe has leges. Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, & Deum uindicem ſcelerum metuamus. Certißimum eſt enim, hæc delicta diuinitus in hac uita mortali etiam puniri, & Dei præſentiam in politica ſocietate cogitemus, commonefacti multis uinculis ſocietatis, generatione, educatione, defenſione, legibus, pœnis. Ac nos quidem Deo iuuante, quantum poſſumus, diſciplinam tueri ſtudemus.

Cum igitur Magiſtratus adoleſcentem notum in uicino oppido. N. propter furtũ prehenderit, & ipſe furtũ confeſſus ſit, etſi propter deprecationem mitigata eſt pœna, tamen nos hunc N. ex Academiæ noſtræ ſocietate prorſus & perpetuo excludimus, & hoc publico decreto ſignificamus excluſum eſſe. Conſcientia intuens iram Dei & ſceleris turpitudinem, & infamia, ſunt quidem pœnæ graues, ſed tamen niſi mens ipſius ueniam à Deo petet, Deus ipſe alijs ſupplicijs eum etiam adficiet.

ANNO 1550.

Hæc tota doctrina de uoluntate Dei cogitanda est, ut maiore cura & pietate regantur mores. Datæ die 23. Februarij. Anno 1550.

PHILIPPVS MELANTHON.

DEo iuuante cras hora septima inchoabo interpretationem carminis Argonautici, quod ab Apollonio magna cum laude scriptum est, oro autem filium Dei, ut sicut in Arca Nohæ rexit suos Argonautas, ita nunc quoq; suam nauem regat, in qua & nos ut remiges seu ὑπηρέται uehimur inter magna pericula, in quibus nos sua clementia seruet. Die 2. Martij. Anno 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ERASMVS REINHOLDVS.

IVs Hospitij singulari religione colendum & tuendum esse scitis, de quo meministis hos uersus Homericos.

ξεῖνός γ' ἐστὶ τιμήτωρ ἱκετάων τε, ξείνων τε,
ξείνῳ θ', ὅς ξείνοισιμ ἅμ' ἀιδοίοισιμ ὀπηδεῖ.

Et Academiæ hospitium, in quo intra parietes collegij limpidos fontes optimarum artium haurire potestis, gratius esse debebat. Multi autem spreto hospitij iure, cum usi sunt habitaculis in collegio, & quidem cum fregerunt etiam asseres, ualuas aut seras, clam discedunt, nec soluunt debitam mercedem, quam scitis exiguam constitutam esse.

Mandamus igitur, ut singuli fideliter & tempestiuè soluant mercedes locationis. Mandamus etiam, ne quis inconsulto locatore recipiat ad se quenquam, item ut discedentes adferant claues ad locatorem, & ostendant se discessuros esse, ut sciri possit, an soluerint.

Turpissimum furtum est, defraudare benemerentem Academiam, & difficillimis temporibus doctrinæ propagationem magno labore sustinentem, ideo publicis sententijs talis ingratitudo punietur. 4. Nonas Martij.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS M. ERASMVS REINHOLDVS.

CVm difficillimo tempore hospitium medio cre literarum studijs hîc concessum sit, uicissim

eißim nobis præſtandum eſt, ut modeſtia noſtrâ, beneuolentiam eorum, qui præſunt, tueamur. Itaque cum iam aduectæ ſint Machinæ, quæ in aggerem collocabuntur, ſeuerè præcipimus omnibus Scholaſticis, ne ſuis concurſationibus impediant operas artificum, quibus Machinæ uehendæ aut collocandæ commendatæ ſunt, ac prorſus ne aſcendant in aggerem. Qua in re primum ea cauſa moueamini, quia hæc modeſtia decet Scholaſticos, & in hoc publico dolore ne nimis indulgeat iuuentus Curioſitati, Sed adficiantur animi ſenſu triſtißimi luctus uniuerſæ Eccleſiæ, & petant mitigationem pœnarum. Quia magna bella, & horrendæ rerum confuſiones impendent, in quibus ut ſeruet filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus crucifixus pro nobis, & reſuſcitatus, Cuſtos Eccleſiæ, reliquias ſuas, & non ſinat fieri Ethnicam uaſtitatem, toto eum pectore oro.

Deinde periculi ueſtri rationem habete. Nam ſi artifices, & alij, quibus Machinæ commendatæ ſunt, iraſcentur ijs, à quibus impediuntur tumultuoſius, à Machinis eos depellent. Et iuſta eſt indignatio. Quia uaniſßima curioſitas & petulantia eſt, illis principum operis uelle intereſſe.

Rectoris etiam authoritate moueamini, cui

obedientiã debetis, deniq; iura hospitij colamus, & optimarum artium studia, quæ indigent frequentia, donec Deus concedit, omnibus officijs tueamur. Hæc nostra perseuerantia Deo iuuante profutura est ad optimarum artium conseruationem, etiamsi bella in multis locis studia literarum aliquantisper impedient. Sed propter te fili Dei, propter te seruato cœtus recte discentes, & te recte inuocantes, & reprime furores Diaboli conantis Ethnicam uastitatem facere, & protege hæc hospitia doctrinarum & rege disciplinam. Tu es enim custos tuæ Ecclesiæ, quam Diaboli subitò funditus delerent, nisi tua dextera tegeretur, Tu in diluuio arcam Nohæ, Tu stantem populum inter undarum montes in rubro mari protexisti. Te oramus, ut nunc quoq; nos protegas. Die Aequinoctij Verni. Anno 1550.

RECTOR ACADEMIAE
M. ERASMVS REINHOLDVS.

AVdiuimus hac hyeme Imperatorem Carolum studiose legisse Thucydidem, cuius habet Gallicam interpretationem luculentam, factam ab Episcopo Massylienſi, qui censorem adhibuit Ianum Lascarem, natum in familia

Familia ueteri Imperatorũ, qui Constantinopoli, & in Asia dominati sunt. Libentius igitur nos quoq; eius scriptoris sententias recitamus. Inquit autem Thucydides, Atticã ciuitatem post cladem in Sicilia acceptã, ciues domi ad modestiam reuocasse. Et quidem obedientiam ciuiũ prædicans inquit, πάντες πρὸς τὸ παραχρῆμα περιδεὲς, ἕτοιμοι ἦσαν εὐτακτεῖν. Fuerunt, inquit, omnes parati in præsenti terrore, ut recte facerent, nec essent tumultuum aut confusionum autores. Quanto magis in Ecclesia Dei, in tantis publicis & priuatis miserijs, nos reuocari ad modestiam oportebat, cum quidem certißimum nobis sit, nõ ferri casu res humanas, aut tantum naturæ motibus gubernari, ut tunc Ethnici putabant? Sed uerißimè irasci Deum nostris delictis, & homines accersere & augere pœnas proprijs furoribus, Vt igitur mitigentur pœnæ, necessaria est morum emendatio. Nec est inutilis, ut exemplum Niniues ostendit. Et filius Dei clamitat: Orate, ut poßitis effugere uenturas calamitates. Vt autem sit ardens inuocatio, profecto necessaria est modestia. Ideo disciplina amanda & conseruanda est. Cumq; disciplinæ causa usitatum sit in Academijs certas Leges proponere, hodie hora prima Leges nostræ Academiæ recitare curabimus.

bimus. Ad quam recitationem, ut conueniant scholastici, mandamus. Mandamas etiam, ut qui nondum nomina sua apud Rectorem Academiæ ediderunt, quamprimum ad Rectorem, ut inscribantur nomina, ueniant, quia hoc præsertim tempore, non est tutum Reipublicæ, uagari hîc hospites sine certo Magistratu. Seuere etiam mandamus, ne operæ ad machinas bellicas impediantur, & ne ascendant scholastici in aggerem.

PAVLVS EBERVS.

PEruenimus in interpretatione uitarum Plutarchi usq; ad Themistoclis historiam, quæ continet res maximas, gestas in illo difficili bello, quod Xerxes Græciæ intulit, quando ter mille naues ex Asia in Europam adduxit, copias uerò classiarias & terrestres scribunt fuisse ad uicies ter centena & septendecim millia, quæ uniuersæ à paucis, partim Themistoclis sapientia & uirtute, nauali pugna ad Salaminem, partim Pausaniæ fortitudine, terrestri prælio ad Plateas, profligatæ sunt. Sequuntur deinde Periclis & Alcibiadis uitæ, in quibus funestissimi belli intestini Græciæ, quod totos fere XXVIII. annos durauit, causæ, origo, uices, et tristis exitus commemorantur.

memorantur. Habent & Romanæ historiæ quæ sequuntur, res magis insignes, bellum Gallicum, & Punica bella, quorum cognitio propter magnam uarietatem fortunæ & negociorum multiplicem utilitatem afferre studiosis potest.

Hoc significare publice uolui, ut si qui antiquitatis studio tenentur, & simul linguam græcam cum optimarum rerum et sententiarum iucunda uarietate cognoscere cupiunt, possint se prioribus meis auditoribus adiungere. Auspicabor autem, Deo iuuante, uitam Themistoclis cras hora sexta matutina, & operam dabo, ut ante Paschatis ferias eius interpretationem absoluam 23. Martij. Anno 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS M. ERASMVS REINHOLDVS.

ANnus hic est à primo Pascate, quod Israëlitæ exituri ex Aegypto celebrarunt 3059. Tot annos continua serie & seruauit filius Dei Ecclesiam suam, & agnoscere, ac celebrare eam sua beneficia uoluit. Seruabit etiam deinceps hanc ipsam ob causam, ne in ge-

nere

nere humano extinguatur uera ipsius noticia, et inuocatio Dei. Sed proh dolor, ut Sol medio die lucem amisit, & contra naturæ ordinem subitæ tenebræ fuerunt, cum in cruce filius Dei penderet, ita in hac mundi senecta tristes tenebræ erunt im magna parte generis humani. Erunt tamen exiguæ reliquiæ, quæ uocem Euangelij sonabunt.

Et quia uera Dei Ecclesia in cœlis & in terra hoc ipso tempore de mirando consilio redemptionis generis humani colloquitur, & iusticiam ac misericordiam Dei considerat, agit gratias in cœlo & in terra, & in his nostris ærumnis in terra sustentat se inuocatione, fide intuens filium Dei resuscitatum, regnantem ad dextram æterni Patris: nos quoq;, qui certe sumus ueræ Ecclesiæ Dei membra, adiungamus ad uniuersæ Ecclesiæ uocem, & nostros gemitus, & gratiarum actionem, precationem.

Tibi omnipotens Deus, æterne & unice Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cœli et terræ, & Ecclesiæ tuæ angelicæ & humanæ, unà cũ Filio tuo Domino nostro Iesu Christo & Spiritu sancto tuo, sapiens, bone, ucrax, iuste, misericors, caste, liberrime, gratias agimus, quòd te generi

humano

humano immensa bonitate patefeciſti, quòd mirando et inenarrabili conſilio filium uoluiſti pro nobis fieri deprecatorem, & uictimam, & nos propter eum recipis, & reddis nobis iuſticiam & uitam æternam, in qua, tua conſuetudine, tuo conſpectu, tua ſapientia & bonitate in omni æternitate iæti fruemur, ac Spiritu tuo ſancto iam in nobis accendis initia tuæ lucis, & iuſticiæ.

Te etiam ardentibus uotis oramus, ut propter filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, perpetuo tibi Eccleſiam inter nos colligas, quæ te uere inuocet, & nos ipſos clementer recipias, & Spiritu tuo ſancto gubernes, noſq; uaſa miſericordiæ efficias ſalutaria nobis & Eccleſiæ.

Tibi quoq; Domine Ieſu Chriſte fili Dei unigenite, crucifixe pro nobis & reſuſcitate, Imago æterni Patris, gratias agimus, quòd immenſo amore humani generis pro nobis in illo arcano conſilio diuinitatis deprecatus es, ac iuſtiſſimam iram, quam ſuſtinere nulla creatura poterat, in te deriuaſti, & es aſſiduus pro nobis deprecator καὶ μεσίτης. Hæc tua ingentia beneficia, quanquam eorum magnitudo longe ſuperat omnium Angelorum & hominum ſapientiam, tamen ut infantuli reuerenter cogitamus & recitamus,

tamus,

tamus, sicut uis ea in Ecclesia commemorari, tes ardentibus uotis oramus, ut nos recipias, & pro nobis apud æternum Patrem intercedas, & nos Spiritu tuo sancto gubernes, & accendas in nobis ueram inuocationem & cæteras uirtutes.

Hæc uota quotidie repetenda sunt, sed nunc cum Ecclesia prolixius recitat historiam mortis & resurrectionis filij Dei, sint magis crebra, & ardentiora, quod ut fieri possit, mentes, ut debemus et possumus, ad cogitationem componamus, sicut Paulus inquit, Ambulate accurate, non ut fatui. Consideremus iram Dei ueram & horrendam aduersus peccata, quam etsi ostendit in omnibus calamitatibus generis humani, morte, morbis, excidijs urbium, gentium dissipationibus, & uastationibus: tamen iræ magnitudo nulla in re magis conspicitur, quàm in horrendis filij cruciatibus & morte.

Cumq; uera inuocatio fieri non possit, donec corda fugiunt Deum, sensu iræ deterrita, statuamus uerissimè nos recipi propter Filium gratis, statuamus quod uerissimum est, in immensum EXVBERARE GRATIAM SVPRA PECCATVM, & Filium DEI resuscitatum

Iuſcitatum pluris faciamus, quàm regnum pecca ti, qui victor in triumpho oſtendit ſe triſtem ſen= tentiam, qua damnati fueramus, abolere. Suſpen= ſum eſt enim de cruce chirographum, ut Paulus inquit. Erecti igitur fide & lætitia, accedamus ad Deum, & ſalutaria petamus, & ut Deus in ira ſua iuſtiſſimà miſericordiæ recordetur ore= mus. Alantur etiam timor & fides cogitatione cauſarum mirandi conſilij de redemptore, qua= rũ cognitio etſi in illa æternitate erit illuſtrior, cum coràm fruemur ſapientia Dei: tamen hîc initia diſcere neceſſe eſt. Suntq; ſex præcipuæ cauſæ.

Prima, Cum genus humanum peccauerit, or= do iuſticiæ erat, ut homo innocens, pœnam pro alijs lueret.

Secunda, Vt ſit æquiualens precium, congruc= bat redemptorem eſſe Deum.

Tertia, Tanta moles eſt iræ Dei, ut nec An= geli nec homines ſuſtinere eam poſſint, Quare Filius, qui eſt omnipotens, factus eſt victima. Hanc cauſam ſæpe cogitemus, de qua, ſenſus iræ Dei pios in contritione commonefacit, de qua in= quit Ezechias, Sicut Leo contriuit omnia oſſa mea.

Quarta, Mediatoris eſt ingredi in Sanctum

Sanctorum, id est, conscium esse arcani consilij diuinitatis. Hoc congruit naturæ omnipotenti.

Quinta, Natura finita non poterat esse uictrix mortis.

Sexta, Redemptor est custos Ecclesiæ suæ, Vbiq; gemitus omnium aspicit, exaudit inuocantes, interpellat pro eis, & seruat eos, Hæc sunt naturæ omnipotentis.

Harum causarum consideratio excuscitet in nobis timorem & fiduciam, & hoc modo accedentes ad Deũ, certò experiemur inuocationem non esse irritam. Et quanquam initium fidei exigua scintillula est: tamen & necessarium est & efficax, & subinde repetamus hanc uocem, Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meæ. Hi agones sint noti bonis mentibus, & hoc præsertim tempore in summis Ecclesiæ periculis inuocatio sit ardentior.

Mandamus autem omnibus Magistris & auditoribus, ut gratitudinis significationem erga Euangelij Ministros ostendant, & munera ad aram adferant. In Pascate.

Anno 1550.

Rector

ANNO 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS MAGISTER ERASMVS REINHOLDVS.

NVlla ætas mundi habuit magis mirandum ſpectaculum, quàm hi quadraginta dies, quibus Filius Dei, poſtquam reuixit, & alij multi tunc reuocati in uitam, familiari conſuetudine apud Mariã, Apoſtolos, et eorum amicos uerſati ſunt. Ibi ſæpe aſſederunt, Heua, Sara, Rachel & aliæ ſimiles matronæ apud Mariam, & eius ſororem, & earum familias, & narrarunt ſui temporis ærumnas & liberationes, & de æternis bonis diſſeruerunt. Hæc dulciſſima colloquia horum dierum quotidie iam cogitemus, & cogitatione horum teſtimoniorum, confirmemus adſenſionem de Reſurrectione mortuorum, ac totum hoc tempus ducamus eſſe diem paſcatos. Cum igitur officium offerendi munus ad aram dilatum ſit, mandamus, ut hodie ſinguli ſua munera ad aram afferant, hac ſignificatione oſtenſuri, gratitudinem & reuerentiã erga Euangelicum miniſterium. Hæc officia ſcitis ad exemplum pertinere. Et uirtus

est digna bonis mentibus, uenerari ministerium Euangelicum, et alios ad similia officia inuitare. Die 7. Pascatos.

RECTOR ACADEMIAE IOHANNES FORSTERVS AVGVSTANVS, S. THEOLOGIAE DOCTOR.

VNa est hæc firma consolatio humanæ menti, & in huius uitæ ærumnis, & in aditu mortis, Agnitio filij Dei, qui inquit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Huic uitæ autori sciamus nos curæ esse, & in uitæ miserijs, & in morte, qui uarijs modis grassantes Diabolos aduersus nos reprimit, gestans uelut inclusas ipsius manibus nostras animas, easq; contra insidias & furores Diabolorum defendens. Hanc consolationem teneamus infixam animis, & petamus, ut multos Ecclesiæ suæ milites seruet, & regat. Ideo enim uita longior expetenda est, ut & discamus doctrinam cœlestem, & propagemus, & simus utilia organa Ecclesiæ. Illos uerò, qui discedunt ex hac uita in inuocatione filij Dei, certò statuamus in æternam & dulcissimam consuetudinem cœlestis Ecclesiæ, ad

Dei

Dei & Domini nostri Iesu Christi conspectum traduci.

Cum autem heri ex hac uita in æternam illam ueræ sapientiæ scholam decesserit Ioachimus Sponsel honestus adolescens, & bene eruditus, cum se quotidie filio Dei ardenti inuocatione commendasset, petimus ut ad Funus eius hodie hora 4. in platea figulorum conueniatis, ut funeris ritus pie seruentur, et in hoc ipso congressu, singuli Ecclesiam, & suam uitam filio Dei commendent. Profecto sine auxilio diuino uita retineri non potest, ideo pericula nostra consideremus, & sit inuocatio ardentior, ut uitam nostram protegat filius Dei, gestans nos in suis manibus, & nos regat, ut uitæ nostræ cursus nobis & alijs salutaris sit. Datæ 4. Maij. Anno 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS D.

MEminimus uirum honestum Gregorium Burger, qui amplius triginta annis in hac præfectura, optima fide præfuit uectigalibus, ualde probari duci Friderico Electori, qui

ri, qui sapientissimè & grauissimè de hominum naturis, uoluntatibus, & moribus iudicabat. Etsi autem & nobis omnibus natu grandioribus in hoc oppido, huius uiri integritas nota est, eumq; & nostro iudicio dileximus: tamen propter grauissimum iudicium tanti principis, semper eum pluris fecimus. Vnius Aristidis arbitrio uniuersa Græcia censum institui uoluit, talis fuit de eo iusticiæ opinio. Ita & hic Gregorius in Vectigalibus poscendis, & custodiendis fidem & integritatem præstitit, fuitq; simul & principibus fidelis, & utilis reipublicæ in fabricandis & faciendis operibus, quorum ei conseruatio mandata fuit. Itaque grata commemoratione uirtus eius prædicetur. Fuit & in hac tota ciuili consuetudine iustus & beneficus, & uera inuocatione Deum coluit.

Talem ciuem cum amiserimus, etiam Reipub. causa doleamus, & Deum oremus, qui uerissime custos est humanæ societatis, ut nobis adsit, & gubernatores det idoneos & salutares.

Hortamur autem Magistros & scholasticos, ut hodie hora quarta ante ædes huius Gregorij ad Funeris cæremonias conueniant, in quibus singuli & uitam suam, & rempublicam Deo pijs precibus commendent. Die 14. Maij.

Rector

ANNO 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS DOCTOR.

HEri deceßit ex hac uita Michael Henße=lius natus in oppido Partpha ßito in ra=dicibus Carpati, qui iam annum uiceßi=mum attigerat, et cum eßet natura doctrinæ ca=pax, ßtudioße didicit linguas, latinam et græcam, & doctrinam Eccleßiæ, in qua non curioßas quæ=ßtiones ßeu dißputationes quærebat, ßed uolunta=tem Dei agnoßcebat de uera inuocatione. Ac fi=des eius & antea in regendis moribus, & nunc in hoc agone fulßit, in quo & placide obtempe=rabat Deo, & ße filio Dei aßidua inuocatione commendans, ac ßpe uitæ æternæ certa erectus, lætabatur ße in illam ueram & ßapientißimam Academiam cœleßtem dißceßßurũ eße. Cum igitur ßcriptum ßit, Beati mortui, qui in Domino mo=riuntur, ipßi quidem conßuetudinem filij Dei & Prophetarum, & aliorũ agminũ cœleßtium gra=tulemur, ßed tamen de uitæ huius mißerijs cõmo=nefacti, quæ et breuis eßt, et plena ingentiũ peri=culorũ et dolorum, oremus filiũ Dei, inßaurato=rẽ uitæ, ut nos regat, et ßeruet aliquos Eccleßiæ

milites, sicut scriptum est. Non mortui laudabunt te Domine.

Certissimum est enim, non posse uitam sine auxilio Dei retineri & gubernari. Hæc cum aliàs sæpe, tum uerò & in funeribus cogitanda sunt, & miscendi gemitus & precationes.

Fiet autem funus huic Michaeli Bartphensi hodie hora duodecima, ad quod Magistri & auditores conueniant ante eam domum, in qua ciuis honestus Matthias Carpophorus recens habitauit. Die 23. Maij.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS DOCTOR.

HOc anno 1550. Dei beneficio à prima illa Pentecoste, in qua uoce diuina inter tonitrua & fulgura Lex in arduo cacumine montium Sinai pronunciata est, celebratur Pentecoste 3059. Tot annos continua serie cum Ecclesiam Deus inter horrendas Imperiorum ruinas seruauerit, præsentiam eius in Ecclesia agnoscamus, & ei gratias agamus, & oremus cum, ut

eum, ut deinceps in his regionibus quoq; suos cœtus ipsum uere inuocantes seruet & regat.

Auditores nostros etiam hortamur, ut in his ipsis ferijs cogitent hæc miranda opera & testimonia Dei. Conditor naturæ Deus, ideo in utraq; Pentecoste fecit opera inusitata, extra naturæ ordinem, ut ostenderet signa, quæ conuincerent humanas mentes, ut fateri cogantur, & esse Deum, & curare genus humanum, & hanc doctrinam Ecclesiæ traditam, sine ulla dubitatione diuinam esse, & Deum uindicem esse spretæ huius doctrinæ.

Deinde & discrimen considerent. In priore Pentecoste Lex pronunciata est, cuius noticia etsi nobiscum nascitur, tamen propter multas causas eam Deus sua uoce recitauit. Primum, ne in hac caligine naturæ humanæ eam obliuisceremur. Deinde ut hanc ipsam naturalem noticiam sciremus radium esse lucis diuinæ sparsum in mentes nostras. Præterea, ut autoritas maior esset, cum sciremus & à Deo noua uoce propositam esse.

In Pentecoste altera manifeste effusus est Spiritus sanctus in pectora magni cœtus, qui sonabat & audiebat Euangelium.

Hic discrimina doctrinarum considerentur, Legis et Euangelij, & Deo gratias agamus, quòd depulit tenebras, quæ obscurauerant hoc discrimen, & obruerant beneficia filij Dei.

Postea hæc ipsa beneficia consideremus, petamus & amplectamur, & ipsam diuinitatem, sicut se nobis patefecit, agnoscamus & inuocemus. Etsi autem huius sapientiæ amplitudo exhauriri non potest: tamen uult Deus initia in hac infirma uita agnosci, uult nos ad æternam scholam præparari. Vult conspici suam erga nos paternam & immensam σοργήν.

Quid cogitari mirabilius ac maius potest? Cum conderet Deus humanum genus, transfudit in primos parentes illam flammam, qua Pater filium, & filius patrem diligit, ut nos quoq; diuinitati copulati essemus, ac simul in eos transfudit sapientiæ suæ radios, iusticiam & libertatem uoluntatis. Vero igitur & ardenti amore nos Deus dilexit, cum quidem & suæ essentiæ flammam, & bonorum, quæ in ipso sunt optima, radios in nos sparserit.

Hîc expauescant nostra pectora, & cogitemus, quantum malum fuerit Lapsus primorum parentum, quanta ingratitudo, cum Rectorem Spiritum

Spiritum ſanctum, & illa optima Dei munera excuſsit.

Etſi autem iuſtiſsima erat ira Dei: tamen uincit amor in filio, Is ſit pro nobis deprecator, ac ut iuſticiæ diuinæ ſatisfiat, induit humanam naturam, ſit frater, & transfert in ſeſe pœnam, & impetrat, ut nobis in hac tanta infirmitate reddatur Spiritus ſanctus, ut rurſus nos cum diuinitate copulet, reſtituantur nobis agnitio Dei, iuſticia, & uita æterna.

Sunt illuſtria teſtimonia diuini amoris erga genus humanũ, quòd hoc pulchrum domicilium cœlum & terram noſtra cauſa fabricauit, quòd nos alit, quòd tuetur hominum ſocietatem. Sed illa quæ recitaui, ſunt potiora et maiora, & Spiritus ſanctus effunditur in p[illegible]ora hominum, ut accendat agnitionem [illegible]s ueri amoris in Deo erga nos, & inflam[illegible]ctora, ut Deo credamus, ei gratias a[illegible]um celebremus, & inuocemus, petamus [illegible]eo omnia bona, diſcamus eum uelle coli hoc officio, ut uere ſtatuamus ipſi nos curæ eſſe, nos gratis recipi propter filiũ, diligi, regi Spiritu ſancto, & donari æterna ſalute.

Hæc quotidie in inuocatione cogitanda ſunt, ſed tamen in his feriis ſit maior atq; ardentior intentio animorum. Et hæc incendia in pectoribus uc-

bus uestris excitari à Spiritu sancto petite, ut scriptum est. Quanto magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Etsi clamitant pauida corda, nos tanto munere indignos esse: tamen hac uoce filij Dei confirmati, sciamus uelle Deum peti hunc gubernatorem. Et uerissimum est dictum Tauleri: Nunquam mens humana tam auida est ad accipiendum hoc bonum, quàm paterna σοργὴ in Deo auida est ad dandum.

Vt autem in cogitatione, & inuocatione sit intentio maior, non turbetur furoribus cupiditatum, ebrietate, aut alijs tumultibus, Sed modeste regite mores, quam diligentiam certe Deo debetis, & præstare potestis, præsertim cum simul uos iuuari, & gubernari Spiritu sancto petitis.

Non dubium est multorum pectora in hac ipsa Ecclesia, domicilia esse Spiritus sancti, Hi curent hoc tantum donum retinere, exercere, excitare, καὶ ἀναζωπυρεῖν, ut Paulus præcipit Timotheo. Intueantur oculi uulnera Ecclesiæ, quæ & multa & magna sunt, considerent pericula publica & priuata, & accendatur inuocatio, & ueris gemitibus petamus, ut inter nos Deus & colligat, & seruet Ecclesiam, regat discipli-

ſciplinam & ſtudia doctrinæ, & protegat hoſpitia. Hæc tanta bona in genere humano nequaquam conſeruari poſſunt, niſi Deo conſeruante. Et prorſus, ut ſcriptum eſt de prima mundi fabricatione, Spiritus Dei fouebat aquas, ita tunc ſeruatur Eccleſia, tunc fœlix eſt gubernatio, cum Spiritus ſanctus uelut incubans fouet hanc fragilem naturam, & ſit in conſpectu hæc imago de Spiritu fouente aquas, ſumpta ex narratione Moyſi, & ſæpe inter gemitus repetantur hæc uota.

piritus ut Domini naſcentia corpora fouit,
Cum manus artificis conderet ipſa Dei,
Sic foueat cœtus, qui Chriſti oracula diſcunt,
Accendatq; igni pectora noſtra ſuo.

Scitis autem gratitudinem deberi fidelibus miniſtris Euangelij, quorum uoce Spiritus ſanctus colligit Eccleſiam. Præcipimus igitur, ut cras ad Aram ſinguli munus adferant, ut exemplo ueſtro & alij inuitentur ad reuerentiam & gratitudinem erga Euangelij miniſtros.

RECTOR ACADEMIAE
VVITEBERGENSIS IOHANNES
FORSTERVS DOCTOR.

Etſi

Etsi magnitudo periculi dehortari singulos debebat, ne in flumine natarent, præsertim cum fere quotannis uadosum & infidũ flumen Albis, aliquos uorticibus suis inuolutos, extinguat: tamen partim petulantia propria, partim insidijs Diaboli impulsam iuuentutem ruere cœcam in multa pericula, magno cum dolore uidemus.

Est autem nostri officij & monere iuniores, & seuerè prohibere natationes, quod profecto paterno animo facimus, Ac primum præcipimus, ut de uoluntate Dei, & de parentum uestrorum sollicitudine cogitetis. Custos est uitæ nostræ, & sæpe cum temere nos in periculum proijcimus, seruat tamen, sed displicet ei temeritas, & uult in nobis etiam aliquam esse curam tuendæ uitæ, ac punit temere ruentes in pericula, sicut scriptum est: Qui amat periculum, in eo peribit. Peccant igitur spreta uoce Dei, & accedunt alia multa peccata, uiolantur mandata parentum & nostra, & ingenti dolore adficiuntur parentes, & ipsa Ecclesia, propter interitum eorum, quos mirifica σοφγ̃ diligimus.

His tantis peccatis onerant se isti miseri, ex quibus an in illa subita morte eluctentur, ualde dubium

dubium est. Ideo non solum hanc corporis mortem, sed etiam iram Dei, qua in omni æternitate hostes Dei eritis, & horrendos cruciatus pœnarum metuite. Cogitate hoc quoq; , Diabolum uobis insidiari, et conari corpora & animas perdere. Quare maxima cura & diligentia hæc pericula uitanda sunt. Et hoc edicto, diuina & paterna autoritate prohibemus natationes in Albi, & uos propter Deum & parentum erga uos pietatem obtestamur, ut nostro edicto obtemperetis.

Honestum exercitium uirtutis est, & Deo gratum, & uobis utile, frenare petulantiam, & quadam curiositate, & circumspectione uitare occasiones malarum rerum, sicut Paulus inquit, βλέπετε οὖν πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε, μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλα ὡς σοφοί. Audimus etiam quosdam in ripa interdum tumultus excitare, & impedire operas, aut molestos esse piscatoribus. Hæc nequaquam decent hospites. Ideo mandamus, ut uniuersi etiam modestiores sitis, & iura hospitalia non uioletis. Die 8. Iunij.

Rector

Etsi magnitudo periculi dehortari singulos debebat, ne in flumine natarent, præsertim cum fere quotannis uadosum & infidũ flumen Albis, aliquos uorticibus suis inuolutos, extinguat: tamen partim petulantia propria, partim insidijs Diaboli impulsam iuuentutem ruere cœcam in multa pericula, magno cum dolore uidemus.

Est autem nostri officij & monere iuniores, & seuerè prohibere natationes, quod profecto paterno animo facimus, Ac primum præcipimus, ut de uoluntate Dei, & de parentum uestrorum sollicitudine cogitetis. Custos est uitæ nostræ, & sæpe cum temere nos in periculum proijcimus, seruat tamen, sed displicet ei temeritas, & uult in nobis etiam aliquam esse curam tuendæ uitæ, ac punit temere ruentes in pericula, sicut scriptum est: Qui amat periculum, in eo peribit. Peccant igitur spreta uoce Dei, & accedunt alia multa peccata, uiolantur mandata parentum & nostra, & ingenti dolore adficiuntur parentes, & ipsa Ecclesia, propter interitum eorum, quos mirifica σοφίᾳ diligimus.

His tantis peccatis onerant se isti miseri, ex quibus an in illa subita morte eluctentur, ualde dubium

dubium est. Ideo non solum hanc corporis mortem, sed etiam iram Dei, qua in omni æternitate hostes Dei eritis, & horrendos cruciatus pœnarum metuite. Cogitate hoc quoq; , Diabolum uobis insidiari, et conari corpora & animas perdere. Quare maxima cura & diligentia hæc pericula uitanda sunt. Et hoc edicto, diuina & paterna autoritate prohibemus natationes in Albi, & uos propter Deum & parentum erga uos pietatem obtestamur, ut nostro edicto obtemperetis.

Honestum exercitium uirtutis est, & Deo gratum, & uobis utile, frenare petulantiam, & quadam curiositate, & circumspectione uitare occasiones malarum rerum, sicut Paulus inquit, βλέπετε οὖν πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε, μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλα ὡς σοφοί. Audimus etiam quosdam in ripa interdum tumultus excitare, & impedire operas, aut molestos esse piscatoribus. Hæc nequaquam decent hospites. Ideo mandamus, ut uniuersi etiam modestiores sitis, & iura hospitalia non uioletis. Die 5. Iunij.

Rector

ANNO 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS DOCTOR.

HEri deceßit ex hac uita honeſtus adoleſcens natus Poſnaniæ, honeſti ſenis filius Georgius Vuitzba, cuius & mores pij, & caſti, & pleni officij fuerunt, cum recte ualeret, & mens pietatem in morbo oſtendit, cum ſe ardenti, & aßidua inuocatione Deo, fiducia mediatoris commendaret. Itaque non dubitemus, eum in eo numero eſſe, de quo dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Hæc eſt uera & firma conſolatio, longe ſuperans eas conſolationes, quas Philoſophia colligit. Hanc conſolationem, ut ſenex Pater legens mortem filij ſui, qui cum fuerit ὀφθαλμός, charißimus ei fuit, opponat mœrori ſuo, optandum eſt. Ac Deum oremus, ut ipſe leniat patris dolorem. Vos autem & paterni luctus cogitatione affici decet, & dolere, quoties ingenia bonæ ſpei ex hac uita, & ex hac militia gubernationis auferuntur, & à Deo petere, ut aliquos ſeruet uſui futuros Eccleſiæ & Reipublicæ, ſicut ſcriptum eſt. Non mortui laudabunt te Domine.

Nam

Nam uitæ propagatio præcipue propter has causas petenda est, ut discamus doctrinam de Deo, & cum celebremus, ut in longiore uita crescant uirtutes, & assensio fiat firmior, & ut alijs seruiamus in docendo, & gubernatione uitæ.

Nobis autem huius Georgij funus reuocat lactum ueterem. Nam Dei beneficio nullus scholasticus ex inclyta Polonorum gente mortuus est antea, præter Anianum, qui huc à uiro nobilissimo & eloquentißimo Iohanne Lascio missus est.

Fuit autem in Aniano natura omnium doctrinarum capax, & multarum linguarum, Græcæ, Latinæ, Ebreæ, Polonicæ, Gallicæ & Germanicæ cognitio, Et latine scribens, formam Ciceronianæ orationis fœliciter imitabatur. Et ad hæc studia, cognitionem iuris, Philosophiæ, & doctrinæ cœlestis addebat. Ad has naturæ & ingenij dotes adiunxerat & maius decus, pietatem, & ueram inuocationem Dei, & in moribus iusticiam, & modestiam eximiam. Hoc tanto ingenio orbati, nunc quoq; iacturam Reipub deploramus. Oremus autem Deum ardentibus uotis, ut talia bona ingenia Ecclesiæ seruet, & uoluntates copulet, ut simus unum in ipso.

Funus autem fiet Georgio, hodie hora 4. ad quod conueniant scholastici in foro ante ædes Christiani Beyeri, ut in funeris cœremonijs, de causis mortis, & de redemptione, & de uentu= ro iudicio cogitemus, & singuli uitam suam, & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent. Die 10. Iunij.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS DOCTOR.

PRorsus imago gubernationis diuinæ pro= posita est in exitu ex Aegypto. Incedit Deus per uniuersam Aegyptum, & inter= ficit primogenita. Parcit autem ijs, quorum limi= na conspersa sunt cruore agni. Ita omnibus tem= poribus per totum genus humanum incedit Deus multis exemplis, ostendens iram, et puniens ma= gnam partem generis humani. Interea tamen colligens Ecclesiam in cœtu sonante uocem Euangelij.

Considerate ordine imperiorum seriem, in quorum mutationibus quantæ uastationes fa= ctæ sunt? Cum Cyrus pulcherrimas urbes Ioni= æ deleuit, multa milia hominum simul in mare de=

mersa

merſa ſunt, & pauci ſuperſtites ſedes in alijs regionibus quæſiuerunt.

Secuta ſunt bella ingentia Alexandri, Romanorum, Saracenorum, Gothorum, Vandalorum, Attilæ, qui in Germania, Gallia, & Italiâ tunc magnas urbes penè omnes ſolo æquauit.

Deinde Turci ſolitudinem in Aſia & Græcia fecerunt, Ac nunc Athenæ ſunt exiguus pagus. Ita Sibylla prædixit de poſtremis temporibus, καὶ ῥῶμη ῥύμη ἔσεται καὶ δῆλος ἄδηλος. Ac uult Deus nos agnoſcere cauſas tantarum pœnarum, & petere mitigationem, ſicut inquit filius Dei de poſtremis temporibus, δεόμενοι, ἵνα καταξιωθῆτε ἐκφυγεῖν ταῦτα πάντα τὰ μέλλοντα γίνεσθαι. Nec ſunt irritæ preces inuocantium Deum. Ideo nunc quoq; calamitate magna uicini oppidi Herzberg, quod conflagrauit, commonefacti, ſimus modeſtiores, & Deum oremus, ut in ira ſua iuſtiſſima miſericordiæ recordetur, nobis adſit, & nos clementer regat et cuſtodiat, & erga miſeros in uicinia liberalitatem exerceamus.

Hæc autem ideo nunc ſignificamus, ut uos inſtruatis, ut cras conferre elemoſynam poßitis, cum circumibunt quidam petituri, ut uicinis in

hac tanta calamitate opem ferat is. Pro talibus officijs Deum uicißim benefacere inuocantibus ipſum non dubium eſt, quia uerißima eius uox eſt. Beati miſericordes, quia uicißim erga eos miſericordia exercebitur. Die ſolſticij æſtiui.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS DOCTOR.

HEri deceßit honeſta matrona, uidua, mater honeſti uiri, & eruditi M. Petri Heinrici, quæ ſingulari pietate & materna σοφγῆ filij ſtudia fouit, & in his patriæ calamitatibus mœſticia paulatim conſumpta eſt. Nunc fortaßis eò ex hac uita euocata eſt, ne ſpectatrix eſſet maiorum uaſtationum, quæ impendent, ſicut ſcriptum eſt, Iuſti tolluntur, ne uideant ſecuturas calamitates. Fiet autem ei Funus hora 4. Quare ſcholaſticos hortamur, ut ante ædes ipſius non procul à collegio ſitas conueniant, & Deum orent, ut hanc Eccleſiam, & ſtudia utilia Eccleſiæ in his magnis periculis tueatur, ſicut texit cunas Iohannis Baptiſtæ, & Matrem puerperam, & Patrem ſenem Zachariam, & ſimilium tuguriola tunc in Iudæa, cum ibi peßimarum

rum gentium latrones uagarentur, Arabici, Parthici, Syriaci, Aegyptij & Romani. Toto pectore omnipotens æterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi oramus, ut in hoc tanto periculo nos protegas, quos uides non habere præsidia humana ulla, sicut nec ullis humanis præsidijs illa turiola sanctorum tunc in Iudæa defendebantur. Itaq; ad aram tuam confugimus, et spe auxilij tui nos sustentamus. Pridie Ioannis Baptistæ.

DECANVS COLLEGII THEOLOGICI.

VT cunas Iohannis Baptistæ, ut matrem puerperam, & ancillulam puerperæ Mariã grauidam, ut cæteras sanctas matronas, forma, uirtute, & sapientia præstantes, passim uagantibus petulantissimis militibus, defendit Deus æternus Pater Domini nostri IESV CHRISTI *conditor cœli & terræ, ita nunc quoq; seruet hanc Ecclesiam in magnis periculis & doloribus inuocantem ipsum, nec sinat extingui doctrinæ suæ studia, cum quidem uidemus nos nulla habere præsidia. Optandum est autem & hoc, ut præcipuè in Academijs, ubi sunt doctorum cœtus, collocentur fideles custodes ueræ*

doctrinæ. Speramus itaque diuinitus factum es-
se, ut Magister Iohannes Aurifaber Vratislaui-
ensis, uir integerrimus, præclare instructus eru-
ditione, & recte institutus in uniuersa doctrina
Ecclesiæ, ac iudicio ualens, & uera pietate De-
um colens, in inclytam Academiam urbis Rosto-
chiæ uocatus sit.

Sanxit autem & uetus Ecclesia bono consi-
lio, ne qui inexplorati, & sine testimonijs ad do-
cendum in alijs locis admittantur. Ideo & col-
legium nostrum explorauit eruditionem M. Io-
hannis aurifabri Vratislauiensis, & testimonium
publicum ei post biduum tribuet, uidelicet die
Iunij 26. ac decet hanc testimoniorum renuncia-
tionem publicam esse. Ideo totum cœtum schola-
sticum hortamur, ut renunciationi eo die inter-
esse uelit. Et cum in his congressibus non solum
commonefactio fiat, sed etiam pia prædicatio,
nobiscum uota faciant, ut Deus clementer seruet
Ecclesiam in his regionibus, & pœnas mitiget,
& pacem nobis concedat, nec sinat fieri uasta-
tiones, sed salutaria doctrinæ studia, ueram in-
uocationem, & honestam disciplinam apud nos
propter filium Dominum nostrum Iesum
Christum conseruet. Die Iohannis
Baptistæ.

Rector

ANNO 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS DOCTOR.

DEcessit ex hac mortali uita uir honestus, & eruditus Magister Martinus Tesernicus Bolislauiensis, cuius eximia fuit modestia in tota uita, & uera inuocatione Deum coluit, qua nunc etiam in hoc agone se Deo assidue commendauit, fiducia mediatoris Domini nostri Iesu Christi. Docuit Euangelium fideliter in oppido Crossa, quã uolebat uere esse κρόσσον, id est, fimbriam tunicæ Christi, hoc est, Ecclesiæ Christi partem & ornamentum. Tales uiros extingui doleamus, & Deum oremus, ut ipse extrudat idoneos ἐργάτας in suam messem, & seruet Ecclesiam suam, & doctrinæ studia.

Hæc precatio etiam hodie in funere huius Martini Tesernici repetenda est, ideo petimus, ut scholastici ante eius hospitium, quod fuit non procul à collegio, hodie hora 4. conueniant. 20. Iulij.

ANNO 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS D.

EST omnino voluntas Dei, ut sit in hac vita aliqua Ecclesia, & propter hanc servat hospitia, politias, & œconomias aliqua ex parte. Sciamus igitur tres esse causas, cur expetenda sit vita longior.

Primam, ut discamus doctrinam de Deo, & membra fiamus Ecclesiæ.

Secundam, ut longiore vitæ spacio in assiduis exercitijs cognitionem doctrinæ confirmemus.

Tertiam, ut adiuuemus propagationem doctrinæ, & Ecclesiæ societatem, in educatione sobolis, & alijs multis officijs. Hos fines intuemur, & Deum oremus, ut nos seruet & regat, ac faciat nos σκεύη ἐλέους.

Ac cœperat iam seruire Ecclesiæ vir honestus, & eruditus, Vrbanus Acestes, Liebenuuerdensis, sed Deus cum ex cursu in cœlestem Ecclesiam traduxit, adhuc florentem ætate.

Heri enim pie decessit in ardenti inuocatione, &

ne, & fiducia filij Dei, quæ tranquillitatem animi eximiam in eo effecerat, cum quidem subinde repeteret hoc dictum. Qui credit in filium, habet uitam æternam. Tali migratione ex his ærumnis ad illam cœlestem, sapientißimam, & dulcißimam consuetudinem, nihil est optabilius. Sed tamen in hac uita necesse est aliquam esse Ecclesiam, & aliquos uiuere, ut dicitur. Hoc facite, donec ueniam. Ideo oremus Deum, ut bonis ingenijs uitæ spacia concedat longiora. Id in funeribus etiam cogitandum est. Fiet autem Funus huic Vrbano hodie hora quarta, hortamur igitur scholasticos, ut ante eius hospitium prope macellum conueniant, & pia precatione nos ipsos singuli & totam Ecclesiam Deo commendemus. Postridie Iacobi.

IN THEODOSII SPHAERICA M. ERASMVS REINHOLDVS.

EXtat liber Theodosij de doctrina sphærica, qui propter utilitatem ab artificibus ualde laudatur. Et autor uetus est, natus in Phœnicum urbe Tripoli, quæ fuit Colonia Sydoniorum, Tyriorum, Aradiorum. Semper au-

Item in illis locis propter Nauigationem & mercatum, magna studia fuerunt mathematum, quia ad Nauigationem necessaria est stellarum & Cosmographiæ cognitio, & opus est geometris propter ædificationes, mensuras, pondera. Et scitis magnas mercium rationes sine arte Arithmetica non posse explicari. Imo singulari beneficio Dei gentes illæ suos quosdam impetus ad eas artes & cognatas habuerunt. Ibi & Sydonij inuenerunt rationem uitri ex arenis excoquendi, cuius corporis pulchritudo admiranda, & utilitas multiplex est. Imo & Salomon inde artifices accersiuit.

In ea regione cum Theodosius natus fuerit, consentaneum est summorum artificum auditorem fuisse, postea et ipsum fuisse artificem unum de præcipuis, certe extructio doctrinæ, & totum σύστημα, ostendit, & potuisse eum & uoluisse hanc doctrinam ordine illustrare. Nec sine his fundamentis demonstrationes Ptolemæi intelligi possunt.

Ideo ut in inclyta Academia Viennensi doctissimi homines curauerunt hunc librum Theodosij edi & enarrari, ita nostris auditoribus cum familiarem facere cupio. Et horas ita distribuam, ut in septimana prioribus diebus duobus de-

creuerim enarrare Theodosium, Deinde sequentibus diebus enarrabo dulcissimam proportionũ doctrinam Quinti Euclidis. Postea Deo iuuante, redibo ad Ptolemæi enarrationem.

Etsi autem magni terrores sunt in Repub. tamen oremus Deum, ut in ira iustissima, misericordiæ suæ recordetur, & non sinat deleri studiorum piorum hospitia. Et non erunt irriti gemitus inuocantium eum propter filium, ut doctrinam Ecclesiæ utilem tueatur.

Quanquam enim propria quædam est Ecclesiæ doctrina: tamen & hæ nostræ artes de Numeris, mensuris, Anni ratione, diuinitus ostensæ sunt, quod uerissimum est, & semper in Ecclesia Dei conseruatæ sunt. Nec ulla in toto genere humano extat Annorum series perpetua, nisi in Ecclesia, Itaq; & deinceps, sine ulla dubitatione Deus conseruabit has artes in sua Ecclesia, sed uult, ut gubernator, nostrum laborem, ceu Remigum accedere. Et tantisper inter nos erit Ecclesia, & erit erudita, dum nos ad ueram inuocationem studia doctrinarum adiungemus.

Vult Deus agnosci aliquo modo ab hac infirma natura suam sapientiam, uult conspici rerum ordinem.

ordinem, ut conuicti fateamur esse Deum mentem architectatricem rerum, & sapientem, ueracem, iustum, beneficum, castum, uindicem. Hæc sapientia in his artibus offertur, sicut uerissime dictum est, gratam de Deo famam in artibus sparsam esse, κρὶ θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν, id est, naturæ & doctrinarum ordinem, sua sapientia & bonitate conseruare. Itaq; propter agnitionem & gloriam Dei has artes amemus.

Sunt autem aliæ utilitates harum artium in tota uita plurimæ, quas nullius creaturæ, non Angelorum, non hominum eloquentia recitare omnes potest, Sed tamen si uitam quotidianam aspicimus, multas utilitates cernere possumus, & si communem consociationem amamus, cogitabimus honestum esse, has artes conseruare, & posteris tradere, quod ut facere studeatis, uos adhortamur.

Oramus etiam Deum æternum patrem Domini nostri IESV CHRISTI, ut ipse sua immensa bonitate inter nos semper sibi æternam Ecclesiam colligat, & ei hæc sua dona largiatur, uocem Euangelij incorruptam, & artes quæ sunt Ecclesiæ ornamenta, & illustria de ipso testimonia, & humanæ societatis & ordinis nerui, qui

ui, qui ab ipso uerissime monstrati sunt, & ab ipso conseruantur. Huic uero Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi, conditori cœli & terræ & hominum, unà cum Filio Domino nostro Iesu Christo & Spiritu sancto, fonti sapientiæ, sit laus & gloria & gratiarum actio in omni æternitate.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI PAVLVS EBERVS.

Cvm peperit sterilis despectaq; mater Elisa,
Zachariæ casto fœdere iuncta seni.
Præsidijs cunas tunc auxiliaribus orbas
Baptistæ, patrio texit amore Deus.
Enixaq; patrem cum coniuge fouit inermem,
Qui natum norant non procul esse Dei.
Palantesq; licet tota regione Latrones
Terrebant castos, impia turba, thoros.
Herodesq; noui lacerabat uiscera regni,
Et nece uirginea sæpe madebat humus.
Est defensa tamen cum sanctis Virgo puellis
Et nuribus, Sobolem iam paritura Dei.

Iordanisq;

Iordaniisq; procul ripam inter tela pererrat,
Cognatam ut possit uisere Virgo suam.
Ab blandis quoties Baptistam fouit in ulnis,
Excepitq; suo membra tenella sinu.
Ipse etiam pura nascens tunc Christus in aluo,
Iam præcurforem sensit adesse suum.
Effuditq; sacros Baptistæ in pectora flatus,
Inq; meum, dixit, cresce ministerium.
Cresce puer, priscis dudum prædicte Prophetis,
Vt Domino possis præuius ire tuo.
Ergo inter uarios ceu tunc diuinitus hostes
Defensa est uerum turba professa Deum.
Sic nunc cum toties ciuilia bella mouentur,
Panicus & terror pectora sæpe ferit.
Ah pacem studijs Deus hîc concedat honestis,
Excubiasq; suo pro grege Christus agat.
Bella salutari commutet tristia pace,
Et mala de patrijs publica pellat agris,
Barbaries rursus ne squalida deleat artes,
Extinguat ueri noticiamq; Dei.
Nos tamen & nostras operas urgere necesse est,
Rectores studij quos iubet esse Deus.
Doctrinam idcirco nunc explorabimus horum,
Censuram nostram qui subijsse uolent.
Non labor his noster, non officiosa uoluntas
Deerit, ubi dederint nomina, more Scholæ.

Hæc

ANNO 1550.

Hæc modo sit bonitate tua Myrmecia tecta
O Christe æterni gnate & imago patris.

Die Visitationis sanctarum Matronarum.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI PAVLVS EBE-

rus collegis suis & alijs uiris honestis & eruditis S. D.

Nihil pulchrius ac dulcius est congressibus honestorum & doctorum uirorum, in quibus fit placida collatio iudiciorum, & sententiarum de Deo, & de rebus bonis. Ac imago quædam æternæ illius consuetudinis in Ecclesia Christi sunt hi piorum congressus. Ideo & libenter conueniamus, & filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oremus, ne literarum doctrinam Ecclesiæ necessariam extingui sinat, & ut clementer hunc cœtum tueatur.

Cum autem hodie ad publicum examen eorum, qui gradum magisterij petunt, conuenturi simus hora prima, hortamur omnes doctores, Magistros, & alios honestos, & doctos uiros, ut eò accedant, & ostendant se quoq; tales congressus amare.

amare. Ac ſperamus eis uoluptati fore quorundam eruditionem, qui examinantur.

Donec Deus concedit, hæc ſtudia omnibus officijs ornemus, & cum illud uſitatum ſit κολοιὸς πρὸς κολοιὸν ὡς φίλον, multo magis nos libenter conueniamus, ut ſimul & gloriam Dei celebremus, & de doctrinis colloquamur. Et hoc quidem tempore in his publicis miſerijs quædam leuatio eſt doloris amici colloquium, ut dicitur in his dulciſſimis uerſibus Græcis.

Γέρων γέροντι γλῶτταν ἡδίστην ἔχει,
παῖς παιδὶ, νεᾶνις νεάνιδι πρόσφορον γνώμην,
νοσοῦντι τ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δύστηνος ἀθλίῳ.

Die Donati.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI PAVLVS EBERVS S. D. LECTORIBVS.

VT Halcyon in media bruma in ſcopulis marinis incubat ouis, & pullos excludit, & quidem diebus aliquot uenti et fluctus

quaſi

quasi cedentes Halcioni incubanti, minus feriunt scopulos, & nidos in eis extructos. Ita Ecclesiæ colligenti & docenti suos cœtus inter ruinas imperiorum, & ingentia pericula, filius Dei immensa bonitate aliqua hospitia præbet, cui tegenti hos nostros nidulos gratias agimus, eumq; uocis gemitibus oramus, ut diutius nos regat & seruet. Ipse enim cum sit καρδιογνώστης, introspicit pectora nostra, & scit nos optare, nè barbarica uastitas fiat, sed ut sint Ecclesiæ, rectè ipsum inuocantes, & luceat in eis doctrina necessaria. Huc cum spectent uota & labores nostri, oramus eum, ut faciat nos σκεύη ἐλέους, & nos hac consolatione sustentamus, quæ extat apud Paulum, ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενὸς ἐν κυρίῳ. Hanc eandem consolationem & honestis auditoribus proponimus.

Etsi gubernatores leuiter curant doctrinam, multi etiã centauri & cyclopes oderunt: tamen sciant scholastici Deo placere hunc discendi laborem, & ei curæ esse agmina docentium & discentium, qui perficiet etiam, ne sint irriti labores, sed ut fideles scholastici sint palmæ fructiferæ, sicut Psalmus inquit, quarum ne folia quidem marcescant. Hac spe honestas artes recte di-

ſcite, & hanc ipſam ſapientiam illuſtre teſtimonium de Deo eſſe ſtatuite, quod ſignificat, non caſu hoc pulcherrimum mundi opificium ex Atomis confluxiſſe, non naſci homines tantum ad huius uitæ miſerias, & confuſiones, ſed ſecutueram eſſe aliam uitam, in qua boni à ſceleratis ſeparati, fruentur ſapientia & bonitate Dei. Ad eam nos ſcholam in hac uita Deus præparari uult, nec erunt ulli συμφοιτηταὶ in ea Academia, niſi in hac uita initia huius cœleſtis ſapientiæ hauſerint.

Habemus igitur multas & neceſſarias diſcendi cauſas, propter quas & amemus doctrinam, & communes ærumnas ſapienter feramus. Nec dubitemus cyclopes, doctrinarũ hoſtes, et Eccleſiæ parricidas, ſcelerum ſuorum pœnas daturos eſſe.

Tteſichorus inquit, cicadas in campis ſonare Tyrannorum ſcelera, & querelas in cœlum perferre. Significat enim ruſticanæ plebeculæ querelas & gemitus à Deo exaudiri, cum graſſantur Tyranni, tacentibus ijs, quorum autoritas ualere debebat. Ita nunc uerè in campis cicadæ, miſeri paſtores, & ſcholaſtici ſuis gemitibus deplorant communes miſerias. Verũ et exaudit hos Deus, & leniet ærumnas, quod ut faciat, nos

quoque

quoque toto cum pectore oramus. Nam & nos pars sumus agminis illius τετιγωρ, sonantium iusticiæ doctrinam.

Cum autem decretum sit, ut Deo iuuante proximo die 14. Augusti, testimonium eruditionis & uirtutis, & Magisterij philosophici gradum publicè tribuamus 50. honestis & doctis uiris, quorum nomina hîc adscripsimus, petimus, ut ad illam renunciationem gradus, omnes doctores, Magistri, & auditores conueniant, quia sciunt hos congressus propter honestissimas causas institutos esse. Die Laurentij. Anno 1550.

M. PAVLVS EBERVS.

DEo iuuante cras hora tertia inchoabo enarrationem secundi libri Physices, qui etsi exigua initia continet: tamen inde iter est ad alias splendidiores materias, & scitis initia doctrinæ Physicæ necessaria esse, quæ non tantum Orpheus inter Argonautas suos canebat, sed etiam semper in Ecclesia summi doctores tradiderunt.

Adiungam autem librum de anima die Iouis & Veneris, qui de nouo retexetur, si scribere auditores non grauabuntur. Die 17. Augusti.

ANNO 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS DOCTOR.

NEmo rapiet oues meas ex manibus meis inquit filius Dei. Hac nos consolatione in his tam uarijs ærumnis sustentemus, & statuamus, nos uerissime filio Dei curæ esse, etiamsi uarijs periculis Ecclesiæ exercentur, minitantur Pontifices & eorum satellites bella, fiunt magnæ distractiones uoluntatũ propter dissidia & calamitates, multi præditi bonis ingenijs moriuntur. Hæc mala ut mitiget Deus, ardentibus uotis eum oramus. Extinctus est autem hac nocte inter uota & inuocationem honestus adolescens Iohannes Eberlin Francus, natus patre uiro honesto & erudito, qui fideliter rexit Ecclesiam in oppido inclyti comitis Vuertheim. Et scimus cum magna certamina & pericula propter Euangelium sustinuisse. Mater etiam huius adolescentis nata fuit nobili familia, cui nomen est ab Aurach, cuius matronæ excellens uirtus fuit.

Fiet autem Funus huic Iohanni mortuo horæ quarta, Quare hortamur scholasticos, ut tunc ante ædes uiri honesti M. Christophori Finck conueni-

conueniant, & pijs precibus singuli sese & Ec-
clesiam Deo commendent. 29. Augusti.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS DOCTOR.

VIdimus literas Caroli primi Imperatoris de Ecclesia Hamburgensi, in quibus præfatur se cum Saxonica gente pacem fecisse, ita ut gens Saxonica, retineret ueterem libertatem integram, sed tamen Deo in agnitione & fide Christi seruiret.

Ita tunc reges uictoriarum finem esse uolebant gloriam Dei, salutem animarum, gentium pacem, disciplinam, & libertatem legibus munitam, & ex Hamburga latè in Frisiam & Daniam, uoce Ansgarij Episcopi Hamburgensis, uiri docti, et Spiritus sancti testimonijs ornati, Euangelium propagatum est.

Tot iam annis, uidelicet fere octingentis, ea urbs & Ecclesia & piorum studiorum hospitium fuit, & nunc eximia pietate curat ibi Ecclesia purè doceri Euangelium, & liberalîter fouet

honeſta literarũ ſtudia. In eius urbis ſchola utiliter docuit Adoleſcentiam inter cæteros collegas doctos & honeſtos uiros, uir integerrimus & eruditus Georgius Ruſſan Vlcenius, Is heri deceßit ex hac uita, Vt autem antea ſemper Deum uera fide coluit, & fidem in inuocatione, ſtudijs, & caſtis moribus expreßit: Ita nunc in morbo, & Agone oſtendit, pectus ardere fiducia fili; Dei, & habere initia uitæ æternæ. Sæpe enim placidißime repetiuit hoc dictum. Gratia exuberat ſupra delictum, & ſe filio Dei ardentißimis uotis commendauit. Talis fides in Agone lucens, exempli cauſa conſideranda eſt.

Fiet autem Funus huic Georgio hodie hora quarta. Quare hortamur ſcholaſticos, ut tum ante ædes Martini Schenckij conueniant, & in funere de cauſis humanæ infirmitatis, & de periculis horum præſertim temporum, & de filio Dei cuſtodiente Eccleſiam cogitantes, accendant pectora ad ſeriam precationem, & ſeſe ſinguli & Eccleſiam ſeruari & regi à filio Dei petant, qui ſedet ad dextram æterni patris, ut dona det hominibus. Hunc ueris gemitibus oramus, ut nos protegat & gubernet. Die 7. Septembris. Anno 1550.

Rector

ANNO 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS DOCTOR.

IN lectione hodierna de filio Viduæ mortuo, & resuscitato, scriptum est, fuisse eum unicum filium Viduæ matris. Talis adolescens hodie decessit ex hac uita, Iohannes Frimmilius Epperiensis, filius unicus matris honestæ, orbatus patre ante annos aliquot.

Ideo autem attigit filius Dei pheretrum illius Adolescentis ad Naim, ut ostenderet, se uelle attingere mortem nostram, & attingens reuocat Adolescentem in uitam, ut testetur, se uere redditurum credentibus uitam æternam. Nec dubitamus hunc Iohannem traductum esse ad filium Dei, cui se alacri fide & spe in hoc agone sæpe commendauit. Et semper fuerunt eius mores pij, & studia colebat, ut Deum rectè agnoscere & celebrare posset.

Vt igitur populus in Naim comitabatur Funus, ita uos quoq; ad Funus, hodie hora quarta, in platea ubi est domus, quæ fuit templum Franciscanorum, conueniatis. Et singuli suam, & publicam salutem filio Dei commendent, & eũ orent,

ut ingentibus doloribus uiduæ, id est, uniuersæ Ecclesiæ medeatur. Nec alia gens nunc magis uidua est, quàm ALMANA, in qua hospitia sunt Ecclesiæ. Nam significat uiduam. Huic patriæ nostræ uere uiduæ, ut opem ferat filius Dei, precemur. XXI. die Septembris.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS DOCTOR.

IN ciuitatibus uagari peregrinos sine certis magistratibus, neq; honestum est, neq; tutum cæteris, & maxime oportebat eos, qui scholastici dici uolunt, hæc officia politica intelligere & amare propter exemplum, & ut suo quisque studio ostenderet, se communem consociationem libenter tueri. Qualis est enim uita sine ordine, sine gubernatore, sine legibus, sine honesta adiunctione ad suos cœtus?

Cum igitur multi sint in numero scholasticorum, qui nondum dederunt nomina rectori, proposuimus hoc edictum, ut moneamus tales, ut ad rectorem accedant. Si sunt nobiles, sciant maximè decere nobilitatem exemplo suo alios ad legum

gum amorem inuitare, nec aliorum licentiam confirmare, præsertim cum legibus nostris uere hoc præstare hi, qui eas nobis tradiderunt, uoluerint, quod Plato inquit, finem in omni legum latione oportere esse, uidelicet, ut noster cœtus & honestus sit, & tranquillus, sicut Plato etiam melius dicit.

ἡμῶν δ' ἡ τῶν νόμων ὑπόθεσις ἐνθάυτα βλέπει, ὅπως ἔσωνται οἱ πολῖται μάλιστα μὲν ἀγαθοὶ, ἡ δὲ ἀλλήλοις φίλοι.

Omnes igitur, qui nondum dederunt nomina Rectori, ad me accedant, ut ostendant, se magistratum scholasticum agnoscere, & edant nomina, ut inseri numero scholasticorum possint, Die Septembris. 25.

DECANVS COLLEGII THEOLOGICI. D. IOHANNES Bugenhagen Pomeranus in Academia Vuiterbergensi.

GRatias agimus tibi omnipotens Deus, æterne & unice Pater Domini nostri IESV CHRISTI, Conditor cœli & terræ, & hominum & Ecclesiæ tuæ, unà cum Filio

tuo Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu san-
cto tuo, sapiens, uerax, benefice, iuste, misericors,
caste, liberrime, quòd immensa bonitate propter
Filium Ecclesiam tibi in genere humano colligis,
& quòd ei Angelos tibi obedientes et castos ad-
dis custodes, teq; oramus, ut deinceps nos regas
& custodias. Et quia certißimum est, te uelle, ut
doctrina tua legatur & propagetur, fauere te
laboribus discentium, & te pie inuocantium non
dubitamus. Quare oramus, ut & cœtus discen-
tium protegas, & facias, ut simul cum castis An-
gelis tuis canant Hymnum Angelicum, Gloria in
excelsis Deo, & in terra pax, & Hominibus læ-
titia.

Gloriam Deo canant, id est, sint custodes ue-
ræ doctrinæ, ut uerus Deus, agnita eius ira &
misericordia propter Filium promissa, recte in-
uocetur & celebretur. Canant & pacem in ter-
ra, id est, ueræ Ecclesiæ consensum & consocia-
tionem sapienter foueant, quia motis dißidijs
multi fascinati erroribus à Deo deficiunt, & se
adiungunt Diabolis, qui serunt blasphemias ad-
uersus Deum. Vitare igitur dilacerationes ma-
gna cura studeant. Læticiam quoq; hominibus
adferant, uidelicet, ut sit inuocatio alacris, &
non impedita, & corda libenter ad Deum acce-
dant,

dant. Id fit cum lucet uera Dei agnitio, & retinetur Ecclesiæ concordia. Horum summorum bonorum nuncij sint Doctores, & discentes, una cum castis Angelis.

Cum autem uir integerrimus, genere & uirtute nobilis Georgius Venetus Prutenus, doctrinam Ecclesiæ hanc ipsam ob causam studiose didicerit, ut & ipse Deum uerè cum Angelis in omni æternitate celebret, & pia studia multorum iuuet, testimonium eruditionis ei tribuemus die Octobris secunda, quod cum publice renunciari deceat, petimus, ut omnes Doctores, Magistri & Auditores ad eam renunciationem conueniant, & ut fieri in talibus congressibus maxime decet, ueris gemitibus & uotis nobiscum Filio Dei sedenti ad dextram æterni Patris, ut dona det hominibus, commendent Eccclesiam, & petant, ut perpetuo sibi inter nos hæreditatem colligat, & studia docentium & discentium iuuet, & nos omnes Spiritu suo sancto regat, Sicut certissimum est, hæc uota eum postulare, & clementer exaudire, quia inquit, Quanto magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Datæ in festo Angelorum.

Rector

ANNO 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS D.

RECitatur hodie in lectione publica Ecclesiæ narratio de immani rabie diaboli grassantis aduersus Ecclesiam, simul etiam proponitur consolatio, uinci hunc hostem sanguine Agni, & per uerbum testimonij, id est, per Euangelij confessionem. Hanc summam & unicam consolationem teneamus infixam animis, & uoci Euangelij credamus, quæ adfirmat, nos defendi contra furores Diaboli per sanguinem Agni, sicut & alibi scriptum est. Semen mulieris conteret caput serpentis. Hac fide suam animam uir genere & uirtute nobilis, Petrus Kroll assidue Deo commendauit, qui non dubitans se ereptum esse á Tyrannide Draconis, per sanguinem Agni, ex hac uita heri decessit.

Quare hortamur scholasticos, ut ad Funus eius hodie hora quarta ante ædes honesti ciuis Francisci Den conueniant, & in hoc ipso congressu hodie cogitantes de horrendis furoribus Diaboli, & ingentibus periculis nostris, uota faciant, ut per filium Dei custodiamur & seruemur,

mur, qui inquit: Nemo rapiet oues meas de manibus meis. Certum est autem omnes, qui uero studio discunt Euangelij doctrinam, & non pertinaciter defendunt Idola, ac uerum Deum fiducia filij inuocant, esse oues Christi, sicut ipse Dominus inquit: Oues meæ uocem meam audiunt. Hac commonefacti consolatione simus in precatione ardentiores. Datæ in festo sanctorum Angelorum.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS DOCTOR.

Misericordiæ Domini, inquit Ieremias, quòd non consumpti sumus. Hæc inde usq; ab Adam post lapsum onerato ingentibus ærumnis, & tamen interea sustentato, perpetua uox est Ecclesiæ Dei. Profecto enim inter tantos diaboli furores, non sola humana diligentia & humanis præsidijs seruari & defendi possumus: sed seruantur reliquiæ generis humani à Deo. Interdum autem suos quoq; punit Deus, ut nos de pœnitentia, & inuocatione commonefaciat. In ea calamitate uult nos & de nostris periculis cogitare, & dolore adfici propter

pter alios, & nobis benefacit, cum misericordia adficimur, sicut scriptum est: Beati misericordes, quia uicißim erga eos misericordia exercebitur. Rogamus igitur, ut aliquid conferatis ad Elemosinam, quam missuri sumus uicinis in oppido Sueinitz, quorum ædes conflagrarunt. Exercea-mus in talibus officijs fidem, & petamus, ac expectemus à Deo mitigationẽ in nostris ærumnis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS DOCTOR.

NOn accidunt casu res secundæ & aduersæ, ut Epicurei furenter disputant. Nota est enim adseueratio Filij Dei, in qua dicit: Nonne duo passeres asse ueneúnt, & unus ex eis non cadit super terram sine Patre uestro? Omnes autem capilli capitis uestri numerati sunt. Ne igitur timeatis, multis passeribus meliores estis. Itaq; donec placidus cursus est, agnoscamus nos uere dextera Dei protegi contra furores diaboli. Rursus cũ sunt res aduersæ, sciamus nos in pœnis de ira Dei commonefieri. Videtis autem ad alias calamitates etiam incendia accessisse in uicinia, in Hertzberg, Sueinitz, & nuper in proxi-

in proximo pago. Vt autem leniatur ira Dei, ſi-mus modeſtiores, & adflictis opem feramus. Propter talia officia certißimum eſt Deum uici-ßim nobis benefacere. Sicut ſcriptum eſt: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Vult Deus in tali-bus exercitijs excitari & conſpici fidem, & alias uirtutes, uult expectatione protectionis corpo-rum, tanquam tyrocinio, ali & erigi fidem, ut etiam æterna bona petere, ſperare & impetrare auſit. Et Paulus elemoſynam petens Eccleſijs in Iudæa laborantibus fame Claudij Imperatoris tempore, inquit: Deus multiplicabit ſemen ue-ſtrum, & augebit incrementa frugum iuſticiæ ueſtræ. Adfirmat reddi pro hac beneficentia res corpori neceſſarias, & donorum incrementa in mente & cordibus. His promißionibus, quas certißimum eſt, non eſſe irritas, adſentiri nos, his ipſis officijs oſtendamus.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHAN-NES FORSTERVS DOCTOR,

Senatus

SEnatus Romanus ciuem prospicientem cum corona rosacea in publicum, bello Punico secundo in carcerem duci iussit. Volebat enim senatus singulos in publico luctu & metu, & esse & uideri modestiores. Quanto magis nos in Ecclesia nunc in tanto dolore & luctu omnium mediocrium hominum, oportebat ostendere nos quoq; adfici cogitatione communium ærumnarum, & petere à Deo mitigationem, præsertim cum singulorum peccata ubiq;, tua, & mea & aliorum delicta causæ sint horribilium pœnarum, quæ per genus humanum uagantur, quas quidem ut ieniat filius Dei, ueris gemitibus eum oramus.

Et quia nostri officij est Deo iuuante disciplinam regere, publicè significandum duximus, nos, his diebus N. N. cum in domo uiduæ honestæ tumultuatus esset, & furenter ausus esset pudicam uirginem filiam uiduæ gladio ferire, coràm mandasse, ut in iudicium ueniret, idq; eum promisisse data fide, postea uerò spreta hac promissione non uenisse in iudicium.

Constat autem neruum esse iurisdictionis uadimonij fidem, & periuros esse, qui Aresto, ut usitatè

usitate nominamus, non obtemperant. Ideo ne-
cesse est ad tuendum neruum iurisdictionis, in
hunc uadimonij desertorem exemplum statuere.

Quare hunc N. N. citamus, ut ueniat huc in
locum usitatum consistorij Academiæ nostræ
6. die Nouembris, ad audiendam sententiam iu-
stissimam de eius pœna ferendam.

Nos honesta & graui causa mouemur, ut
hanc iustam seueritatem exerceamus, quam &
in alijs academijs & ciuitatibus honestos uiros
probaturos esse non dubitamus, cum manife-
stum sit eum, postquam atrociter, in aliena domo
tumultuatus esset, & uirginem gladio saucias-
set, postea contra datam fidem rectori ipsi co-
ram, noluisse in iudicium uenire. Hortamur au-
tem cæteros auditores omnes, ut propter ingen-
tes Ecclesiæ calamitates sint modestiores, nec
sint adeo ferrei, ut putent non cumulari iram
Dei etiam ipsorum peccatis, & ad se non per-
uenturas esse pœnas. Meminerimus uocem filij
Dei, cum recitantibus crudele exemplum Pilati
dixit: Nisi pœnitentiam agetis, omnes similiter
peribitis. Vere & horribiliter irascitur Deus
sceleribus. Et proh dolor, magna sunt Ecclesiæ

Vulnera, magna multorum delicta. Ideo iram Dei iustißimam metuamus, & pœnitentiam uitæ modestia declaremus, & Deum oremus propter filium redemptorem, ut in ira sua misericordiæ recordetur, & inter nos quoq; seruet Ecclesiæ reliquias. Datæ die 5. Octobris.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES FORSTERVS DOCTOR THEOLOGIAE.

NEmo rapiet oues meas ex manibus meis, inquit Filius Dei. Hac nos consolatione sustentemus inter tanta pericula, & in his minis imperiorum, quod adfirmat Filius Dei, sese custodem esse huius cœtus, qui sonat Euangelij uocem, & ipsum inuocat.

Grassantur undiq; Diaboli, ut dißipationes, & uastitatem infinitam efficiant, et magna agmina in exitiũ trahant: Sed amplectitur nos Filius Dei, custos noster, nec sinit auelli nos à suo sinu, gestat nos, ut agnos recens editos Pastor gestare solet. Ac te Fili Dei Domine IESV CHRISTE, crucifixe pro nobis, & resuscitate, ueris gemitibus

gemitibus oramus, ut tu ſerues Eccleſiam tuam, & nos in Eccleſia tua, & clementer huius Academiæ ſtudia regas, & tu ſis adſiduus & perpetuus huius Academiæ Rector.

Cum autem leges huius Academiæ tempora certa Magiſtratibus, qui ex noſtro cœtu propter forenſes controuerſias, & ad diſciplinæ conſeruationem eliguntur, attribuant, & cras, quod fauſtum ac fœlix ſit, uſitato more Rector eligendus ſit, præcipimus, ut ſcholaſtici cras horâ octaua in huius collegij auditorio conueniant, quia ſingulos, & noſſe, et uenerari Magiſtratum iuſtum eſt. Et ſimul hîc uoca facienda ſunt ad præcipuum Rectorem Filium Dei, ut ipſe nos protegat et gubernet, qui eſt caput Eccleſiæ ſuæ, ac ideo ſedet ad dexteram æterni Patris, non ut ocioſus fruatur ſua beatitudine, ſed ut dona det hominibus, uerè reſpicit, & tuetur pia ſtudia, uere exaudit gemitus inuocantium eum, & reprimit furores diabolorum, ſicut ſcriptum eſt. εἰς τοῦτο ἐφανερώθη ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου. Quare & pericula communia conſideremus, & cuſtodem Eccleſiæ Filium Dei intueamur, & uere petamus, ut nobis in tanta infirmitate noſtra opem ferat. Die XVII. Octobris, quo ante annos 3856. arca in

ANNO 1550.

Armenijs montibus primum consistere cœpit. Deus nunc quoq; piam quietem & pacem in hac arca nobis concedat.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR ET ORDINARIVS.

INdidit Deus *parentibus ingentem amorem erga natos. Nec dubium est, uelle eum hanc ardentem* σοργὴν *significationem esse de suo amore erga filium, & erga nos, quos condidit, & qui sumus nunc fratres Christi, & ossa ex ossibus eius.*

De *hoc uero amore in precationibus nostris sæpe cogitemus. Nunc quoq; in hoc funere consideremus, quanto in dolore sit uir optimus* Dominus Benedictus Paulus, Doctor *iuris, orbatus filio* Benedicto, *cuius et indoles fuit ad uirtutem egregia, & iam ea ætas, ut* Virtutum *specimen consideraretur.*

Eius *uiri luctu nos quoq; adfici decet,* Nam *& propter eruditionem, & integritatem uenerandus est, & gratitudo ei debetur, quia multis*

officijs

officijs bene meretur de hac Ecclesia, Academia & oppido. Et in hac senecta, & in tanta confusione reipublicæ mœsticiam ei nullæ res humanæ lenicbant, nisi domesticæ ecclesiæ conspectus, quæ plena est pietatis erga Deum & erga ipsum.

Sed quantum uulnus accepit antea, orbatus dulcissima coniuge, quæ fuit exemplum honestæ matronæ? Nunc alterum uulnus accedit, extincto filio. Hi dolores nisi diuina consolatione lenirentur ferri non possent. Sed uir optimus firmissima fide amplectitur Vocem Dei, Ecclesiæ traditam de uita æterna.

Scit hæredes esse uitæ æternæ omnes, qui discedunt in agnitione & uera inuocatione filij Dei domini nostri Iesu Christi, crucifixi pro nobis, & resuscitati. Scit uerissimè dictum esse: Beati mortui, qui in domino moriuntur, item: Non est uoluntas patris, ut pereat unus de parnulis istis. Et spe certa se sustentat, futuræ consuetudinis cum Ecclesia cœlesti, in qua rursus dulcissimam coniugem & natos complectetur, & unà cum ipsis de miranda sapientia Dei loquetur, ad cuius initia cognoscenda in hac uita, domesticam Ecclesiam summo studio assuefacit.

Ipſe adoleſcens in hoc agone ſe filio Dei commendans, certa cũ ſpe uitæ æternæ ex his ærumnis placide deceßit.

Adhortamur autem omnes Doctores, Magiſtros, & auditores, ut ad Funus iam hora 9. conueniant, in quo & de luctu huius honeſtißimi uiri, & de publicis periculis cogitent, & filium dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cuſtodem Eccleſiæ oremus, ut mitiget priuatas & publicas calamitates, & ſua ſapientia, & bonitate ſeruet aliquos honeſtos cœtus, ne doctrinæ ſtudia extinguantur, & ne fiat Ethnica barbaries.

Sed multi uera inuocatione, & ueris officijs Deum celebrent, & ſint in his regionibus aliquæ honeſtæ Eccleſiæ, ornatæ doctrina, quæ poſtea in omni æternitate fruantur luce & bonitate Dei, & uicißim ei gratias agant. Die Octob. 22.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL. D.

IPſa conſociatio generis humani illuſtre teſtimonium eſt, oſtendens hanc naturam non caſu ex atomis confluxiſſe, ſed á mente architectatrice

rectatrice conditam esse ad certum finem, ad quem ordinata est societas.

Voluit conditor homines non ut feras, uagari singulos, & se in diuersos specus abdere, sed multos una uersari, eam ob causam, ut homines alij alios de Deo, & de uirtutibus, & de rebus bonis docerent, & communi uoce celebrarent Deum, & ostenderent alij alijs exempla uirtutum, & testimonia de Deo.

Ideo & uincula multa in ipsa natura condidit, generationem, educationem, & contractus. Et addidit leges rectrices societatis. Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies.

His legibus suum cuiq; corpus, suam coniugem, suam domum uult munitam esse, ceu muro. Addidit & Magistratus, qui sint & uox legum, & pœnis adficiant contumaces. Et cum cessant Magistratus, sua ipse iusticia rapit sontes ad pœnas, ut uerissime dicitur, ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα. Et testimonia manifesta prouidentiæ conspiciuntur in pœnis atrocium scelerum.

Deniq; has leges tanti facit Deus, ut filius Dei, de his Neruis societatis humanæ dixerit. Secundum mandatum est simile primo. Hac tanta amplificatione ornare secundam tabulam nullius

creaturæ uox auderet. Sed Deus uult nos obedientiam erga ipſum in his dulciſſimis officijs fouendæ ſocietatis declarare. Itaq; uoluntate Dei, & metu pœnarum & communi neceſſitate moueri omnes debebant, ne ſocietatem turbarent. Et propter mœſticiam temporum modeſtiores eſſe omnes oportebat, ne magis irritaretur ira Dei. Sed Diaboli impellunt ſua organa, & infinitas diſſipationes facere conantur.

Oremus autem filium Dei dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, ac ſedentem ad dexteram æterni patris, Vt dona det hominibus, ne ſinat inter nos fieri ethnicam barbariem, ſed ut reprimat ipſe diabolicos furores, & ſit cuſtos Eccleſiæ & honeſtæ diſciplinæ inter nos.

Cumq; magiſtratui mandauerit, ut ſit uox legis, & puniat contumaces, hæc ſtudioſe monemus noſtrum cœtum, & quantum in hac infirmitate nos quidem poſſumus, diſciplinam exemplis pœnarum ſanciemus.

Cum igitur N. N. ferro patefecerit alienam habitationem, & quidem eo tempore, quo ſciebat hoſpitem

hospitem ad mensam abijsse, reo audito, communibus suffragijs concilij nostri excluſus est hic N.N. à tota societate Academiæ. Hanc nostram sententiam publicè proponimus, quia exempli causa utile est, extare nostras admonitiones, & testimonia nostræ uoluntatis.

Præterea mandamus omnibus, qui ad nostram iurisdictionem pertinent, ut ab huius excluſi consuetudine abstineant, præsertim cum alioqui etiam mores eius uituperari intellexerimus. Datæ die 30. Octobris. Anno 1550.

DECANVS COLLEGII
DOCTORVM ARTIS MEDICAE
IACOBVS MILICHIVS D.

IDeo tantam artem sapiens architectus Deus in fabricatione mundi et hominum adhibuit, ut oculis et mentibus nostris testimonia proponeret, quibus fateremur, hanc rerum naturam non casu ortam esse, aut ex atomis confluxisse, sed esse æternam mentem conditricem, beneficam, iustam, ueracem, uindicem scelerum, & seruantem genus humanum. Et *confirmari adsensionem de prouidentia, consideratione mirabi-*

 lium

lium operum, & ordinis in natura, manifestum est. Amanda est igitur doctrina Medicorum, quæ utcunq; monstrat naturam, & discentes ad considerationem adsuefacit. Postea in tuenda uita corporum, & depellendis morbis, utilitatem artis medicæ omnes experimur. Et hanc fuisse uetterum sapientiam, non solum Orphei, Chironis, Aesculapij: sed multo præstantiorum uirorum, Nobæ, Abrahæ, Ioseph & similium, non dubium est. Etsi autem illa sapiens antiquitas longe antecelluit huic senectæ mundi: tamen riuulos sapientiæ Deus, qui est monstrator & custos artiũ, ad nos peruenire uoluit. Quare & Deo gratias agamus, & eius munera reuerenter conseruare studeamus. Et medicis gratia debetur, cum propter medicationem, tum uerò, quia suis laboribus doctrinam de natura rerum & tuentur, & illustrant.

Cum autem uir clarißimus, uirtute & eruditione excellens, M. Paulus Vadimus Salsburgensis artem medicam studiose didicerit, & talis sit eius pietas in moribus, ut speremus Deum eius medicationi adfuturum esse: tribuemus ei eruditionis testimonium, & de collegij nostri sententia sexto die Nouembris adiungemus eum ordini Doctorum artis medicæ, in quo ordine

propter

propter ſcientiæ bonitatem, & uſum in medendo, fatendum eſt, plurimum eſſe ueræ dignitatis, nec fruſtra dictum eſſe ab Homero: ἓις ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Hortamur igitur omnes Doctores, Magiſtros & Auditores omnium ordinum, ut ad renunciationem gradus conueniant, ut fauere ſe huic doctrinæ oſtendant, ac nobiſcum orent Deum, ut conſeruet artes uitæ neceſſarias, & ut gratitudinem ſuam erga Medicos declarent, ſicut ſcriptum eſt: Honora Medicum. Nam propter neceſsitatem Deus eum creauit. Τίμα ἰατρὸν, πρὸς τὰς χρείας ἔκτισεν αὐτὸν ὁ κύριος, ἀπὸ ὑψίστου ἡ ἴασις, καὶ ἐκ γῆς ἔκτισεν ὁ κύριος φάρμακα, καὶ ἀνὴρ φρόνιμος οὐ βδελύξεται αὐτά. Die ſecunda Nouembris.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR.

ETſi motibus imperiorum etiam Eccleſiæ quaſſantur, ut cum mare agitatur uentis, procellæ

procellæ feriunt nauigia. Punit enim Deus & imperia, & Ecclesias, quæ etiam multis delictis contaminatæ sunt: Tamen Ecclesiæ petenti promissa est mitigatio pœnarum, ut inter ipsas ruinas, & cineres Hierosolymæ, Ieremias & multi alij seruati sunt, & Dominus inquit Lucæ 22. Orate, ut possit is effugere ex calamitatibus, quæ impendent. Simus igitur modesti, & ueris gemitibus oremus filium Dei, ut leniat publicas & priuatas pœnas, & non sinat deleri pia doctrinæ studia, & honestas artes uitæ utiles.

Et quia nunc milites hîc uagantur, seuerè præcipimus nostris auditoribus, ut uitent occasiones tumultuum, & proprij periculi rationem habeant. Sumus hospites utriq; in oppido satis ærumnoso. Quare & nobis & ciuibus leniamus mœsticiam & sollicitudinem nostra modestia, & caueamas, ne milites nostro & ciuium periculo irritentur.

Magnum omnino bellum motum est, cuius quicunq; erunt euentus, καδμέια νίκη, & magna uastitas metuenda est. Nos iram Dei agnoscamus, qui multis & magnis diuturnis peccatis succenset, & supplices oremus Deum, ut in ira misericordiæ recordetur. Die 16. Nouembris.

Rector

ANNO 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR.

IVsti colliguntur, inquit Esaias, ne spectatores sint uenientium calamitatum, quibus horrendi furores hominum & multiplices puniuntur. Docet Propheta beneficiũ esse, præripi uenturis malis. Nec uerò dubium est impendere magnas uastationes, in quibus, ut Deus in ira sua misericordiæ recordetur, ueris gemitibus eum oramus.

Decessit autem hac nocte adolescens honestus, Christophorus Hacker, *natus patre senatore in monte* Mariano Gregorio Hacker. *Ac præceptor eius uir doctus & integer Magister* Henricus Sthenius *adfirmat, mores adolescentis honestos & pios fuisse, eumq; in hoc extremo agone uera inuocatione se filio Dei quotidie commendasse. Nec parentum oblitus est in hac ipsa luctu, quorum dolore ualde se adfici ostendit.*

Scitis autem σοργὴν *insitam esse hominum pectoribus, ut sit commonefactio de uero amore Dei erga nos, Et quanta sit illa* σοργὴ *in luctu, parentes sentiunt. Etsi autem magno in dolore*

parentes

parentes erunt: tamen se sustentent hac uera consolatione, quòd, Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Hortamur autem scholasticos, ut ad Funus hodie conueniant hora. 3. ante ædes Matthæi Glo= bec, in quo singuli & pericula Reipub. & suam uitam Deo commendent, quia certissimum est, nec nostram uitam, nec conseruationem generis humani tantum pendere à causis secundis, ut uocant. Sed uerè conseruatur genus humanũ propter filium Dei & per filium Dei. Vera igitur fide & spe petamus, & expectemus ab eo uitam, & cætera bona Ecclesiæ necessaria. Die 21. Nouembris.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR.

MEministis uersum Hesiodi, Ἔμμορέ τοι τιμῆς, ὅσσ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ. Cum igitur multis officijs uicina Bohemia has regiones iuuet, ut & in difficultate annonæ, & belli tempore experti sumus, & multæ eius nationis Ecclesiæ nobiscum sentiant: mutua erga hos uicinos beneuolentia esse debet. Et eximiam esse gentis grauitatem, multa signa ostendunt,

dunt, præcipue uerò constantia & magnitudo animorum, quã declarauerunt in defensione patriæ iusta, cum propter religionem bella eis à factione pontificia inferrentur. Scitis autẽ uirum doctum & honestum Magistrum Martinum Hannonem in Bohemia natum fuisse, qui cum optima doctrina à uiro doctißimo & integerrimo Matthæo Collino excultus esset, postea in hac Academia & auxit eruditionem, & ingenij pietatisq; specimen dedit, editis carminibus, & piè & eruditè scriptis. Et quidem proximo anno Typum Agni pascatos recte enarratum edidit, in quo pia precatione Ecclesiam uero agno commendat, inquiens.

Agne carens macula, lcto mactate cruento,
Corda salutifero sanguine nostra lauans.
Aeternum assiduo qui patrem pronus adoras,
Proq; tuo cœtu uota precesq; facis.
Azyma sit semper tua fac Ecclesia, crudum
Te nunquam comedat, nec pietate labet.

Huius ueri agni fiducia se etiam nunc decessurus ex hac uita erexit. Dolendum est autem talẽ ingenio orbatam esse & Ecclesiam, & ipsius patriam. Sed oremus illum ipsum Agnum filium Dei, ut ipse nos gubernet, et Ecclesiæ multa bona ingenia seruet. Funus autem fiet huic Hannoni hora quar-

ra quarta. Quare scholasticos hortamur, ut in uico conueniant, in quo sunt ædes, in quibus magnificus dominus Rector habitat, & pia precatione singuli sese, & Ecclesiam Deo commendent. Die 23. Nouembris.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR.

Esaias describens Ecclesiæ calamitates, inserit & hoc πάθος. Angeli pacis amare flebiunt. Quo significat, in luctu præcipuo pastores Ecclesiarum fore, quibus maiora pericula impendent, quàm cæteris. Et cum accedunt domestica uulnera, augetur dolor. Vt nunc uir uenerandus Pastor Ecclesiæ Dei in Gardeleben orbatus est filio uiro docto & honesto Magistro Paulo Risenbergio, cuius industria iam studijs aliorum seruiebat. Cum autem uera inuocatione & semper coluerit Deum, & iam in morbo se assidue Domino nostro Iesu Christo commendarit, qui inquit: Hæc est uoluntas Patris, ut omnis, qui credit in filium, habeat uitam æternam: speramus eum iam in meliore & tranquilliore schola uiuere. Hac se consolatione pij parentes sustentent.

ſtentent. Fiet autem ei funus hodie hora prima, Quare hortamur ſcholaſticos, ut tunc conueniant ante ædes Reuerendi D. Lutheri, & ardenti precatione ſinguli & ſeſe, & Eccleſiam Deo commendent. Oſtendamus nos adfici luctu Angelorum pacis. Die 23. Nouembris.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR.

ETſi propter magnas calamitates generis humani dubitant mentes de prouidentia: tamen & impreſſa ſunt ueſtigia illuſtria Dei uniuerſæ naturæ, ut reſuſcitatio mortuorum, & alia teſtimonia, quæ oſtendunt, uere eſſe Deum, & curæ ei eſſe genus humanum, & hanc adſenſionem in nobis confirmari à Deo petamus. Scimus nunc uagari in loco uicino horrendum ſpectrum uiſibile, quo conſpecto aliqui ſubito pauore extincti ſunt. Hanc narrationem ueram eſſe certum eſt. Cum autem manifeſtus ſit Diaboli furor, firmius credamus Euangelio monſtranti filium Dei contra tam dirum hoſtem. Defendit omnino filius Dei ſuos cœtus, ut dixit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Commendemus

igitur & nos & Ecclesiam filio Dei, quæ uarijs ærumnis nunc exercetur.

Etsi autem cum his, qui ex his miserijs cito ad cœlestem Ecclesiam traducuntur, bene agitur: tamen semper oportet aliquam in hac uita Ecclesiam superstitem esse, iuxta illud: Non mortuæ laudabunt te Domine. Petamus igitur, ut uitam & res uitæ necessarias multis tribuat. Hæc uota fiant ardentius, cum funera piorum Scholasticorum cernimus. Decessit autem heri honestus adolescens Bricius Sithonius Sacensis, natus ex parentibus honestis, & iam bene instructus doctrina Ecclesiæ & Philosophica. Quare dolendum est, & Ecclesiam, & patriam Bohemiam tali ingenio orbatam esse. Valde enim optandum est, ut in gente Bohemica, cuius excellens est integritas & uirtus, Ecclesiæ ornentur bonis ingenijs, & eruditione, in quibus ante hoc tempus præcipue lux Euangelij fulsit. Adhortamur igitur Magistros & Scholasticos, ut hodie hora duodecima conueniant ad Funus in hoc uico, ante Bibliopolium proximum, ut pia precatione singuli & sese, & Ecclesiam Deo commendent. Die 27. Nouembris.

Rector

ANNO 1550.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL. D.

MEmentote dictũ grauißimum, ſcriptum in Sophonia cap. 1. Vbi illuſtri hypotiposi pingit Deus iudicium ſuum, inquiens, ſe circumeuntem Lychnis quæſiturum βεβήλους, qui negant prouidentiam, dicentes: Non facit Dominus bene aut male.

Certum eſt, non caſu tantis calamitatibus obrui hanc infirmam naturam, ac præcipua uulnera ſentit Eccleſia, ſicut ſcriptum eſt: Iudicium à domo Dei incipit. Multis exemplis commonefacit nos Deus, ut ſimus modeſtiores, & in inuocatione ardentiores.

Rurſus perierunt incendio multæ pauperum caſæ, in uicino oppido Hertzberg, in quo Eccleſia eſt nobiſcum pie inuocans Deum.

Vult autem Deus adfici nos fratrum calamitate, uult nos habere ἀπλάγχνα οἰκτιρμῶν.

Ideo colligemus eis aliquid Elemoſynæ, quod ideo publice ſignificamus, ut cum ciues colecturi ſint per ſuos, ſciant ſcholaſtici, ea quæ da-

turi sunt, danda esse nostris collectoribus, qui partim hodie, partim cras, & perendie circumibunt.

Notæ sint uobis diuinæ sententiæ, de hac beneficentia, & de præmijs. Sine ulla dubitatione mitigat Deus pœnas propter talia officia.

Cogitate etiam illa ueterum sapientum dicta: οὐκ ἀιχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά.

Et illud Euripideum.

εἰ μὴ χρή, ὦμ ἄνθρωποι θ', ἀνθρώπῳ τύχας ὑπηρετήσω, ὀυ φανήσομαι φρονῶν.

Pridie Calendas Decembris.

DECANVS COLLEGII IVRISCONSVLTORVM.

ETsi uetus Querela, quæ Astræam narrat ex imperijs & urbibus pulsam, deinde aliquantisper in rure concionatam, non temere scripta est. Multa enim ubiq; fiunt iniuste: tamen uerum est, ordinem politicum, imperia, leges, iudicia, pœnas, disciplinam, aliqua ex parte conseruari immensa bonitate Dei, ne genus humanum prorsus intereat.

Itaq; reuerenter agamus gratias Deo, ita ser-

uanti

uanti genus humanum, simul ut legum uocem, sapientiam & iusticiam, quæ sunt testimonia de ipso inter homines, manifeste tueatur.

Vt certissimum est, hæc pulcherrima lumina, Solem & Lunam, digitis Dei formata esse, & eorum itinera architecti sapientia, summa arte instituta, semper ab eo gubernari: Ita nequaquam dubium est, ordine iusticiæ diuinæ, atrocia scelera comitari pœnas manifestas, etiam in hac uita, ac ita seruari genus humanum, ut cœtus aliquis sit legibus obtemperans, in quo ut simus singuli, magna cura anniti debemus. Legum uocem audiamus, mores regamus, frenemus cupiditates, quod cum faciemus, nobis & alijs multas ærumnas leniet Deus.

Oportet in gubernatione certos esse legum custodes, ut & Athenis fuerunt νομοφύλακες. Et in omnibus regnis tales aliqui iudicia rexerunt. Ideo & in Europa mos laudandus, & tuendus est, quòd legum doctrina certo ordini commendatur.

Huic ordini uirum honestum, eruditum, & iam in supremo iudicio imperij uersatum Iohannem Schurstab Noribergensem, natum in patri-

eia familia, Die Decembris nono, publico testimonio Deo iuuante, inseremus.

Petimus igitur, ut omnes Doctores, Magistri, & auditores ad eam renunciationem conueniant, eoq; officio declarent iudicium, & studium animorum suorum erga leges, & erga disciplinam, & nobiscum orent Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, fontem sapientiæ, & legum, & iusticiæ conseruatorem, ut nobis adsit, nos protegat, & gubernet, & neruos humanæ societatis non dilacerari sinat. Datæ die 7. Decembris.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR.

ETsi uult Deus esse aliquos naturæ motus, & uerissima uox est, de uita transfusa in homines: Inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ, tamen conseruari nisi Deo sustentante non potest, nec tantum causis secundis uiuimus, sed ut scriptum est, ἐν αὐτῷ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμεν. Quare ardentibus uotis Deum oramus, ut spacia uitæ longa multis bonis ingenijs concedat, eaq; regat, ut fœliciter Ecclesiæ seruiant.

Dolemus

Dolemus rursus adolescentem ingeniosum, modestum, pium & eruditum ex hac uita decessisse, Vitum VVidenhofer, natũ ex Vohendres, non procul ab oppido Bauarico Saliceto, qui initia Philosophiæ Viennæ, & Lypsiæ didicit, & hîc adiunxit Ecclesiæ doctrinam, & spes erat eum magno & ornamento & usui Ecclesiæ suæ patriæ, quæ Euangelij uocem piè amplectitur, futurum esse, sed Deus eum in scholam cœlestem euocauit.

Hortamur igitur scholasticos, ut hodie hora prima conueniant ante uicum, cui à cupro nomen est, ut funeris ceremoniæ piè seruentur, in quibus commonefacti de multis miserijs, ardentius nos & Ecclesiam filio Dei commendemus, qui dixit, petite & accipietis.

Datæ die 14. Decembris.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR.

MAndamus scholasticis, ne accedant ad locum, ubi fit militum inspectio, seu ἐξέτασις, ut græci uocabant. Turbatur enim ordo, cum alia multitudo referta irruit in ea loca, in quibus consistere milites oportet. Periculi etiam ratio habenda est. Nam si irati aliqui tumultuosius reprimerent turbam, multi læderentur:

Et stulticia est ualde uituperanda, quòd tanquam ad nuptiales pompas curiositate quadam accurritis, ad hæc tristia spectacula. Videtis patriam ardere bello non leui, in quo, de causis, de nostris peccatis, & de ira cogitandum est, & uera pietate & inuocatione petenda est à Deo calamitatum mitigatio, & uitæ modestia nos ipsi lenire communes miserias studeamus. Datæ 23. Decembris. Anno 1550.

Scripta

ANNO 1551.

SCRIPTA PROPOSITA PVBLICE IN ACADEMIA VVITEBERGENSI ANNO A NATALI CHRISTI M. D. LI.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR.

VT hic ueniens annus faustus & fœlix sit Ecclesijs harum regionum, & earum hospitijs, faciat filius Dei Dominus noster Iesus Christus, λόγ@ καὶ εἰκὼν αἰδίᵾ θεοῦ, *donatus nobis immensa misericordia, ut ipse hanc miserrimam naturam hominum sustentet, & restituat. Hæc petere ardentius debemus, quia uidemus magna pericula esse harum regionum. Nec est inanis precatio, cum filius* Dei *dicat: precantes, ut possitis effugere uentura mala. Iustum est etiam, nos cauere, ne nobis cumulemus aduersa. Ideo hodie hora 12. Academiæ statuta legentur, & simul proponemus edicta pertinentia ad tranquillitatem oppidi hoc tempore.*

Cum excubiæ militum dispositæ sint, præcipimus, ne scholastici in foro noctu, cum ibi sunt excubiæ, ambulent, & nullo modo ibi cœtus efficiant. Item ne uocifcrentur in plateis, sed domum euntes lychnos habeant, & eant sine frequentia & sine uociferatione. Si contra hoc facient, milites eos ducent in arcem. Præterea mandamus etiam, ne militum iram conuicijs aut alijs offensionibus irritent, nec præbeant occasiones maioribus malis. Iustum est uos paci hospitij uestri seruire, quam si quis non libenter tuetur, discedat aliò. Nec magistratus defuturus est suæ authoritati. Die natali Christi.

Anno 1551.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVITEBERGENSI, M. SEBASTIANVS MATTHAEVS OMNIBVS LECTORIBVS S. D.

Extat Græcum Epigramma uirtutis, sedentis ad tumulum Aiacis, quæ uirtutem, & ueritatem obrui Sophistica & fraudibus queritur.

ἃ δ' ἐγὼ ἃ τλάμων ἄχετα παρὰ τῶδε κάθη-
αὐάντος τύμβῳ ἡβραμυία πολοκάμοις, (μαι
δυμὸν ἄχθ μεγάλῳ βεβολημυία, ὄυνεκ'
(ἀχαιοῖς
ἃ δολόφρων ἅπάτα κρῆσον ἐμὸν κέκρι-
(ται.

Hac imagine significati sunt tristissimi gemitus multorum, qui dolent, in uita in multis magnis rebus Sophisticã anteferri ueritati, sicut hoc ipsum Epigramma nuper quidam paucis uerbis mutatis transtulit ad Fidem sedentem ad Lutheri tumulum:

ἃ δ' ἐγὼ ἃ τλάμων πίσις παρὰ τῷδε
(κάθηται,
λαθήρῳ τύμβῳ ἡβραμυία πολοκάμοις.
δυμὸν ἄχθ μεγάλῳ βεβολημυία, ὄυνεκα
(πολλοῖς,
ἃ δολόφρων ἅπατα κρῆσον ἐμὸν κέ-
(κριται.

Præcipue autem nocet uitæ Sophistica in religione, & in doctrinis, extinguit lucem & agnitionem Dei, postea discordias gignit, quam sequuntur bella, & uastationes totius generis humani. Simus igitur memores mandati diuini, quod præcipit, ut fideliter discamus,

amemus

amemus & tueamur ueritatem. Nec uerò sine literis & sine eruditione, ueritas in religione aut in alijs doctrinis inuestigari & retineri potest. Ac ualde multum refert initio tenera ingenia adsuefieri ad amorem ueritatis, & in Philosophia eis ostendi metas, quarum consideratio in omnibus artibus adiuuat ueritatis inquisitionem. Controuersiæ religionis iudicari non possunt, nisi fontibus inspectis, quam ad rem opus est mediocri cognitione linguarum, quæ in Scholis traduntur.

Opus est & proprij sermonis copia, & scientia ordine docendi, cum in explicando uitare ambiguitatem uolumus, quæ semper & peperit, & parict dissidia.

Deinde in uita magnus usus est Physicæ doctrinæ, numerorum, geographiæ, & uicinarum artium. Sæpe etiã illustrantur Ecclesiæ dogmata descriptionibus naturæ, quæ utcunq; in Physicis traduntur.

Et quanquam hæc exordia, quæ in nostro Collegio docentur, tenuia sunt, de numero elementorum, & qualitatum, de potentijs animæ, & alia similia: tamen re ipsa uberrimam doctrinam continent, nec nota essent, nisi diuinitus monstrata essent illis primis ac sapientissimis patribus,

qui

qui flos fuerunt generis humani, Nec propagari hæc sapientia posset, si literæ & scholæ interirent.

Amemus igitur cœtus scholasticos, & eos foueamus, ac Deum oremus; qui certe suam uocem literis mandari, & scriptam legi & cognosci uoluit, sicut sæpissime præcipit, ut apud Esaiam inquit: Ad legem & ad testimonium, ne deleri honesta doctrinarum studia, nec Ethnicam barbariem in his regionibus fieri sinat, Imo sicut Esaias precatur: Obsigna legem in discipulis meis, ita & nos ardentibus uotis oremus filium Dei, ut in hoc schola mentes docentium & discentium regat, accendat in eis diuinam lucem, & non sinat eam extingui. Deus qui est καρδιογνώστης, scit fideles in docendo multos hîc esse. Et recta docere eos de rebus necessarijs, candidi homines iudicare possunt, Ideo non fragimur calumnijs, nec abijcimus hos docendi labores, nosq; hac uoce Pauli consolamur, ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενὸς ἐν κυρίῳ.

Pertinent autem ad labores scholasticos Examina, & testimonia publica. Ideo significamus auditoribus nostris, qui testimonium & gradum Magisterij nunc petituri sunt, nos post Lipsici mercatus proximi dies inchoaturos esse examen.

Interea

Interea ad me ueniant daturi nomina, ut usitata in Academijs consuetudo est.

Precor autem toto pectore, ut filius Dei Dominus noster Iesus Christus protegat hoc Ecclesiæ & doctrinarum hospitiolum, & mentes nostras accendat sua luce, ut semper ipsum ueris laudibus celebremus. Die Iohannis Apostoli.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR

ETsi nullius creaturæ sapientia causas miserandi consilij Diuinitatis de copulatione duarum naturarum in filio Domino nostro Iesu Christo, nato ex uirgine Maria, satis intelligere potest: tamen quia Deus hanc ipsam ob causam genus humanum condidit, ut sit uisibilis natura in hoc mundo, quæ cum recte agnoscat, inuocet, ac celebret, tradit nobis semina arcanæ sapientiæ suæ, & uult ore infantium & lactentium refutari dæmonum furores, qui falsas opiniones de Deo multas spargunt. Initia igitur cœlestis doctrinæ & discamus & sonemus, & petamus accendi lucem in mentibus nostris, ut ueris

ut ueris ſententijs Deum prædicemus, & eum recte inuocemus.

Primum igitur Deo æterno Patri domini noſtri Ieſu Chriſti, & filio τῷ λόγῳ καὶ εἰκόνι ἀϊδίῳ ἀϊδίᾳ πατρός, et Spiritui ſancto, gratias agimus, pro immenſo amore erga genus humanum, qui maxime illuſtribus teſtimonijs declaratus eſt. In creatione ſapientia, iuſticia, libertas uoluntatis, quæ ſunt res in Deo optimæ, in nos transfuſæ ſunt. Nec uerò dubium eſt, dilexiſſe Deum hoc opus, cui hanc ſuam imaginem impreßit. Filij amor conſpicitur, quòd pro lapſis ſit ſupplex æterno Patri, & adſumpta humana natura pœnam in ſeſe deriuat, et hanc miſerrimam naturam ſuſtentat, liberat à peccato, morte, & tyrannide Diaboli. Rurſus igitur placata ira, lucet & Spiritus ſancti erga nos ingens amor, qui effuſus in corda noſtra, copulat nos cum diuinitate.

Hæc tanta beneficia agnoſcamus, ſæpe cogitemus, & grati celebremus, fateamur etiam in conſilio redemptionis mirabiliter temperatam eſſe miſericordiæ iuſticiam. Vere iraſcitur Deus peccatis. Erat igitur iuſticiæ, poſt lapſum abijcere ſontes, ſed deprecante filio pro nobis, immenſa miſericordia recepti ſumus. Et tamen, ut iuſticiæ

Dei

Dei satisfieret, pœna pro genere humano flagitata est. Quia uerò genus humanum deliquerat, ordo iusticiæ erat, ut homo innocens pro cæteris pœnam lucret.

2 Congruebat autem eundem esse & deprecatorem, & redemptorem. Fuerat autem filius deprecator, ut scriptum est: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.

3 Et ut esset æquiualens precium, congruebat redemptorem esse Deum.

4 Tanta moles est iræ Dei, ut nec Angeli, nec homines eam sustinere possint, Quare filius, qui est omnipotens, factus est uictima.

5 Mediatoris est ingredi in Sanctum sanctorum, id est, conscium esse arcani consilij diuinitatis. Hoc congruit naturæ omnipotenti.

6 Natura finita non poterat esse uictrix mortis.

7 Redemptor est efficax in nobis, sustentat hanc infirmam naturam, est custos Ecclesiæ suæ, ubiq; gemitus omnium aspicit, exaudit inuocantes, interpellat pro eis, seruat eos, est in eis, restituit in eis iusticiam & uitam. Congruebat igitur, ut hic Redemptor esset Deus & Emmanuel.

Harum

Harum causarum consideratio excuscitet in nobis timorem & fiduciam. Agnoscamus ueram & horrendam esse iram Dei aduersus peccata, cum non sit remissa, nisi pœna in filium deriuata, Et nunc tristißima bella & ruinæ Regnorum commonefaciunt nos de ira. Sed in ueris pauoribus intueamur hunc redemptorem, & sciamus immotam uoluntatem Dei esse, ut nos propter eum recipi & exaudiri statuamus.

Sciamus non frustra hoc mirandum fœdus diuinæ & humanæ naturæ factum esse, sed uerè nos à filio Dei, qui uoluit esse caro ex carne nostra, & os ex ossibus nostris, diligi. Hanc fidem excuscitemus iam in inuocatione, & petamus & expectemus mitigationem calamitatum, propter filium Dei, & per eum. Et Emmanuel est potens ad seruandum, & est Siloh, id est, fœtus fœminæ natus in fragili pellicula alui materni, ac fragilitas ipsius in cruce conspecta est, Et nunc habitat in fragili & squalida pellicula, scilicet in Ecclesia. Sed tamen hoc imbecille domicilium seruabit, sicut corpori in cruce mortuo restituit uitam. Hac nos fide & spe sustentemus, & petamus, ut imbecillitati nostræ opem ferat. Ac ne inuocatio uestra & aliorum turbetur, mores sint modesti.

Mandamus etiam omnibus Magistris & auditoribus, ut gratitudinis significationem erga Euangelij ministros ostendant, & munera ad aram adferant.

Anno 1551. Die festo quo celebratur memoria Natalis filij Dei domini nostri Iesu Christi, nati ex uirgine Maria.

DECANVS COLLEGII DOCTORVM ARTIS MEDICAE IACOBVS MILICHIVS D.

Tota hæc pulcherrima series corporum mundi, & mira arte distributæ uires & actiones, sine ulla dubitatione sunt theatrum, in quo Deus testimonia de sese ostendit, & se conspici uoluit, ut agnito obediamus, & eum inuocemus. Hæc adeo certa sunt, ut uerissime dictum sit in Actis cap. 7. adeo prope adesse Deum singulis, penè ut manibus contrectari possit.

Et multo dulcius inquit Salomon: Ludit sapientia Dei in orbe terræ, & deliciæ eius sunt apud filios hominum. Non potest fieri, quin uaricias,

uarietas, & ars diuinorum operum mentes non feras mirabiliter moueat & delectet. Hæc autem *naturæ consideratio, quantulacunq; est, conser=uatur in doctrina Medicorum.* Deinde & *utili=tas artis in conspectu est.* Ideo *ualde amanda & ueneranda est ea doctrina, & honore adficiendi sunt eius custodes.* Et *conemur libare & gusta=re riuulos eius sapientiæ propter gloriam Dei, & propter ualetudinem.*

Decernetur autem *publicum eruditionis te=stimonium in arte Medica uiro honesto, & eru=dito, M. Iohanni Alberto Cygneo, quem renun=ciabimus doctorem artis Medicæ proximo die huius Mensis Decembris 30. Ad eam renuncia=tionem omnes Doctores, Magistros, & omnium professionum auditores inuitamus, & petimus, ut hoc officio iudicium suum de optimis artibus ostendant, & gratitudinem declarent erga Me=dicos, quorum labor multis seruit, & erga hunc ipsum Iohannem Albertum, cuius eruditio, & uirtus est digna fauore honestorum hominum, & cum multis seruiat ope Medica, hæc be=neuolentiæ significatio non pretermit=tenda est.* Datæ die 28. Decembris.

Anno 1551.

ANNO 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR.

DVæ res maxime commendatæ ſunt his, qui præſunt ſcholis: propagatio doctrinæ, & diſciplinæ conſeruatio. Ac ſperamus nos in docendo fidem & diligentiam præſtare. Ad diſciplinæ ſeueritatem opus eſt nobis alieno auxilio. Sed tamen iudicium noſtrum declarare poſſumus, & ex noſtro cœtu relegare contumaces.

Adoleſcens N. N. contra modeſtiam, & contra iura hoſpitij ſtrinxit gladium aduerſus matremfamilias, & eam ferire conatus eſt. Ideo decretum factum eſt, ut relegatus ex hac ſchola triennio abſit. Id eò publice ſignificamus, ut cæteris magiſtratibus noſtra ſententia nota ſit.

Et hortamur omnes ſcholaſticos, ut modeſti ſint, præſertim cum in hac temporum mœſticia maiorem eſſe intentionem in precatione deceat, quæ impeditur heluationibus, rixis & tumultibus. Cogitent etiam iniuſtitiam atrocem eſſe, uiolare hoſpitij iura, ut etiam honeſta antiquitas, apud Ethnicos ſenſit, ut Iaſon inquit in Argonautico.

πάντες

ANNO 1551.

πάντες ἐπεὶ πάντη, ἡ ὅλος μᾶλλα κύντα-
τ' ἀνδρῶν.
ξεινί ἀιδεῖται ξεινός θέμις ἠδ' ἀλεγίζει.

Die 18. Ianuarij. Anno 1551.

IN NONVM ET DECIMVM LIBRVM LVCANI IOHANNES MARCELLVS REGIOMONTANVS.

MAxima iã noſtri pars eſt exhauſta labo-
Cœpit & ad finẽ iã properare ſuũ, (ris
Romani legimus dum triſtia' bella Senatus,
In clades ſumpſit qui ſua tela ſuas.
Quæ ſcripſit uates, rabies quem dira Neronis,
Inuidiæ ſtimulis exagitata necat.
Nunc quibus extremo concludit fine tumultus,
Illius & ſcripti temporis acta legam.
Reſtat enim decimus tantum liber ordine nobis,
Quiq; ſuo præit proximus 'ante loco.
Quos etiam, cupient ſi qui modo ſcire, legemus,
Plurima nam uitæ de ratione docent.
Scilicet extremi quàm ſit res plena pericli
Et grauis, inuito bella mouere Deo.
Et ſtultis contra ſua fata furoribus ire,
Nec iam uincenti cedere uelle malo.

Sed Tragicis potius quoq; cladibus addere cul-
In casus etiam semina ferre suos. (pam,
Talia perpetui testatur regula semper
Ordinis, Euentus non habuisse bonos.
Sic Cato Thessalicæ post infœlicia pugnæ
Tempora, per clades pergit obire suas.
Nec semel occubuisse sat est, iterumq; resumit
Arma, sed in proprium mox ruitura caput.
Irruit in similes durata Scipio mente
Casus, sed tandem victus uterq; iacet.
Quiq; diu victor superat mala plurima bellī
Iulius, heu tandem quo perit ipse modo?
Incidit in casum, quem non sperauerat unquam.
Has fortuna solet lubrica ferre uices.
Sic olim magnis rerum successibus auctus
Bellerophon, casus est sibi causa grauis.
Nam postquam egregias res gessit tempore lōgo
Vnde suum victor nomen ad astra tulit:
Præcipiti uolitans etiam petit æthera cursu,
Excutit at dominum Pegasus ipse suum.
Sic animo Perseus spectat sua facta superbo,
Ingenij metas nec tenet ille sui.
Inq; Medusæos audet conuertere uultus
Lumina, sed celeri mox pede pœna uenit.
Namq; alios fecit qui uisa Gorgone saxa,
In saxum tandem uersus & ipse fuit.

Hæc exempla decet multum proponere uitæ,
Notaq́; principibus proderat esse uiris.
Vt moniti frenent animos & pectora iure,
Et non in pœnas ambitione ruant.
Quod si præceptis regerentur talibus urbes,
Non premerent populi tot mala sæpe bonum.
Sed noua ne miseris incendia forte malorum
Nascantur, prohibe Christe benigne, precor.
Atq; pios inter nunc sæua pericula cœtus,
Agminis & clemens protege membra tui.

Die Conuersionis Pauli. Anno 1551.

DE ECLIPSI LVNAE QVAE FVIT DIE XX. FEBRVARII, ANNI 1551.

HActenus in liquido cõspeximus aëre, sæua
Humanis similes bella ciere manus.
Comperimus nasci non notis monstra figuris,
Noxiaq́; humanos edere bruta sonos.
Hæc, aliæq; simul cœli per inania formæ,
Visa secuturi signa fuere mali.
Nunc iterum clades portendunt astra cruentas,
Et noua Teutonicis bella minantur agris.
Cras ubi stellifero Titan delapsus Olympo,
Merserit Hesperio gurgite fessus equos:

Vectus in undiuagis ſtellati Piſcibus orbis,
Vltima per cœli ſydera lumen agens:
Aequaleſq; mouens ſpatijs diſtantibus horas,
Ediderit ſenos machina pulſa ſonos:
Tunc ſoror Oceano egrediens, contraria fratri,
Per loca, quadrijugis Luna feretur equis.
Et generis tantos noſtri indignata furores,
Lumina ſuppoſitis tecta negabit agris.
Erigone, leges bello ſiluiſſe coactas,
Et cum iuſticia iura ſubacta dolens,
Ipſa quoq; ardentes atra caligine uultus
Condet, & obſcuras proferet uſq; faces.
Hæc ne uana tamen, uel non metuenda putetis,
Quæ fieri, Aſtrorum lege iubente, ſolent.
Noxia Cecropij moneat uos pœna Periclis,
Contempto iuſtam quam dedit ille Deo.
Ille uti, quæ certa regerentur Lege, probaret
Scilicet, effectu ſigna carere ſuo.
Lumina Nauarchi nigricante tegebat amictu,
Quando ſuo caſſus lumine Phœbus erat.
Et monſtrata poli ridens uelut irrita ſigna,
Talia Nauarcho uerba locutus, ait:
Sicut amice tibi nihil accidit inde malorum,
Nec clades ſocios occupat ulla tuos:
Quòd non clara tui radiantis lumina uultus,
Quo tibi cunq; lubet, uertere mota licet.

Sic neq;

Sic neq; sunt nobis, Soliq; nocentia, Phœbum.
Quæ ueluti facta pallia nocte tegunt.
Ipse tamen multo grassantem tempore pestem
Vidit, & indigne prælia mota, sequi.
Ergo quòd horribili subito ferrugine tectum
Cynthia nocturnum proferet orta caput,
Hæc quoq; ueturæ quondam præsagia stragis,
Atq; secuturæ nuncia pestis erunt.
Qualescunq; tenent Physicas miracula causas,
Sunt tamen instantis nuncia signa mali.
Sed tunc illa dies belli uisura tumultus,
Illaq; prædictæ tempora cladis erunt.
Quando premens fului Bellator brachia Cancri,
Actus ad hirsuti terga Leonis erit,
Falciger oppositaq; senex in cuspide surgens,
Infœlix humeros presserit urna tuos.
Hæc facies cœli nostræ uentura Sareptæ
Plurima letali corpora falce metet.
Tunc adeo pestis, tunc luctifer ingruet annus,
Qui dabit exitio languida membra graui.
At tu sancte Deus, qui stellis Christe dedisti
Primus in hæc uires inferiora tuis,
Qui mare, qui terras freno moderaris, & idem
Fata mouere potes, tollere fata potes:
Corrige, quæ cœli mala nobis astra minantur,
Lenis & es populo, sæuus in hoste, tuo.

Parce gregi infirmo, petimus, tua dicta sonanti,
Et tribuas aliqua posse quiete frui.
Et, quia tu superi reserans penetralia cœli,
Fecisti populis peruia regna tuis:
Nos etiam quondam, mundi compage soluta,
Suscipe stelligeri mitis in astra poli.
Interea nostram clemens defende Sareptam.
Hospitium studijs posßit ut esse bonis.
Matthæus Colerus, Altenburgensis.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. SEBASTIANVS MATTHAEVS S. D. LECTORIBVS.

PRæcipua consolatio est omnibus pijs mentibus in tantis ærumnis, certò scire, & esse Dei Ecclesiam hunc ipsum cœtum, qui sonat Euangelij uocem, & filium Dei semper aliquas, in hac uita etiam, seruaturum esse Ecclesiæ reliquias, & suæ sapientiæ scintillulas.

De hoc tanto beneficio sint in conspectu nobis diuinæ promißiones, iuramento sancitæ, ut Psalmus inquit: Iurauit Dominus & non pœnibit eum. Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

Itaq;

Itaq; & gratias agamus Deo, seruanti Ecclesiam, ubi pia doctrinæ studia sunt, & petamus beneficia Ecclesiæ promissa. Nec sit frigida inuocatio, sed hodiernæ lectionis historia de Muliere Cananæa nos commonefaciat, quale incendium sit uera precatio. Clamemus unà cum hac mœstißima matre: ἐλέησον ἡμᾶς κύριε υἱὲ Δαβίδ. Nullus adfectus inter humanos ardentior est, quàm matris in calamitate sobolis. Huius tanti motus sit in nobis guttula aliqua, cum ingentes Ecclesiæ et patriæ calamitates intuemur.

Horribiliter dilacerantur Ecclesiæ. Ad id malum & bella accedunt, ac recens ex Pannonijs Turci multa milia uirorum, mulierum, puberum & impuberum abduxerunt. Et impendent maiora bella. Veris igitur gemitibus petamus, ut filius Dei leniat pœnas, & seruet Ecclesias in his regionibus, concedat nobis miserrimis catellis, ut fruamur micis, quæ de Prophetarum & Apostolorum mensis cadunt.

Nos quoq; reprimamus cœcos impetus nostros, & suo quisq; loco modestè iuuet studia doctrinæ, & concordiam ac consociationem Ecclesiæ tucatur.

Simus perpetuo memores huius grauißimæ

concionis

concionis de communi concordia. Ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστὶ, καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἐν τῷ θεῷ μένει, καὶ ὁ θεὸς ἐν αὐτῷ. Speremus etiam & uota ac gemitus nostros filium Dei exauditurum esse, & labores nostros & exitus periculorum gubernaturum esse.

Hoc animo & hac spe Scholasticas operas faciemus, & tibi æterne pater domini nostri Iesu Christi, conditor cœli & terræ, & hominum, & Ecclesiæ tuæ, unà cum Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto, gratias agimus, quòd hactenus nos clementer seruasti, teq; oramus, ut semper tibi Ecclesiam inter nos colligas, & lucem doctrinæ non sinas extingui, sed regas & iuues docentes & discentes, & facias nos, & hos nostros auditores, quibus testimonium doctrinæ tribuimus, σκεύη ἐλέους.

Cum autem proximo die Matthiæ Apostoli, quod faustum & fœlix sit, gradu Magisterij Philosophici, hos, quorum nomina adscripta sunt, ornaturi simus, petimus, ut omnes omnium ordinum doctores, Magistri & auditores, ad renunciationem illam gradus conueniant, & hoc officio studia doctrinarum ornent, & ibi nobiscum

ſcium uota faciant, ut ſtudia filius Dei in hac Academia regat, & hæc tuguriola & hoſpitium literarum tueatur. Die 22. Februarij.

DECANVS COLLEGII IVRE CONSVLTORVM.

APparet in omni uita publicarum legum magnam dignitatem eſſe, cum ob alias cauſas, tum uerò quòd nerui ſunt politici ordinis, quem Deus ſæpe nobis commendat, non tantum propter communem defenſionem & pacem, ſed etiam quia is debet eſſe cuſtos diſciplinæ, quam Deus in hac uita multis de grauiſſimis cauſis requirit, & ornat eam ſæpe magnificis præmijs, ac uiciſſim atrocibus pœnis illos adficit, qui eam petulanter aut flagitioſe contemnunt & uiolant. Hac de cauſa & de doctrina legum reuerenter ſentire omnes bonos nihil dubitamus, & conſtat ad tuendam communem tranquillitatem in plurimus negocijs & controuerſijs dijudicandis, & tollendis magnopere ea opus eſſe. Nec uerò Reipub. ſalutare eſt aut utile, ſicut multi ſæpe ferociter diſputant, controuerſias dijudicari ex communi mediocrium hominum opinione, & arbitrio. Sed magnæ & gra-

ues

ues causa sunt, cur scripti Iuris authoritas, in foro & iudicijs retinenda & sequenda sit. Hoc autem sine eruditiore aliqua doctrina fieri non potest, quæ cum in tanta uarietate negociorum sæpe difficilis sit, & requirat aliarum artium cognitionem, ut fontes Iuris rectius inquirantur, & explicentur: digni fauore, & honore sunt, Reipub. causa, qui in hoc generis studiorum, cum quadam uirtutis opinione bonam operam nauarunt.

Ediderunt autem egregrium specimen in hac schola & in foro diligentiæ & profectus in hac doctrina, clarißimi & honestißimi uiri quinq; diu apud nos uersati, uitæ & morum grauitate eximia.

Licentiatus Iohannes Schneitewin.
L. Christophorus Trautebul.
Antonius Freudeman.
M. Huldericus Sitzinger.
Andreas Vuolfius.

Hi cum à collegio nostro petiuerint sibi tribui publicum testimonium eruditionis & uirtutis iustißimis de causis, decreuimus eis conferre insignia & gradum Doctoratus in utroq; iure, ad proximum diem Iouis in templo arcis.

Petimus

Petimus igitur, ut uiri boni & docti, item scholastici, ad hanc Renunciationem studiose conueniant, ut usitata ceremonia, & frequentia scholastici ordinis hic gradus tribuatur ijs, quorum industriam, doctrimã, & uirtutem speramus Reipub. magno usui fore. Et quoniam tempora flagitant quietem, ut multa uulnera Reipub. & Ecclesiæ facilius sanentur, commendemus Deo patri domini nostri Iesu Christi publicum statum, orantes ut doctrinæ studia clementer seruet, & ut artes pacis coli & propagari possint ad gloriam Dei, & posteritatis salutem. Hos enim fines præcipuos politici status uult esse Deus, sicut Paulus significat, cum iubet precationes fieri pro Magistratibus, ut tranquillam & quietam uitam degamus, sicut inquit, Cum omni pietate & honestate,

22. Februarij. Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR.

Fideliter docuit Philosophiæ initia in hac Academia Iohannes Feltkirchius, cum quidem

dem

dem & eruditione præclare instructus esset, & in iudicando eximia esset ipsius prudentia, & circumspectio, quæ & in hac re lucebat, quòd hac humili professione contentus, non adspirabat ad splendidiorem uitæ gradum, sæpe recitans hos ipsos Versus:

Viue tibi, quantumq; potes prælustria uita,
Sæuum prælustri fulmen ab arce uenit.
Crede mihi bene qui latuit, bene uixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.

Id cum faceret suo loco multorũ studia iuuabat.

Etsi autem stellarum positus non promittebat ei longæuitatem. Erat enim natus in coniunctione Solis & Lunæ, tamen post eius mortem tantæ calamitates publicæ secutæ sunt, ut minus infœlices iudicandi sint pij homines, qui, ne hæc tristia spectacula uiderent, antea ex hac uita decesserunt. Vxor eius etiam postea perpetuo morbo & sæuo laborauit, quæ fuit exemplum humanæ infirmitatis insigne, Nunc ipsam quoq; Deus ex hac uita euocauit.

Hortamur igitur Magistros & Scholasticos, ut ad funus piæ matronæ hodie hora 12. conueniant, Ac Deum orent, ut uitam nostram custodiat,

diat, regat nos, & in hac tanta infirmitate generis humani opem ferat. Die 18. Martij.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR.

ANnus hic est à primo pascate, quod Israëlitæ exituri ex Aegypto celebrarũt. 3060. Tot annos continua serie & seruauit filius Dei Ecclesiam suã, & agnoscere ac celebrare eam sua beneficia uoluit. Seruabit etiam deinceps hanc ipsam ob causam, ne in genere humano extinguatur uera ipsius noticia, & inuocatio Dei. Sed proh dolor, ut Sol medio die lucem amisit, & contra naturæ ordinem subitæ tenebræ fuerunt, cum in cruce filius Dei penderet: ita in hac mundi senecta tristes tenebræ erunt in magna parte generis humani. Erunt tamen exiguæ reliquiæ, quæ uocem Euangelij sonabunt.

Et quia uera Dei Ecclesia in cœlis & in terra. hoc ipso tempore de mirando consilio redemptionis generis humani colloquitur, & iusticiam ac misericordiam Dei considerat, agit gratias in cœlo & in terra, & in his ærumnis in

terra ſuſtentat ſe inuocatione, fide intuens filium Dei reſuſcitatum, regnantem ad dextram æterni patris, & efficacem in nobis: adiungamus nos quoque ad uniuerſæ Eccleſiæ uocem, & noſtros gemitus, gratiarum actionem, & precationem.

Longe ſuperant hæc miranda diuinitatis conſilia de redemptione humani generis, omnium creaturarum ſapientiam. Sed patefactiones diuinas reuerenter audiamus, & illuſtribus teſtimonijs, quæ Deus propter hunc filium inde uſq; ab initio generis humani præcipue oſtendit, flectamur ad adſenſionem, & in hac conſideratione clamemus ad ipſum filium Dei, ut in cordibus noſtris accendat lucem, qua uere agnoſcamus ipſum, & beneficia eius intelligere diſcamus. Nec irritæ ſunt hæ preces, nec adſpernatur Deus huius ſtudij exordia, etiamſi ſunt imbecillia, quia ſcriptum eſt: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Sæpe hanc uocem ingemines, Credo domine, ſed opem fer imbecillitati meæ.

Vtrunq; autem in hac miranda narratione cogites, de cauſis, quare Filius Dei factus ſit uictima, & de reſurrectione, uidelicet iuſtiſſimam, ueram & ingentem iram Dei aduerſus noſtra peccata.

peccata, deinde et consolationem. Cernimus iram in omnibus calamitatibus generis humani, morte, morbis, excidijs urbium, gentium dißipationibus & uastationibus. Sed nulla in re magis conspicitur iræ magnitudo, quam in filij cruciatibus & morte. Cum adeo irascatur peccatis Deus, ut etiam filium tanta mole pœnarum onerarit, agnoscamus non segnem iram esse, & uere expauescamus. Vult Deus agnosci suam iusticiam & iram aduersus peccata, & nunquam diu tolerat in ullis hominibus Cyclopicam securitatem, & iusticiæ diuinæ contemptum. Ideo in hac uita rapit ad supplicia superbos & ἀπηλγηκότας, non solum extra Ecclesiam, sed etiam in suo cœtu, ut dicitur: Iudicium à domo Dei incipit.

Expauescamus igitur cogitatione iræ Dei, intuentes & in alia tristia spectacula, & in hunc Filium Dei pendentem in cruce propter tua & mea & omnium delicta. Tanta uerò bonitas Dei est, ut nequaquam uelit nos extingui dolore, sed Filium unigenitum nobis donarit, per quem & propter quem redderet nobis iusticiam et uitam æternam. Hic & uictima pro nobis factus est, ut iustißima ira æterni Patris placaretur, & reuixit ex morte, quia conteri caput Serpentis o-

portebat à SEMINE MVLIERIS. Viuere igitur hominem Christum oportebat, qui abolita morte regnet, & destruat diaboli tyrannidem. Adsidue igitur Filius Dei reprimit & conculcat Diabolos, & ex hac infirma generis humani massa colligit sibi æternam Ecclesiam, seruat cœtus docentes & discentes Euangelium. Propter hunc uictorem, qui reuixit ex morte, fide statuas tibi uere peccata remitti á Deo, te uere recipi, te uestiri ipsius iusticia. Hic uictor te protegit & regit te Spiritu suo Sancto. Hic certò uult ibi opem ferre, inquiens. Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Hac nos consolatione in tantis ærumnis & periculis erigamus.

In his exercitijs doctrina erit illustrior, & confirmabitur adsensio, et sentiemus hoc regnum Filij Dei, non otiosum esse, sed uere eum, & adfici nostris miserijs, & nobis adesse, & opem ferre inuocantibus. Tempora etiam nos mouebant in his tristißimis spectaculis, ut simus in omnibus actionibus modestiores, & ut sit ardentior inuocatio, Nihil enim dubium est, hanc esse mundi senectam, quæ & imbecillis & delira est, de qua Daniel inquit: Eo tempore stabit Michael Dux magnus pro filijs populi tui. Et erit tempus tribulationis,

tribulationis, quale non fuit postquam gentes esse cœperunt. Videtis non solum ruinas Regnorum, & tristissimas confusiones gubernationum, & oppressionem ueritatis in magna Europæ parte, sed etiam in hoc ipso cœtu, qui uere est Ecclesia Dei, sæuas distractiones opinionum, & uoluntatum. Hæc tanta uulnera nostra Iesu Christe fili Dei uiui, crucifixe pro nobis & resuscitate, Emmanuel dilectissime, sanato, & conterito caput Serpentis, qui nunc sciens iudicium instare, in quo horribilis turpitudo ipsius & malicia ostendetur omnibus Angelis et hominibus, rabiosius furit. Hunc hostem tuum fili Dei, ne sinito maiores dissipationes, & uastationem Ethnicam facere. Serua, & foue infirmos cœtus tuos, Sicut scriptum est apud Esaiam, sicut Pastor tenellos agnos recens editos in gremio gestat.

Mandamus autem omnibus Magistris & auditoribus, ut gratitudinis significationem erga Euangelij ministros ostendant, & munera ad aram adferant. In Pascate,

Anni 1551.

ANNO 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR.

OPtat tranquillam ſenectam & placidum exitum Dauid inquiens: Et in ſenecta Deus ne me relinquas. Videt enim & in ſingulis naturam ſenio languefactam, facilius labi, & totius Eccleſiæ ſenectam intuetur. Quare & nos cum de noſtræ ſenectutis periculis, tum de Eccleſiæ ſenecta cogitemus, noſq; regi precemur, ac ſæpe nobis hunc uerſum ſubijciamus, φόβος τὸ γήρας, οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον.

Deo etiam gratias agamus, cum pio ſeni placidum exitum tribuit. Pater Carpophori iunioris, uir nobilis, honeſtus, & Deum uera pietate colens, Iohannes N. natus in familia equeſtri gentis Bohemicæ, uixit annos nonaginta ſeptem, & tres menſes, cui in hac ultima ſenecta filij conſuetudo, apud quem diu fuit, & ſtudia doctrinæ de filio Dei, ſummæ Voluptati fuerunt.

Erat enim ut ſcitis, aſſiduus auditor concionum, & ſuas preces cum Eccleſiæ precibus coniungebat. Iam enim erat ea ætas, ut conueniret ad dictum,

ad dictum: ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων. Sed fuit omnino beatior, quàm Agathocles, qui etiam 90 annum attigit. Et quanquam ex gregario milite factus est Rex: tamen & in bellis amisit filios interfectos ab hostibus, & in extrema senecta uidit nepotem & filium de regno dimicantes, & interfici filium à nepote. Nobilissimā etiam coniugem Theogenam cum reliquis filijs in exilium misit, ne interficerentur.

Hæc tristia spectacula cum ad morbi sæuiciam accederent, in maximis doloribus extinctus est. At hic senex, pater Iunioris Carpophori, lætus in inuocatione filij Dei, nec dubitans de æterna Ecclesiæ consuetudine, ex hac uita decessit, uidit & lætus filium, & posteritatem in familia tranquilla. Talis migratio à Deo petenda est. Fiet autem Funus hora 12. Quare Scholasticos hortamur, ut ante ædes Iunioris Carpophori cõueniant, ubi & singuli suam uitam & Ecclesiam Deo pijs uotis commendent. Die 12. Aprilis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRATEBVL DOCTOR.

REctius erat moderatione animorum lenire fatales difficultates, & à Deo petere mitigationem, quàm irritare iracundiam eorum, qui præsunt. Quidam uerò cum communi omnium periculo magnam petulantiam exercent, frangunt fores, & feras armamentarij, conscendunt aggerem, inquinant machinas bellicas in ripa Albis, asseres in Albim abijciunt. Hæc & similia exempla petulantiæ seuere prohibemus, quæ debent à scholasticis alienissima esse, qui iura hospitij intelligere & colere debent, imo qui & insidias Diabolorum considerare, & cauere debent. Hoc enim agunt Diaboli, ut quoquo modo tumultus & seditiones excitent, in quibus multæ cædes puberum & impuberum fierent, & mulieres grauidæ perterrefactæ perirent, & alia multa tristia acciderent, quæ nemo enumerare potest. Thucydides inquit: ἐξ ὀλίγων πολλὰ.

Et Pindarus ait, paruula scintilla magnam syluam comburit: πολλὰν ἀΐσσοντεμ ὕλαν πῦρ ἐκ μικρῶ πέρματ ⊙. Sapientia est necessaria diligenter uitare tumultuum occasiones. Illos etiam qui causam præbent, Deus ad pœnam retrahet. Hoc quoq; monemus, si hæc prohibitio contemnetur, postea Magistratus erit uindex huius

huius petulantiæ. Itaq; fidelißimo animo præcipimus, ut & uobis ipsis & urbanæ multitudini, ciuibus, mulieribus, puellis, Deniq; et Academiæ, in qua Dei beneficio mediocria sunt optimarum artium studia, parcatis, nec irritata ira Magistratuum tumultum excitetis uobis & alijs pernitiosum.

Oramus autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, qui dixit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis, Vt clementer nos & gubernet, & hos doctrinarum alueolos protegat. Die 22. Aprilis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL. D.

EGo sum Resurrectio & uita, qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, tamen uiuet, inquit Filius Dei dominus noster Iesus Christus, ostendens se esse uictorem mortis, & instauratorem uitæ. In huius promißionis firma fiducia decessit heri honesta matrona Hediuga socrus doctißimi & integerrimi uiri, Domini Iohannis Strubij Medici excellentis, quæ cum

peruenisset ad ætatem ferme octogintà annorũ, sæpe gratulata est sibi tantam fœlicitatem, quòd hoc tempus attigisset, quo doctrinæ Euangelicæ lux effulsit, tantoq; amore et studio uerbi diuini tenebatur, ut quamuis grauata annis & morbo, ægre incederet, tamen nullam concionem in templo arci uicino negligeret, & in tanta ætate adeo tamen adhuc ualebat memoria, ut sæpe integras conciones eo ordine, quo erant dictæ, memoriter domi repetere posset. Et suam pietatem seria Dei inuocatione & ueris officijs declarabat. Quod enim tempus à concionibus uacuum habuit, id aut precationibus pijs, aut fouendis ac curandis nepotibus suis tribuebat, quibus salutaria dicta doctrinæ cœlestis excepta in concionibus instillabat, & assidua erat monitrix & morum rectrix. Moriens etiam se adsiduis uotis Deo commendauit, & filios ac nepotes hortata est, ut hanc doctrinæ puritatem firmiter teneant, & propagare studeant. Ei funus hodie fiet hora duodecima. Hortamur igitur scholasticos, ut ante ædes Domini Iohannis Strubij prope arcem, conueniant, & hoc officio testentur, se pietatem & alias uirtutes in hoc sexu magnifacere, & gratitudinem suam & obseruantiam declarent erga Strubium, cuius indu-

striã,

ſtria, eruditio, & fides, plurimis opem tulit, ſicut & ſapiens iubet honorari Medicum, qui diuinitus datur, ut periclitantibus ſubueniat. Die 26. Aprilis. Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR.

ETſi in hac uitæ confuſione, cum promiſcue boni & mali intercant, & calamitates multæ ſunt communes, multi de prouidentia dubitant: tamen ſint in conſpectu teſtimonia prouidentiæ illuſtria, & ſciamus pœnas uagari per omnes, Quia nemo nõ habet ſua contagia, & Deum oremus, ut pœnas leniat propter filiũ, ſicut inquit. Non faciam furorem iræ meæ, quia Deus ego ſum, non homo, hoc eſt, quia magnitudinem iræ diuinæ ſuſtinere hæc infirma natura non poteſt. Deinde eò punit Deus, ut retractos ad pœnitentiam ſeruet. Flectamus igitur animos ad ueram pœnitentiã, & nos ad precationem excitemus ipſis etiam ſpectaculis pœnarum. Hoc uicinũ bellum aliquot millia hominũ abſumpſit. Sunt in luctu omnes modeſti homines, & uere hoc fit quod ait Eſaias. Angeli pacis flent amare. Et heri hic uir fortis, Georgius à Libenauu natus

in familia

in familia equestri uetustæ nobilitatis, ex uulnere mortuus est, cum se filio Dei Domino nostro Iesu Christo pie commendasset. Sæpe autem hoc accidit, quod ait Neoptolemus apud Sophoclem.

Bellum parcit ignauis,

πόλεμος οὐδένα ἄνδρα ἔκοπε
ἄξιον πονηρόν, ἀλλὰ τοὺς χρηστοὺς ἀεί.

Ad huius funus ut hora 12. ante ædes Thomæ Chirurgi, è regione Bartholomei Vogelij conueniatis, uos hortamur, ac in funeris Ceremonia pacem à Deo ueris gemitibus petatis. Pridie Calendas Maij. Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IOHANNES TRAVTEBVL DOCTOR VTRIVSQVE IVRIS.

VT Fœtus in aluo matris prius miranda arte formatur, & quasi digitis Dei fingitur, & alitur lacte matris per cotyledonas transfuso, priusquam in lucem editur: Ita & nos in hac caligine, in Ecclesia tanquam in aluo gestamur, à Deo præparamur, & lacte cœlesti, id est, Verbo Dei alimur, quia in hac mortali uita, semina æternæ iusticiæ & uitæ accipi oportet.

Sed

Sed ut fasciolis alligatur aluo & munitur fœtus, ne excidat sua sede: Ita nos legibus & disciplinæ uinculis retinendi sumus, ne fiant dißipationes. Et hæ qualescunq; fasciolæ amandæ sunt, & non temere rumpendæ. Ideo uos propter Deum & propter Ecclesiam obtestamur, ut pectora ad legum, ordinis, & disciplinæ amorem adsuefaciatis, & ametis consociationem.

Cum igitur cras eligendus sit Rector, præcipimus, ut cras hora sexta in auditorio maximo, ad audiendam renunciationem Rectoris, conueniatis, & primum pijs precibus filium Dei oretis, ut hanc Academiam conseruet & gubernet, & Rectorem adiuuet, Imo & ipse filius Dei sit Rector, gestans nos uelut in aluo. Deinde ibi intuentes Magistratum, commonefaciatis uos de uoluntate Dei, qui homines uult disciplina regi & coherceri, & cum certißimum sit, Diabolos moliri ἀκαταστασίαν, & dißipationes, cogitetis, organa Diaboli esse eos, qui contemnunt leges & ordinem, & excuscitate animos ad reuerentiam legum & honestæ consociationis.

Pridie Calendas Maij. Anno 1551.

Rector

ANNO 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS ORTEL VVINSHEMIVS, MEDICAE ARTIS DOCTOR.

ETsi illius æternæ & cœlestis Academiæ sapientia erit, propius contemplari consilia Dei, cur homo conditus sit, cur hoc modo per filiũ Dei redemptus, cur distincta sit Ecclesia à cæteris gentibus, quomodo in hac uita regatur Spiritu sancto, quomodo in illa æterna luce sit Deus omnia in omnibus: tamen hanc admirandã sapientiam uult Deus in hoc angusto curriculo uitæ mortalis inchoari. Ac nisi in hac uita sint accensa huius lucis initia, non est aditus postea ad cœlestem Ecclesiam. Et ut inchoatio fieri possit, prolata est ex arcano consilio diuinitatis uox Euangelij, & illustribus testimonijs confirmata, & obsignata morte & resurrectione Domini nostri Iesu Christi.

Hæc omnia consideremus, audiamus uocem Euangelij, & flectamus mentes & corda ad adsensionem, & simul petamus, ut Deus hanc ipsam lucem in nobis accendat.

Ideo rationalis creatura condita est, ut esset natura,

natura, cui Deus suam sapientiam, & bonitatem communicaret. Et ueri amoris erga homines testimonium est, quòd in eos transfudit Deus eorũ bonorum radios, quæ in ipso sunt summa, scilicet sapientiæ, iusticiæ, libertatis, & uitæ perpetuæ, & quòd uoluit in humano genere tanquam in domicilio habitare, & augere in eis hos radios suæ lucis.

Hoc ingens decus, postquam primi parentes nostri, sed decepti à Diabolo, amiserunt, & iam ira Dei horrenda oppressi fuerunt, hîc rursus immensa bonitas conspicitur. Filius fit deprecator pro genere humano, & pœnam in sese derivat & inenarrabili temperamento iusticiæ & misericordiæ genus humanum restituitur, et bonitas Dei illustrius conspicitur. Rursus homo non tantum fit domicilium Dei, sed effuso in mentes & corda Spiritu sancto, miranda copulatio fit humanæ naturæ ad diuinam, restituitur nobis uita æterna, & mens luce Spiritus diuini cernit Deum, & ardent motus diuini in corde, & illis ipsis halitibus, qui in corde gignuntur. Quæ cogitari maior bonitas potest? quis amor ardentior congitari potest, quàm in his beneficijs conspicitur? Quid dare diuinitas maius potest, quàm quòd ipsa sese in nos effundit?

Etsi

Etsi autem prophani homines hanc totam sapientiam fabulosam esse existimant: tamen nos uerissimam esse scimus, confirmati καὶ σοφίαν γιγνόντες diuino Spiritu. Agnoscamus igitur hanc immensam bonitatem, & celebremus eam, & Deo pro his tantis beneficijs gratias agamus, tribui ea nobis petemus, propter Filium & per eum. Nec dubitemus ea petentibus dari, ut affirmat filius Dei, inquiens. Quanto magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Ac uerissima Tauleri uox est, qui ait: Nunquam cor humanum tam auidum esse ad accipienda cœlestia bona, quàm auidus est Deus ad dandum.

Vicissim etiam tantæ bonitatis consideratio rapiat nos ad amorem Dei. Tetra est multorum peruersitas, qui Stoicis aut Pyrrhonijs disputationibus abducunt se à Deo, non excitant se ad cogitationem de Deo, non existimant Deum cogitatione suarum promissionum efficacem esse, sed ocioſi, dediti uoluptatibus, expectare se fatales raptus aiunt.

At filius Dei iubet te petere Spiritum sanctum, iubet te agnoscere tuam infirmitatem, & tristissima exempla eorum aspicere, qui non re-

guntur

guntur Spiritu diuino. Quales fuerunt Anabaptistarum furores? Qualis est rabies in multis monachis defendentibus idola? Qualia errata fuerunt, non dico Periclis, Demosthenis & multorum sapientum, sed etiam Saulis, Dauidis, Salomonis, postquam fuerunt negligentiores, & rectorem Spiritum sanctum excusserunt? Hæc exempla in nobis sollicitudinem augeant & petendi, ut gubernemur spiritu diuino, & cauendi, ne dolore adficiamus eum.

Hæc tota doctrina in his ferijs repetitur, quæ ut cogitari maiore attentione possit, sint mentes magis compositæ, & frenentur stulti & cœci impetus. Cogitandæ sunt patefactiones diuinæ, in quibus ostensa sunt discrimina Personarum, considerandum, quis sit uerus Deus, quod sit discrimen Ecclesiæ recte inuocantis, & aliarum gentium, quare Spiritus sanctus in Ecclesia detur, quanta sit bonitas Dei declarata creatione, misso filio, remissione peccatorum, donatione Spiritus sancti & uitæ æternæ, discendum etiam, quomodo hæc tanta dona retineantur.

His cogitationibus & gratiarum actio & precatio misceantur. Et sæpe repetenda est uox,

quæ iam canitur: Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil ex innoxium. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Hæc uota non esse inania, nec irrita, experiemini. Non simus adeo prophani & feri, ut existimemus promissiones diuinas nihil ad nos pertinere, sed firmissime statuamus, Deum uelle agnosci & inuocari, ac uelle hæc ipsa bona, propter filium à se peti, remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti, & uitæ æternæ, conseruationem Ecclesiæ, pacem, & alias res necessarias, & exaudiri nostros gemitus ac preces, etiam si corda sunt languida, modo sint in nobis initia conuersionis, ut inquit: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Adficiamur dolore præsentium calamitatum, belli, dissidiorum Ecclesiæ, scandalorum. Et impendentia pericula prospiciamus, denunciata tot prodigijs cœlestibus, incendijs & alijs signis. Priuatis & domesticis miserijs magis mouentur homines, quàm publicis, ut dicit Pindarus, τὸ ὀικεῖον πιέζει, τῶνδε ἀλλοτρίων οὐ μέλει. Sed profecto publicæ miseriæ, bella, & opinionum dissidia non sunt aliena mala, sed uerissimè dictum est in uersu Solonis:

Intrant in thalamos publica damna tuos.

Ipse

Ipſe Spiritus ſanctus in nobis adficitur dolore propter hæc mala, & incitator eſt cordi tuo, ut petas à Deo auxilium, & adiuuat te precantem, ſicut inquit Paulus: Spiritus ſimul opem fert imbecillitati noſtræ, uult agnoſci & celebrari Deum. Ideo uere nos regere uult, modo non petulanter ei repugnemus, non excutiamus eum.

His cogitationibus nos ad pia exercitia excitemus. Cumq; in hoc feſto etiam gratias agere Deo de miniſterij Euangelici inſtitutione debeamus, ſignificatio gratitudinis oſtendenda eſt erga Euangelij miniſtros. Ideo præcipimus, ut ſinguli munus ad aram in hoc feſto offerant. In Pentecoſte Anni 1551. quæ eſt ab exitu ex Aegypto Pentecoſte 3060. Tibi uerò DEVS omnipotens conditor cœli & terræ & hominum, & omnium creaturum tuarum, agimus gratias, quòd hactenus ſeruas Eccleſiam tuam, & te ſupplices oramus, ut deinceps nos ſerues, & regas in Eccleſia tua.

Spiritus ut Domini naſcentia corpora fouit,
Cum manus artificis conderet ipſa, Dei:
Sic foueat cœtus qui Chriſti oracula diſcunt,
Accendatq; igni pectora noſtra ſuo.

ANNO 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS VVINSHEMIVS DOCTOR.

IN hodierna lectione Euangelij proponitur nobis imago uniuersæ Ecclesiæ, quæ uelut Lazarus ante diuitis ædes, iacet in imperijs ad summorum Regum pedes neglecta & spreta, quam tamen ibi filius Dei adfirmat Deo & cæstis Angelis curæ esse, sicut scriptum est: Ego gestabo uos. Contemplctur autem sese unusquisq; & sua ulcera, peccata & miserias, & Deo se ardentioribus uotis commendet, ut nos sicut hunc Lazarum protegat, ut his uersibus comprehensa est precatio:

Aeger & ulceribus squalens in corpore toto,
Hîc iacco, & pereunt tabida membra fame.
Diuitis ante fores iacuit ceu Lazarus olim,
Cui fastidito nemo ferebat opem.
Vt tamen à cunctis spretus, tua cura, tuoq;
Exceptus gremio Lazarus ille fuit:
Sic, æterne Deus, tua me clementia seruet,
Et miserum dextræ protegat umbra tuæ.

Agnoscamus igitur imbecillitatem nostram, & non petulanter cumulemus miserias, Sed modeste

deſte faciamus neceſſaria, & fugiamus non neceſſaria pericula.

Scitis autem ualde periculoſas eſſe natationes in Albi, ut multa triſtia exempla oſtendunt. Nec tantum undæ, & uadoſi uortices metuendi ſunt, Sed diaboli quoq; , qui inſidiantur hominum uitæ.

Ideo primum uos commonefacimus de præcepto Dei, quod ait : Non occidas, ut uitam ſuam ſinguli maiore cura tueri ſtudeant , nec fiant parricidæ ſuorum corporum.

Deinde nomine parentum ueſtrorum , qui nos autoritate ſua armant, & noſtri magiſtratus iure ſcuere prohibemus in Albi natationes .

Cogitate etiam , in quibus peccatis pereant illi , qui cum contra mandatum Dei & contra parentum & noſtra edicta flumini ſe commiſerunt , uel à Diabolis, uel fluminis impetu necantur.

Moueant igitur uos corporum & animarum pericula, ut honeſtiſſimo & paterno edicto noſtro maiore cura obediatis. Præcipimus etiam ne in ripa piſcatores , aut alios petulanter turbetis aut impediatis. In tanto luctu publico Eccleſiæ,

quæ uelut Lazarus, magnis doloribus excrucietur, simus modestiores, nec impediatur precatio in uobis, & alijs. Pridie Calendas Iunij.

Anno 1551.

DE LECTIONE HERODOTI.

INitia mundi tradita sunt diuinitus, & firma adsensione, ac fide amplectamur uocem diuinam, nec fingamus retro mundos innumerabiles & æternos, ut Democritus, Plato, Aristoteles *prodigiosas opiniones finxerunt. Scimus enim doctrinam, quam* Deus Ecclesiæ *tradidit, illustribus testimonijs confirmatã esse, eductione Israëlitarum ex* Aegypto, *resuscitatione mortuorum, & alijs.* Et *singuli pij in cordibus suis circumferunt lucem, qua certò norunt ueram esse* Ecclesiæ *doctrinam, cum & iram* Dei *sentiunt, & rursus ucrè criguntur in illis doloribus.*

Postquam autem de initio mundi adsentimur uoci diuinæ, deinde consilium & uoluntatem Dei *consideremus, quare uoluerit notam esse annorum seriem, & distribuerit in diuersa tempora suas patefactiones, & multas res admirandas, quas sciri à posteritate uoluit. Videmus singulari*

cura

aura conſeruatam eſſe temporũ & maximarum rerum memoriam, & continuam mundi hiſtoriam extare in libris propheticis uſq; ad regnum Perſicum. Cumq; prædixerit DEVS, quatuor fore monarchias, ut ſciremus certò, quo tempore uenturus eſſet Redemptor noſter filius Dei, & quo tempore expectanda ſit Reſuſcitatio mortuorum, & ultimi iudicij patefactio, uoluit etiam in genere humano extare certa teſtimonia de ſucceſſione Monarchiarum. Et hæc uult omnibus nota eſſe.

Conſeruauit igitur magna bonitate, continuam hiſtoriam. Id beneficium Dei agnoſcamus, & grati hiſtorias & earum ſeriem conſideremus.

Sciamus igitur propemodum ordiri Herodotum ab ijs temporibus, in quæ incidit Ieremiæ ætas, qui ab Apryc rege Aegyptio interfectus eſt. Hunc Apryen potentiſſimum & ſuperbiſſimum Regem inquit poſtea ab Amaſi præfecto ſtrangulatum eſſe, & contexit hiſtoriam uſq; ab bellum Xerxis. Deinde continua ſeries eſt hiſtoriæ apud Thucydidem et Xenophontem. Poſtea ſequuntur res Macedonicæ & Romanæ apud alios. Ita ſciamus ſingulari beneficio Dei conſeruatam eſſe continuam maximarum mutationum

tionum seriem. Et multæ magnæ causæ sunt huius consilij diuini, quarum cogitatio non omittenda est. Legendi uerò sunt præcipui scriptores.

Ac in primis utilis est Herodoti lectio, quem qui somniant non historiæ, & rerum uerarum scriptorem esse, sed ex sese fabulas comminiſci, aut fatui sunt, aut literarum ignari. Magna cura inquisitas res ueras in præcipuis negocijs, in regnorum successione, & bellis narrat. Postea adhibet orationis suauitatem tantam, nullum ut extet in soluta oratione scriptum dulcius. Itaq; & sapientiæ & eloquentiæ causa legendus est.

Ostendit seriem Monarchiarum, & proponit exempla, quæ de uoluntate Dei, de gubernatione morum, de pœnis tyrannorum, deniq; de multis uitæ partibus monere Lectorem non stolidum multa possunt.

Et quia recitatio quorundam regum Assyriorum, Aegyptiorum, & Persicorum congruit cum Propheticis historijs, delectemur etiam testimonijs ipsius, sicut de antiquitate Ecclesiæ multa testimonia collegerunt Iustinus & Clemens ex Aegyptiorum & Græcorum monumentis.

Deniq;

Deniq; turpe est homini literato, non legisse Herodotum, cum historiam maximarum rerum, & uetustißimam, & dulcißimè scriptam contineat.

Decreui igitur enarrare græcos Herodoti libros ordine, & Scholasticos ad hanc enarrationem adhortor. Scio præditos bonis ingenijs uel hoc ipsum probaturos, quòd inuitantur ad huius optimi Scriptoris cognitionem. Et quòd commonefiunt, ut hoc Dei beneficium considerent & magnifaciant, quòd continuam mundi historiam extare uoluit.

Audiuimus ex Maioribus nostris, fuisse sapientißimis Regibus & Principibus, Alphonso Neapolitano, & Philippo Palatino, gratißimam operam Vallæ, & Rodolphi Agricolæ, quorum alter Alphonso, alter Palatino contexuit Monarchias, & magnam Herodoti partem illi Epitomæ inseruit.

Scitis ornari Cyrum magnis laudibus apud Esaiam & Danielem, qui cum breuißime recensent pauca quædam Cyri facta, non dubium est commemoratione laudum illarum accendi bonas mentes, ut Cyri adolescentiam & quàm plurima eius facta cognoscere cupiant, qua in lectione uidemus contra tyrannorum uoluntates diuinitus

custodiri, & seruari multos homines. Iusserat interfici Cyrum Astiages. Et datur infans abijciendus pastori, à quo seruatur. Postea adolescens à Daniele discit ueram de Deo doctrinam, cum mirando consilio Deus prouinciam Persidem in Susis, id est, in urbe Rosarum, ut Atheneus quoque interpretatur, Danielem regendam commendari uoluerit. Ita propagata est Ecclesia inter medios hostes in exilio Babylonico, & diuinitus excitatus Rex, qui Tyrannum, qui delere Iudæos conabatur, reprimeret. Indicabimus inter enarrandum & alias quasdam historias congruentes cum Propheticis. Verißimè autem scripsit Stigelius, & uir & Poëta optimus:

Et decus est ingens gestarum tempora rerum
Nosse, quod ante alias esse putetur opes.

Etsi autem res eædem ab alijs recitantur: tamen fontes nouisse rectius est. Et nulla uox humana post Herodotum dulcius hæc ipsa narrare potuit. Quare & propter optimam Orationis formam sæpe multumq; hic Scriptor legendus est. Inchoabo autem interpretationem, Deo iuuante, cras hora secunda.

Bartholomeus Lasan, in ædibus uiduæ R. uiri D. Martini Lutheri.

Paulus

ANNO 1551.

PAVLVS EBERVS KITTHINGENSIS.

THucydides historiam se eò scribere inquit, ut sit κτῆμα, id est, perpetuum thesaurus, non tantum ἀγώνισμα, id est, recitatio ad præsens spectaculum, uoluptatis causa accommodata.

Nec profecto in græca & latina lingua Thesaurus amplior reliquus est, quàm Plutarchi monumenta, qui uelut Bibliotheca est, in qua ueterum historiarum fragmenta præcipua seruata sunt, maximeq; prodest ea in manibus omnium esse. Audiui etiam Saxoniæ ducem Iohannem Fridericum, cui Deus mitiget ærumnas, solitum assidue legere huius scriptoris interpretationes, ac sæpe de consilijs & euentibus summorum ducum loqui. Nunc autem Periclen enarrabo, cuius historia, exempla in utrunq; partem insignia continet: πολυπραγμοσύνη & non necessaria pertinacia nocuit Reipub: Tolerantia, & dissimulatione idem uir profuit. Et multa sunt in hac narratione Plutarchi non solum propter rerum gestarum memoriam, sed etiam propter eruditè dicta, consideratione digna. Itaq; ualde prodest notissimam esse hanc narrationem omnibus studiosis.

Iohannes

ANNO 1551.

IOHANNES MARCELLVS REGIOMONTANVS.

EFfigies non falsa Dei mens nostra creatâ
Et totum pectus tunc sine labe fuit. (est,
Hei cur dißimiles adeo nostriq; Deiq;,
Nunc miseri tantum sordida massa sumus?
Vera etenim nostro pulsa est ex pectore uirtus,
Luxq́; procul nostræ pristina mentis abest.
Quæ uelut æthereo fulgens Sol aureus orbe
Illustrat radijs inferiora suis,
In nostra primum pura sic mente refulsit,
Aßiduo ut colerent pectora nostra DEVM.
Nunc tamen in nostro quodcunq́; est corpore fre
Vix umbram primæ nobilitatis habet. (mũ,
Nec magis à nobis æternam tollere mortem,
Iratumq; potest conciliare DEVM:
Quàm potuit raptus de ficus arbore ramus,
Quo texit primus membra uerenda parens.
Vt sint salua tamen communis uincula uitæ,
Non contra mores nos decet ire bonos.
Hinc sunt tot ueterũ sapientia scripta uirorum,
Quæ rectam monstrant ad decus omne uiam.
Ex his præcipua sunt digni laude libelli,
In quibus officium Tullius omne docet.

Hos

ANNO 1551.

Hos ego præceptis morum monitisq; refertos
Qua potero uobis sedulitate legam.
Bellaq; describens antiquæ Punica gentis,
Liuius alterni cura laboris erit.
Ducit ab his scriptis sermonis forma colorem,
Et mens exemplis erudienda tibi est.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS VVINSHEMIVS DOCTOR.

NOn *nunc primum ualde tristi & acerbo dolore afficit nos insignis peruersitas & petulantia quorundam, qui toties nobis paterno animo monentibus, & quasi obsecrantibus, ut scholastici hoc mœstißimo tempore sint modestiores, tamen spreta uoluntate Dei, suorum parentũ, & nostra, adeo furenter pergunt insanire, ut non solum sibi pericula accersant, sed etiam toti Ecclesiæ nostræ alios dolores nouis subinde augere & cumulare non desistant. Sed quicunq; exitus erit aliquando talium furiarum, Deo testante, affirmare possumus, nos nullum hactenus officij aut diligentiæ genus intermisisse, quod putauimus ad emendandos mores iuuentutis pertinere. Hac conscientia uerè etiam nos*

uos consolari possumus, si quid postea accidit durius contra nostram uoluntatem. Nunc etiam cum tristis casus hisce diebus acciderit, misere perdito adolescente, quid aliud possumus, nisi gemere & adfici dolore parentum ipsius, etiamsi atrocia scelera dignis modis nos non persequi possumus. Deo igitur cætera commendemus necesse est, qui haud dubie iram suam erga contumaces ostendet, sed oramus tamen, ut in ira misericordiæ suæ erga gementes et uere deplorantes sua peccata, recordetur, & parcat alijs, qui ipsum uero timore, & agnitione filij ipsius domini nostri Iesu Christi colere & inuocare studeant. Parcat etiam pijs familijs, quibus quiete, & mediocribus hospitijs opus est, ad erudiendam et confirmandam teneram ætatem doctrina salutari, quæ corda nostra agnitione Dei illustrat, & proponit afflictæ solidam consolationem, quæ nunc in tanto luctu Ecclesiæ, pijs ualde opus est. Hortamur autem quanto studio possumus iuuentutem, ut uitam emendet, nec pergat sua contumacia accendere iram Dei. Volumus etiam, ut hodie funus deducatis, quod fiet adolescenti oppresso, qui ex hospitio suo post Cœmiterium sito, efferetur hora 12. ut ceremoniæ funerum usitatæ in Ecclesia seruentur. Datum 18. Iunij. Anno 1551.

Rector

ANNO 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS VVINSHEMIVS DOCTOR.

INgens miraculum fuit, & teſtimonium præſentiæ Dei in Eccleſia, quòd multæ honeſtiſſimæ uirgines & matronæ, forma, uirtute, & ſapientia antecellentes, cuſtoditæ ſunt, ut Maria, ſoror Mariæ, Eliſabeth, & ſimiles, cum uagarentur in Iudæa milites petulantiſſimi, ex ijs gentibus collecti, quæ libidinibus, rapacitate, & crudelitate antecelluerunt cæteris, uidelicet ex Arabica, Syriaca Aegyptiaca, Parthica, & uicinis. Ac ſuperabant omnium audaciam Iudæi, qui abiecta religione infinitam licentiam ſibi ſumebant. Inter hos latrones tamen Deus puerperam Eliſabeth, & cunas Iohannis, & Mariam aſſidentem cunis, & baſiola figentem genis infantis, protexit. Hoc exemplum ſæpe cogitandum eſt, & petenda & expectanda eſt à Deo nunc quoq; noſtri infirmi cætus defenſio.

Poſtea etiam cum inquiri Herodes natum Regem iuſſiſſet, etſi cædes per aliquot oppida uagata eſt, tamen cuſtoditæ ſunt hæ familiæ, ſed ita, ut tamen exilij ærumnæ ſuſtinendæ eſſent.

Vt enim

Vt enim Maria in Aegyptum fugit, ita Elisabeth cum Iohanne filiolo secessit ultra Iordanem in desertum.

Sic autem protegit Ecclesiam Deus, ut uelit etiam nos non petulanter irritare iram suam. Non dubia uox est filij Dei. Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et exemplorum consensus apud omnes gentes ostendit, hanc uocem filij Dei ueram esse.

Ideo uos propter gloriam Dei, & propter salutem uestram, & propter parentum uestrorum & totius Ecclesiæ ingentem mœsticiam obtestamur, ut modesti sitis, & edictum, quo prohibentur nocturni tumultus, & armorum gestatio, renouamus, ac seuere præcipimus, ne Scholastici gerant arma, & ne alij alios lædant aut prouocent, aut rixando irritent. Nam ut uitentur cædes, uitari etiam causas προκαταρκτικὰς necesse est, sicut sæpe auditis: Vitare delicta, est uitare occasiones delinquendi. Item: qui amat periculum, peribit in eo.

Has nostras commonefactiones paternas si contempseritis, cogitate Deum ultorem fore, sicut monet Paulus inquiens: Necesse est obedire Magistratui, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Hoc

Hoc quoq; cogitate, totis gentibus attrahi pœnas, cum terra sanguine humano polluitur, & ira Dei cumulatur, ut tandem feriat terram Anathemate, ut in Prophetica commination dicitur, hoc est, sinat horrendas uastitates fieri, sicut nunc Palestina, Aegyptus, Asia, Græcia, solitudines sunt, aut Turcicorum Latronum stabula. Hæc tanta mala ne accidant in Germania, & orandus est filius Dei, ut sit umbraculum, & nos clementer seruet: & mores nostros modestiores esse necesse est. Die Iohannis Baptistæ.

ARITHMETICAE STV-
DIOSIS IOHANNES MON-
NINGER S.

Cvm Deus à prima formasset origine mun-
Humanũ mira condidit arte genus. (dũ,
Atq; suæ impreßit nobis uestigia mentis,
Quæ uelut ipsius proxima signa forent.
Qualia sunt: numeri, praui discrimen & æqui,
Et quæ non doctus quilibet ipse tenet.
Nec tamen ignauæ frustra concredita menti,
Hæc, defossa uelut dona, latere iubet.
Sed uult præceptis studiorum ex ordine iunctis,
Splendida nobiscum semina nata coli.

ANNO 1751.

Vt ſimul authoris cum ſint monumenta beati,
Conſocient noſtrum cum pietate genus.
Præcipue uerò numerorum immobilis ordo,
Indicat (ut taceam commoda plura) Deum.
Nam quis noſſet eum ſimul Vno in numine tri-
Quis poſſet plures rite negare Deos? (num?
Ni diſtincta notis numerorum nomina certis,
A prima cunctis indita ſtirpe forent?
Artis at illius ſi cætera commoda ſpectes,
Quàm uaria noſtrum uinciat arte genus:
Plura quidem longo digniſsima carmine cernes,
Quàm uerſu capiat charta notata breui.
Tu tamen interea ſtudijs addicta iuuentus,
Quæ colere ingenij ſemina pulchra cupis,
Si libet accedas, artis præccpta modoſq;
Auditura, quibus cuncta putanda patent.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI MAGISTER Lucas Hetzer Torgenſis omnibus Studioſis. S. D.

CVm peperit, ſancto tedis coniuncta pudicis
Zachariæ pignus connubiale tori.

Cum

ANNO 1551.

Cum sterilis prius, ac annis effœta fuisset,
Facta dein magni uatis Elisa parens.
Nemo defendit pueri cunabula nati,
Orbaq; præsidijs cum patre mater erat.
Et uentura noui lacerabant uiscera regni
Impius Herodes, Pontificumq; cohors.
Vtq; fit, assidui sub tristia tempora belli,
Omnia plena metu, plena doloris erant.
Miles Idumæis grassans audebat in agris
Omne, Magistratu non prohibente, scelus.
Sæpius innocuas per fasq; nefasq; puellas
Compulit amissa uirginitate mori.
Exiguus numero cœtus, sine uiribus agmen,
Membra tamen ueræ relligionis erant.
Quæ, ueluti pullos tepidis Gallina sub alis,
Sic fouit gremio conditor ipse suo.
Hospitiumq; dedit, paruiq; mapalia tecti,
Vt canerent toto nomen in orbe Dei.
Hîc fuit ipsa Dei genitrix, quæ sæpe solebat
Cum reliquis ueræ de pietate loqui.
Ex patria postquam Nazareæ sede relicta,
Venerat ad Solymi mœnia sacra ducis.
Scilicet, ut grauidæ iam tum seruiret Elisæ,
Præstans officio munia digna suo.
Donec ab antiquis promissus uatibus olim
Editus est magni nuncius ille Dei.

Quem genitum uirgo niueas excepit in ulnas,
Purpureis figens basia grata genis.
O quàm sæpe puer, diuino numine rapta,
Ausa fuit de te talia uerba loqui?
Nascere parue puer, matrisq; patrisq; uoluptas,
Præcedens Dominum nuncius ante tuum,
Qui mihi uirginea nuper conceptus in aluo,
Saluabit populos natus in orbe suos.
Ergo uti defensum à turmis hostilibus agmen
Tunc fuit auxilio conditor alme tuo.
Nec fuit in tantis pia gens deleta periclis,
Spargeret ut uerbi semina sacra tui.
Sic hodie clades inter, mundiq; ruinas,
Quem furor in pœnas cœcus ubiq; trahit.
Ille puer quodam Mariæ gestatus in aluo,
Cum per Iordanis littora fecit iter,
Defendat nostros cœtus, nostriq; misertus,
Concedat studijs ocia grata pijs.
Sed tamen hoc etiam diuina uoce iubemur,
Officij ut faciat munera quisq; sui.
Cura bonas artes igitur sit discere nostra,
Quas uitæ normam tradidit esse Deus.
Nos quoq; doctrinã nunc explorabimus horum,
Censuram nostram qui subijsse uolent.
Non labor his noster, non officiosa uoluntas
Deerit, ubi dederint nomina more Scholæ.

ANNO 1551.

Hæc modo ſit bonitate tua Myrmecia tecta
O Chriſte æterni gnate, & imago Patris.

Die congreſſus uirginis Mariæ & Eliſabeth. 2. Iulij. Anno 1551.

MAGISTER TILEMANNVS HESHVSIVS.

CVra rectè loquendi in uita adeo neceſſaria eſt, ut ſi negligatur, infinitæ confuſiones in religionibus & in plurimis uitæ negocijs ſequantur. Si oratio iudicis in ſententijs ferendis ſit incerta & perplexa, uox Iudicis inutilis erit: Ita ſi ſcriptor aut doctor in Eccleſia non adſuefactus eſt ad amandam & cuſtodiendam proprietatem in docendo, ambiguitas diuerſas opiniones, diſſidia, odia, contumelias aduerſus Deum, dilacerationes generis humani, bella & uaſtationes parit. Ac res ipſa oſtendit plurimas hæreſes, & doctrinæ cœleſtis corruptelas, à monſtroſis, & ſophiſticis ingenijs ortas eſſe, quæ neq; quærunt neq; tuentur natiuas ſententias, ſed alienum & proprium ſermonem audacter conturbant, & ſententias diſſimiles confundunt. Ita nunc quoq; in Eccleſia multi

tumultuantur, & res recte traditas præstigijs sophismatum labefactant.

Quare necesse est, & monere iuuentutem, ut sciat, necessaria esse hæc studia recte loquendi, & iudicandi de sermone, & adsuefacere discentes ad hanc pulcherrimam, et utilissimam uirtutem, ad recte loquendi scientiam, & curam.

Vtilitas ut dixi in conspectu est, Pulchritudo etiam inuitet bonas naturas: quia magnum decus est, & signum non monstrosi ingenij, recta, perspicua, propria, & distincta oratio. Sicut & Homerus in laudibus eius uiri, cuius uoluit sapientiam magni fieri, hanc uirtutem comprehendit, inquiens, σοὶ δ' ἔνι μὺθ μορφὴ ἐπέων, ἔνι φρένες ἐσθλαὶ. Hoc magnum decus etiamsi rudis ætas nondum iudicare potest, tamen à senioribus commonefacta, considerare, & amare incipiat.

Grassantur errores in Ecclesia, propter quos totum genus humanum plectitur, in quibus stabilicndis peruersitas malorum hominum hac sophistica præcipue armatur, quæ neglecta sermonis forma, transformat dicta cœlestia in peregrinas sententias.

Non

Non negligant igitur iuniores hanc fidelissimam admonitionem, seq; in legendis optimis scriptoribus, & formanda oratione exerceant.

Decreui igitur enarrare Isocratis scriptum ad Demonicum, Et orationem Ciceronis, seu recitatam seu scriptam contra L. Pisonem uirum consularem, socerum Iulij Cæsaris, cuius magna fuit autoritas in senatu Romano.

Isocrates primus apud Græcos exultantem eloquentiam arrogantia, & uanitate sophistarum Hippiæ, & Gorgiæ, & similium, ad proprietatem, ordinem, & distinctionem retraxit, eiusq; formam diligenter cognoscere prodest omnibus, quacunq; lingua recte loqui studebunt, seu patria seu latina. Sic & Ciceronem scitis rectissime inter latinos loqui, qui quidem fatetur se magistrum sequi Isocratem, & formam eius effingere, quod & res ipsa ostendit. Audio etiam in Italia Bembum, qui Styli emendator præcipuus fuit, suadere solitum, ut hi duo, Isocrates & Cicero, assidue legerentur, & in horum exemplar scripturi tota mente intuerentur. Nec profecto sine cura imitationis homines recte loqui possunt, quod cum ita sit, utilius est eligere eam formã, quæ omnibus plurimum prodesse potest.

Etsi enim illam perfectionem non assequimur, tamen horum consilium, uoluntatem & genus uerborum aliquo modo imitari possumus. Idq; utilius est, quàm aut ex nobis nouum genus dicendi sine consilio, sine ordine, sine certa constructione, sine distinctione gignere, ut plurimi faciunt, aut barbarica scripta sequi confusanea & insulsa. De hac tota re cum sæpe uos præceptores admoneant, diligentia in hoc genere maior esse debebat.

Addam hoc quoq;: Nihil dubium est, diligentia recte loquendi ali etiam curam recte iudicandi & mores formandi, quod in multorum scriptis & uita animaduertere potestis: Fit enim hoc plærumq;, ut studia in mores abeant. Et multæ sunt grauissimæ admonitiones, in his ipsis scriptoribus, qui rectè loqui uoluerunt, ac præcipue in Isocrate, & Cicerone. Sapientissimis Regibus Philippo & Alexandro ita fuit admirationi Isocratis & sapientia & oratio, ut hunc quasi Nestorem audierint, & flexerint animos ad pacem in Græcia faciendam, & ad transferendum bellum ad reprimendam tyrannidem Persicam.

Vtinam nunc quoq; hunc oratorem nostri Monarchæ

Monarchæ legerent, & pace Germaniæ constituta, Turcicum latrocinium in uicina Pannoniæ reprimerent. Sed Deo nos & Ecclesiam commendemus, & nos Ecclesiæ causa, & propter gloriam Dei recte discamus artes communi uitæ & ad agnitionem Dei necessarias. Inchoabo autem enarrationem Isocratis die Lunæ hora 4. post meridiem, in mea habitatione, quæ est in secunda contignatione noui collegij. 5. die Iulij. Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS VVINSHEMIVS DOCTOR.

LOnge omnium philosophorum disputationes superat consolatio in his dictis proposita. Beati mortui, qui in domino moriuntur. Item præciosa mors sanctorum eius. Sed uera & firma adsensione amplectamur hæc dicta, & spe cœlestis uitæ, & consuetudinis, cum æterna Ecclesia, rectius uiuamus.

Heri autem decessit honesta matrona, Euphemia uidua Burcardi pistoris, quæ uera pietate Deum coluit, & erga pauperes benefica fuit.

Et in hoc agone assiduis uotis filio Dei domino nostro Iesu Christo crucifixo pro nobis & resuscitato se commendauit, & uere, ut erat nomen ἐυφημία, ᾧ ἐυφημίᾳ ἐτελεύτησε. Talis enim uidua fuit, qualem Paulus esse iubet, ᾧ ἔργοις καλοῖς μαρτυρουμένη, ἠ παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ ἐπακολουθοῦσα. Filias piè educatas collocauit duobus uiris honestis, quorum alter fideliter rexit Ecclesiam Aldeburgensem: Alter Iohannes Stolsius excellens ingenio & eruditione, in hac Academia utiliter adiuuit studia optimarum artium, & nunc in aula Illustrissimorum principum Ducum Saxoniæ Iuniorum piè docet Euangelium. Hortamur autem scholasticos, ut ad funeris ceremonias hora 12. conueniant, & ibi de huius uitæ periculis & consolationibus per filium Dei traditis cogitantes, singuli suam uitam & Ecclesiam Deo pijs uotis commendent. 24. Iulij.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS VVINSHEMIVS DOCTOR.

VEstræ & multarum utilitatis causa fontem mediocri sumptu colligere & munire

nire effossa terra instituimus. Scitis autem fontes & singulare Dei beneficium esse, necessarium & hominum & animantium uitæ, & publicum bonum esse. Fauere igitur huic labori omnes honestos decet, & Deo gratias agere, quòd rigat terram, & uitæ opem fert per uenas terræ, riuulos & fontes mira arte distribuens.

Audimus autem concursu multorum impediri operas, qua in re & hoc periculum est, quòd impulsa arena, aut impulsis asseribus, collabi tota moles posset, & aliqui oppressi læderentur aut perirent.

Mandamus igitur seuere, ne tumulũ uicinæ arenæ aut asseres scholastici conscendant, eaq; in re sui & alieni periculi rationem habeant. Ostendant etiam se fauere publicæ utilitati, & lætari fontibus. Non imitentur barbariem inimicorum Abrahæ, qui fontes eius obruebant: Sed potius Deo gratias agant & pro his uenulis, & pro fontibus doctrinæ, & orent filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, ut & corporum & animantium salutem tueatur. 30. Iulij.

Decanus

ANNO 1591.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. LVCAS Hetzer Torgensis. S. D. Lectoribus.

APud Clementem Alexandrinum definitio Iusticiæ recitatur, digna consideratione: δικαιοσύνη ὅτι κοινωνία θεοῦ, μετὰ ἰσότητος. Traditam esse existimo ab aliquo, ut discerneretur Iusticia Renatorum, à legis Iusticia, quæ ratione externas actiones seu locomotiuam tantum regit, Non est actio diuina in nobis.

At illa iusticia, de qua Euangelium concionatur, copulat nos cum Deo, fiducia Mediatoris, & adfert lucem & motus diuinos.

Deinde autor definitionis uoluit addere officia secundæ tabulæ, quæ complexus est hac adpellatione: μετὰ ἰσότητος. Ordinata æqualitas neruus est societatis. Est autem ad conseruandam societatem hæc æqualitas necessaria, ut suo loco quisq; conferat operas ad communem utilitatem iuuandam.

Quare oramus omnes Doctores & Magistros, ut cras hora prima à meridie ad publicum examen

examen eorum ueniant, quorum studia nunc explorantur. Speramus homines doctos non grauatim ad hos congressus accedere, quia collatio sententiarum studiosis iucunda est, Interdum & utilis commonefactio est, iuxta illud Euripideum: ὁμιλία ἔπηκε τέχνας. Bene uale lector. Die secunda Augusti. Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS VVINSHEMIVS DOCTOR.

PLærumq; Ecclesia magis priuatorum & tenuium officijs adiuta est, quàm regum & potentum, idq; significatum est in historia Lazari, quem lingunt catuli, spretum à diuite. Et inops uidua præbet hospitium & farinam Heliæ. Quare etiamsi scimus plærosq; scholasticos inopes esse, tamen in hoc cœtu interdum Eleemosynas colligimus. Et sumus experti multorum benignitatem. Nec dubium est, Deum mitigare ærumnas ijs, quorum in hoc genere uoluntas pia & officiosa est, sicut scriptum est. Frange panem tuum esurienti, & eris uelut hortus irriguus. Ideo nunc quoq; uos hortamur, ut conferatis aliquid ad iuuandos pauperes, quo-

rum

rum in ſuburbio ædes conflagrarunt. Hodie enim circumibunt, qui petent, quod cò ſignificamus, ut præmoniti ad menſas adferre aliquantulum numorum poßitis. Filius Dei dominus noſter Ieſus Chriſtus cuſtos Eccleſiæ ſuæ, regat & ſeruet hanc μυρμηκίαν propter doctrinarum propagationem. Amen. 3. Auguſti. Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS VVINSHEMIVS DOCTOR.

ETſi in his uitæ confuſionibus multi de prouidentia dubitant, tamen nos certò ſcimus, ueram eſſe doctrinam de Deo, traditam in Eccleſia, & cauſas calamitatum non à Democriti atomis oriri, ſed à multis et magnis multorum hominum delictis.

Quare nos emendemus, & pœnas leniri petamus, ne in his regionibus, in quibus adhuc Dei beneficio ſunt Eccleſiæ, & mediocris gubernatio diſciplinæ, fiat barbarica uaſtitas. Profecto enim niſi maiore cura frenabimus cœcos impetus noſtros ſecuturæ ſunt pœnæ triſtiores, quæ quidem & ſigna multa denunciant.

Vidit

ANNO 1551.

Vidit quisspiam recens speciem stantis Christi, & coram eo supplicis Ecclesiæ flexis genibus, cui infundebatur iræ calix, quem bibere iussa est. Noua igitur pericula denunciantur, & bella. Annonæ angustia, & semina nouorum bellorum, dissidia opinionum, sunt in conspectu. Cum autem heri ex hac uita decesserit uir nobilis, natus in ueteri et celebri familia Carolouiciorum, Sebastianus à Carolouitz, qui & fortitudine & scientia rei militaris excelluit, hodie ei funus fiet hora prima. Ad id ut conueniatis in uico proximo ædibus consulis Thomæ, uos adhortor, & uestram ibi salutem ac publicam, Deo pijs uotis commendetis. Dolendum est enim patriam multos uiros fortes amittere. Militauit hic Sebastianus antea in Pannonicis, Gallicis, & Germanicis bellis, & cum fortitudinis, tum uerò etiam iusticiæ laudem habuit. Nunc etiam pie in hoc extremo agone se filio Dei domino nostro Iesu Christo commendauit. Talium uirorum interitus nos quoq; de nostra fragilitate admoneat, & moueat animos, ut publicas pœnas mitigari petamus. Anno 1551. die 6. Augusti, quo ante annos 95. Iohannes Huniades magno prelio Mahometum uicit, & uulneratum fugere coëgit, & magno terrore Pannoniam liberauit.

Decanus

ANNO 1551.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. LVCAS HETZER TORGENSIS.

IN his motibus Ecclesiæ & omnium imperiorum præcipue Deus orandus est, dandaq; opera seria morum emendatione, ut studia salutaris doctrinæ diu apud nos floreant & conseruentur. Scimus enim ea necessaria esse Reipub. & Ecclesiæ, etiamsi apud uulgus & illiteratos ea non sunt in magno precio.

Nos etiam nostris officijs foueamus & prouchamus bona ingenia, quorum pietate & industria spes sit, doctrinam incorruptam Euangelij ad posteritatem transmitti, & propagari posse. Et res loquitur, quotidianum usum in uita publica, & priuata non posse carere linguarum & artium cognitione, quas philosophia profitetur.

Cum autem quadraginta scholastici uiri boni & docti, bonam operam nauarint in studijs doctrinæ, suntq; egregia uoluntate & animo ad ea propaganda: decreuimus illis tribuere publice testimonium doctrinæ & uirtutis, ad proximum

ad proximum diem Martis, eiſq; conferre Gradum Magiſterij philoſophici.

Quare rogamus Doctores, Magiſtros & ſcholaſticos omnes, ut ad publicam renunciationem non grauatim conueniant, oſtendantq;, ſe fauere bonis ſtudijs, & eorum cultoribus, ſimulq; Eccleſiæ pericula & ærumnas Deo patri domini noſtri Ieſu Chriſti ardentibus uotis commendent, ut in his fluctibus uarie quaſſantibus Eccleſiam, nos reſpiciat, ſeruet, ac tueatur. 9. Auguſti.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS VVINSHEMIVS DOCTOR.

OMnibus ætatibus quæſitũ eſt à doctis & indoctis, quæ ſit cauſa, cur hæc præſtans natura hominum, quæ aliquo modo ſimilis eſt diuinæ, tamen onerata ſit tantis miſerijs & uicijs. Ac fuerunt hac de re etiam in ueteri Eccleſia magna certamina. Clemens Alexandrinus inquit: πάντα ἐγῶ προνοᾶμ μᾶλλομ, ἢ τὸ προνοᾶμ σωὸ αἴτιομ εἶναι κακᾶ. Sola uera Eccleſiæ doctrina oſtendit cauſas peccati, & mortis, et aliarum calamitatũ, et monſtrat liberationem. Suntq; teſtimonia illuſtria huic doctrinæ

addita, ut sciamus uere & esse Deum, & hanc ab ipso doctrinam traditam esse. Hanc uerò non iudicemus non esse leuia mala generis humani, cum decretum sit, ne alius esset redemptor, nisi filius Dei. Etsi autem longe superat hæc tota sapientia rationem humanam, tamen Deo assentiamur, qui hæc patefecit, & petamus, ut suam in nobis lucem accendat, & sciamus eum præcepisse, ut in hac mortali uita huius sapientiæ exordia discamus, & iustam ipsius iram aduersus peccatum agnoscamus, & non dubitemus, filium mediatorem opem ferre nobis, ad ipsum confugientibus, sicut scriptum est: Apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli. Nec aliter hæc sapientia discitur, nisi in hac ipsa inuocatione filij Dei, quam toties præcipit filius Dei, inquiens, petite & accipietis. Item: Semper orate, nec ignaui eam omittite. Nunc uerò magnitudo publicorum & priuatorum periculorum curam in nobis petendi auxilij acuere debebat. Accedit ad bellum fames. Te autem fili Dei Iesu Christe, custos Ecclesiæ tuæ oramus, ne sinas fieri barbaricam uastationem, sed serues Ecclesiæ reliquias.

Nulla uenit nobis te nisi dante salus.

Hunc hodie in funere honesti adolescentis, Vlrici Clausij, ad quod post concionem hora 4 è

regione

regione hospitij M. Christophori Finckh conue-
nite, inuocate. Huius Vlrici et uita honesto exem
plo cæteris esse, & inuocatio filij Dei in agone
confirmare cæteros potest. Sic enim se fide ere-
ctus commendauit filio Dei, ut satis ostenderet,
se sperare consuetudinem cœlestis Academiæ.
Natus fuit in oppido Heringen in familia honc-
sta & pijs studijs fauente, Patruus eius Nicolaus
Clausius Consul oppidi Franckenhusen utiliter
seruit Reipub. Huic fratris filio sumptus præ-
buit ad discendum, quia & ipse præclare erudi-
tus est, & scit doctrinam Ecclesiæ necessariam
esse. Quanquam autem bene agitur cum pijs ex
hac uita discedentibus, ut scriptum est: Beati
mortui qui in domino moriuntur &c. tamen
quia Reipub. & Ecclesiæ opus est fidelibus mi-
nistris, petendum est à Deo, ut seruet bona inge-
nia, & eorum studia regat Die 22. Augusti.

Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS VVINSHEMIVS DOCTOR.

Mirando consilio Deus æternam Eccle-
siam filio in genere humano colligit. ita
ut in hac uita eam inchoari uelit. Ac pe-

tenda ſunt uitæ mediocriaſpacia, ut diſcamus doctrinam de Deo, Deinde ut lux fidei accenſa in nobis Spiritu ſancto, creſcat in exercitijs. Tertio ut ſeruire alijs poßimus.

Sed is qui didicit Euangelium, & in cuius pectore ſunt initia uitæ æternæ, ſi cito abducitur ex his ærumnis, minus experitur calamitatum, Cum autem ſuperſtites eſſe aliquos oporteat. ut cæteris ſeruiant in docendo, oremus Deum conditorem & cuſtodem uitæ, ut propter filium, multis bonis ingenijs concedat ſpacia uitæ longiora.

Heri autem adoleſcens ualde honeſtus, & in primis ſtudioſus doctrinæ de Deo, ex hac mortali uita euocatus eſt Iohannes Crapp, natus in urbe Liuoniæ Derpten, qui pietatem animi, & antea in tota uita, uera inuocatione Dei, & modeſtis ac caſtis moribus declarauit: Et nunc in agone aßidua commemoratione beneficiorum filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti oſtendit. Sæpe enim recitauit ægrotans has præcipuas ſententias: Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitū daret &c. Item Huic omnes Prophetæ teſtimoniū perhibent, etc. His ſe conſolationibus erigebat, & in filio Dei, mediatore acquieſcebat, ab hoc ſe confirmari ſentiebat.

Commen-

Commendansq; animam tibi Christe exordia uitæ
Hausit non dubiè spéq; fideq; nouæ.

Itaq; non dubitemus eum in horum numero esse, de quibus dicitur: Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Hortamur autem scholasticos, ut hora duodecima ad funus conueniant, & singuli ibi suam uitam & Ecclesiam Deo commendent. 5. Septembris. Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS VVINSHEMIVS DOCTOR.

Scimus multos scholasticos duriter uiuere studiorum causa, Et dolemus in imperijs hanc partem humanæ societatis minus liberaliter foueri. Sed feramus communes ærumnas, & sciamus nos Deo curæ esse, & petamus mitigationem, sicut in Psalmo extat promißio. Ecce oculi Domini super metuentes eum, & ad eos, qui confidunt misericordiæ eius, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Ita sæpe aluit Deus Ecclesiam, etiam cum fames fuit sæua, ut tempore Ioseph in Aegypto, tem-

pore Eliæ, & Elisæi in Israël, Et Apostolorum tempore, fames adeo sæua fuit, ut modius sex drachmis emptus sit, cum usitatum precium mediocribus annis fuerit drachma, ita quintuplo maius fuit precium usitato, ut si medimnus Lypsicus, cuius usitatum est precium dimidius lochimicus, ualeret tribus Iochimicis. Hæc ipsa æstimatio in Apocalypsi recitatur, cum ait: fore, ut chœnix tritici uendatur Denario, fuit usitatum precium chœnicos, nummi triginta.

Hæc exempla consideremus, ut nostrorum temporum ærumnas ferre discamus, et speremus tamen, Deum ecclesiæ non defuturum esse, sicut tunc quoq; eam aluit & seruauit inter multas calamitates.

Significamus autem publicè, nos Oeconomo ad emendum frumentum aliquid pecuniæ mutuo dedisse, nec tueri oeconomiam ipse sine accessione potest. Ideo deniceps usuri eius mensa, addant singulis septimanis unum grossum ad usitatum precium, & cogitent singulis partem communium miseriarum ferendam esse: Intrant in thalamos publica damna tuos, ut singuli de uoluntate Dei admoneantur. 7. Septembris. Anno 1551.

Rector

ANNO 1 5 51.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS Vuinsheimius. Medicæ artis Doctor omnibus in hac Academia. S. D.

Postquam expulsa fuit ciuili Astræa furore,
Vrbibus, in uili est rure morata tamen.
Hîc uitæ normam tradens in paupere cœtu,
Non ficta iußit mente timere Deum.
Vatibus hæc olim doctis recitata querela,
Temporibus nostris uerior esse potest.
Concita crudeli dum flagrant omnia bello,
Cunctaq; sollicito plena timore tremunt,
Nunc eiecta etiam paßim Regalibus aulis,
In mœstas fugit mœstior ipsa scholas.
Et quanquam uarijs lacerata Ecclesia rimis,
In medio pelago magna pericla timet:
Non tamen Astræam poterunt mersisse procellæ,
Semper & est custos agminis ipse sui,
Hic sonat utilium diuina uolumina legum,
Vox ea, quæ æterni patris ab ore uenit.
Ne quocunq; rapit cæcos malè sana libido,
Scilicet hac homines in scelus omne ruant.
Namq; ubi sanctarum laxantur uincula legum,
Interit hic, mores qui regit usq;, pudor,

In noua Centauros armatos prælia cernes,
Et Lapithas forti bella ciere manu.
Nulla fides animis, nulla est reuerentia iusti,
Nulla pudicitiæ gratia, nullus honor.
Ergo scholis leges Astræa imponit honestas,
Et uult ut uere simus imago Dei.
Sol igitur summum, postquam subuectus ad axẽ,
Flammigerum medio sistet in orbe iubar.
Doctificæ notam gressu pete Palladis arcem,
Quisquis es Aonij pars studiosa chori.
Hîc sacra Gymnasij repetã moderamina nostri,
Quæ forment mores docta iuuenta tuos.
At uos, excoluit quorum Tritonia uitam,
Quos decet in primis moribus esse bonis,
Este domus sacrata Deo, domus hospita Christi,
Isq; regat uerbo pectora uestra suo.

Die 15. Septembris. Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS

Vuinshemius Doctor Artis Medicæ,
omnibus Scholasticis. S. D.

CYnthius æstiuæ linquens confinia metæ,
Adfert Angelici iam sacra festa chori.

Qui

Qui phlegetontæum reprimens fœliciter hoſtẽ,
Excubias Chriſti pro grege ſemper agit.
Ergo pijs animis adeamus templa frequentes,
Quæ Deus angelica ſepta Phalange tegit.
Scilicet ut merita pro tanto munere laude
Noſtra Deo grates pectora & ora ſonent.
Ac ueluti uates Eliſæus tutus ab hoſte,
Præſidio tali cum tegeretur, erat:
Sic noſtra angelicis defendat ut agmina turmis,
Oremus placidum ſupplice uoce Deum.
Tu quoq; ſic forma mores ſtudioſa iuuentus,
Vt tua ſit uerbo conſona uita Dei.
Crimina ne caſtos depellant fœda miniſtros,
Sed comites adſint hîc & ubiq; tibi.
Arcenteſq; feri rabiem, fauceſq; Draconis,
Cum paruis tectis corpora noſtra tegant.
Fœdera uobiſcum iuuenes cognoſcite quæ ſint
Angelicis turmis uoce ſacrata Dei.
Ex iſtis aliquem contemnat nemo puſillis,
Sunt etenim regni grata caterua mei.
Vtq; his attribui ſuperum de ſede miniſtros,
Ipſe ſuum cuſtos angelus implet opus.
Atq; mei cernit faciem ſuper æthera Patris,
Pro tenero remanens in ſtatione grege.
Vos igitur iuuenes Chriſto cariſſima turba,
Officijs uigiles hos retinete pijs.

Ac Euangelij quia gaudent quando miniſtros,
Collegas cernunt eſſe in honore ſuos,
Iuſta ferant ſacrã cras omnes munera ad Aram,
Quaq; decet celebrent hunc, pictate diem.

Anno 1551.

Quo die publice aguntur gratiæ Deo pro excubijs Angelicis, & fit precatio, ut Caſtorum Angelorum excubijs protegamur.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS VITVS Vuinshemius Medicæ Artis Doctor.

Sic inquit filius Dei. Vbicunq; duo ſunt aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio horum. Sunt autem inſtituti cœtus ſcholaſtici, ut uera de Deo doctrina in eis, & aliæ artes Eccleſiæ & uitæ utiles propagentur. Et quanquam in hac turba nec uoluntates, nec mores omnium ſimiles ſunt, tamen hîc & uox ſonat ueræ doctrinæ, & multi pij Deum inuocant, & magnos labores in docendo ſuſtinent. Quare non dubitamus intereſſe huic cœtui filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. & ut interſit, ardentibus uotis eum oramus.

Gratias

Gratias etiam ei agimus, quòd hactenus clementer in his tantis ærumnis publicis nos texit & adiuuit, & oramus eum, ut ipse, sicut uere est summus sacerdos Ecclesiæ suæ, ita sit perpetuus nostri agminis Rector, & omnium laborum & certaminum ἀγωνοθέτης, ἐπιχορηγῶν τὸ ἀυτοῦ πνεῦμα.

Cum autem uelit in politica societate ordinem esse, & bono consilio institutum sit, ut per uices alij aliàs sustineant laborem iurisdictionis sane difficilem: significo uobis, cras, quod faustum & fœlix sit, senatum Academiæ electurum esse Rectorem, & fiet renunciatio hora 7. in auditorio maximo, quam ut audiatis, præcipimus. Necesse est enim adolescentes sæpe commonefacere de dignitate politici ordinis, ut in eo sapientiam & uoluntatem Dei considerent, & propter Deum amare cum incipiant, & libenter tueantur.

Apud Xenophontem interrogat Cyrus auum: Qualem me fieri uirum oportere dicis? Huic respondens auus, inquit: ὃι ἂρ ὦ παῖ δικαιότατος τε καὶ εὐνομώτατός τε ἀνὴρ εἶης. Hanc uocem sibi quisq;

& à Deo

& à Deo ipso, & à parentibus dici sciat, Et Deus custos est sui ordinis, ut uidetis horribilibus exemplis in toto genere humano puniri omnium furores, qui uitæ ordinem atrociter turbant. In his exemplis conspici uult Deus suam in genere humano præsentiam.

De his tantis rebus sæpe uos commonefieri, & uos sæpe cogitare, utile est. Ideo etiam adesse renunciationi uos uolumus, ut piæ mentes uota ibi coniungant, ut præcipuus Rector filius Dei, qui est λόγος æterni patris, gubernet sapientiæ studia inter nos, & clementer Ecclesias & scholas harum regionum, & hunc nostrum cœtum protegat. Vult à se hæc beneficia peti, nec irrita sunt uota petentium. Ideo enim inquit, Petite & accipietis. Pridie Lucæ 17. Octobris. Anno 1551.

IN TABVLAS PRVTENICAS MAGISTER ERASMVS REINHOLDVS.

Multi in hac Academia, Dei beneficio, egregiam hactenus operam posuerunt, tum in Euclidæis Elementis, tum uerò in discendo

in discendo libello, quẽ Purbachius conscripsit, de planetarum Theorijs. Verum quia aliquot iam annis desiderata sunt exempla Tabularum Astronomicarũ, necesse fuit plurimos, qui hanc philosophiæ doctrinam propter ueritatem, & summam certitudinem, magna uoluptate & animi contentione appetiuerunt, in medio cursu horum studiorum plane inuitos consistere.

Huic inopiæ spero iam consultum esse, allatis ex Francofordia tabulis nostris Prutenicis, quas longi temporis assiduo & multiplici labore condidimus, collatis inter se obseruationibus summorum artificum, præcipue autem Ptolemæi & Copernici. Harum tabularum usum decreui publice exponere, ut discentium studia hac quoq; in parte nostra opera adiuuemus.

Inchoabo autem hanc explicationem sequenti hebdomade die Lunæ, ut exempla interea nostri auditores commode sibi parare queant. Prius itaq; biduum tabulis tribuam. Posterius uerò Euclidi. De Ptolemæo aliquanto post etiam uiderimus. Exhibent hæ nostræ Prutenicæ tabulæ calculum, non solum emendatiorem & uberiorem, quàm Alphonsinæ, uerum etiam expeditum & faci-

& facilem, idq; res ipsa docebit. Annitar autem, ut inter explicandum, Deo adiuuante, nec fidem, nec diligentiam nostram desiderent auditores.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS KITTHINGENSIS.

AManter ante hoc tempus admonuimus N. N. & N. N. ut modestius uiuerent, nec pacem & tranquillitatem aliorum turbarent.

Cum autem hæ nostræ paternæ admonitiones non flexerint eos ad curam frenandi cæcos impetus, & ipsi rursus apud nos accusati sint, uolumus, ut alibi potius, nec iam in nostro cœtu uersentur, siutq; relegati in quinquennium.

Mirum est non flecti ad modestiam plures, cum tam magnæ & multæ calamitates publicæ & priuatæ sint in conspectu. Quot uidit incendia hæc uicinia hoc biennio? Magna pars oppidorum Hertzberg, Sueinitz, Mituueden, Friburgi, & aliorum conflagrauit, hîc & Lochæ recentia fuerunt incendia. In Bauaria oppidum Friburgum fere totum igni consumptũ est, & simul duo & octoginta hommes perierunt.

Interea

Interea nostra Iuuentus temulenta uagatur, et indulget malis cupiditatibus, quam certe mouerı oportebat illis tristißmis spectaculis, ut iram Dei timeret, sicut dominus, cum quidam narrarent multos à Pilato trucidatos esse, inquit: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Te autem fili Dei domine Iesu Christe oramus, ut tu sis umbraculum huius Ecclesiæ, tu nos gubernes & protegas. Datæ 22. Octobris.

Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

NIsi dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam, inquit Psalmus. Etsi enim suus locus est diligentiæ humanæ, tamen nisi diuinitus iuuaremur & tegeremur, Diabolici furores subitò totum genus humanum perderent. In Boëmia hoc Anno & circiter aiunt periisse incendio plus trecentis oppidis & pagis. Nuper in regione Norica conflagratio oppidi Friburgi simul absumpsit homines duos & octogınta. In hac uicinia quàm crebra fuerint incendia, scitis. Nec fiunt hæc casu, sed haud dubiè grassantibus diabolis.

diabolis. Quare hi, quorum ſeruantur niduli, ſciant ſe dextra filij Dei protegi. Et libentius tegit eos filius Dei, qui adficiuntur miſericordia erga alios, & eis lenire calamitatem ſtudent.

Nuper ex ærario dedimus Noricis illis, ne ſcholaſtici onerarentur. Nunc quia uicini Lochani aliquid petunt, Oramus, ut uos quoq; ipſis opem feratis, ut hæc ipſa pij officij cogitatio uos exuſcitet, ut à Deo petatis mitigationem pœnarum, & harum Regionum, Eccleſiarum, & politiarum conſeruationem, & ne, ut horribiliter dictum eſt, Terram feriat Anathemate.

Oramus te Fili Dei, Ieſu Chriſte, Crucifixe pro nobis, & reſuſcitate, ut propter tuam gloriam ſerues has Eccleſias, te inuocantes, & earum hoſpicia, & regas mentes noſtras, ut te ueræ doctrinæ uoce, & ueris officijs celebremus, quem certò ſcimus eſſe cuſtodem Eccleſiæ, ſicut dixiſti: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis etc. Die 30. Octobris. Anno 1551.

MAGISTER TILEMANNVS HESHVSIVS.

Rodolphi

Rodolphi Agricolæ Frisij tempore Florentissima fuit in Italia Ferrariensis Academia, ubi tunc fuerunt lumina eruditionis Theodorus Gaza, Blanchimus Mathematicus, & alij. In hoc cœtu ita uixit Rodolphus, ut etiam publice cum admiratione Italiæ, scriptores græcos et latinos enarraret. Ibi ei familiarissimi fuerunt Dalburgius, & uir nobilis natus in familia equestri Pleninger, quem ipse Plinium nominat, qui postea Cancellarius fuit Ducum Bauariæ. Ab hoc Plinio rogatus scripsit Topica, ut Dialecticam quasi euolutam ex labyrinthis prioris ætatis, discentibus propius aspiciendam monstraret, & usum eius indicaret. Etsi autem & ipse, ut ferebat ætas, interdum spinosas quæstiones intexit, tamen præcipua pars operis splendida est, & studiosis utilis. Ideo eum librum rogatus à quibusdam enarrare decreui.

Illud etiam de Rodolpho scire adolescentes uolo, quod narrauit ipse Erasmus Roterodamus, unde animaduerti potest in magnis ingenijs uim fatidicam esse.

Cum uenisset Rodolphus in Hegij scholam Dauentriæ, & Hegius ei aliquot adolescentum scripta monstrasset, His consideratis, cum Eras-

micum cæteris anteferret, uidere adolescentem uoluit, Accersitus è sua classe Erasmus adolescens, ad Hegium accedit. Ibi Rodolphus arreptum capillo in uertice, tacitus intuetur, et quasi considerata indole ex lineamentis, adiecit hanc uocem: Tu eris magnus. Hanc ueram historiam recito, ut iunioribus quasi notiores fiant hi uiri ex familiaribus sermonibus. Inchoabo autem enarrationem cras hora secunda. Calendis Nouembris.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS KITTHINGENSIS. S. D.

Cvm scholæ sint officinæ omnium uirtutum, debet in ijs præcipue conspici reuerentiã erga eos, qui uel ætate, uel eruditione, uel dignitate excellunt, ut ijs cum alijs officijs honorem præstemus, tum etiam locum aliquem in publicis congressibus concedamus.

Conqueruntur autem ex professoribus & ministris Ecclesiasticis aliqui, quòd frequentaturi lectiones publicas, nusquam in auditorio locum habere possint, & sæpe adueniunt huc hospites honesti, qui uisendi cœtus scholastici causa

ad lem

ad lectiones publicas accedunt, quibus loco cedere æquissimũ est. Quare hac distinctione admonere auditores uoluimus, ut hoc exiguum spacium, quod est à Cancellis ad hoc interstitiũ usq; uacuum relinquant hospitibus, ministris Ecclesiæ, professoribus huius Academiæ, & nobilitate prestantibus, si qui cœtum discentium sua præsentia ornare uelint. Hoc officio declarent scholastici, se agnoscere & magnifacere uirtutem ac merita in alijs, & honore digna iudicare. Die 10. Nouembris.

PHILIPPVS MELANTHON.

DEo iuuante, cras hora 7. inchoabo enarrationem comœdiæ Aristophanis, cui titulus est, Equites, in qua non equitem sed furiosum ciuem exagitat, qui alterum pedem in curia, alterum in castris habebat. Diem Martis tribuam Thucydidi, quem etiam cum admiratione sæpius legisse imperator Carolus Quintus dicitur. In utroq; sunt imagines multæ, quarum consideratio nunc quoq; utilis est, & multũ de causis publicorum motuũ monet, quos ut leniat filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, ueris cum gemitibus præcemur.

ANNO 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

ETsi quotidie desyderamus uocem et consilium uiri doctißimi Caspari Crucigeri, tamē diei recordatio, & alia funera in idem tempus incurrentia, nobis augent ipsius desyderium, & luctum renouant. Meministis enim ante triennium 16. die Nouembris cum ex ærumnosa Academia in æternam Academiam, in qua Deus est omnia in omnibus, eductum esse. Volumus autem uos & in hodierno funere de ipso cogitare, & filium Dei dominum nostrum Iesum Christum precari, ut semper inter nos sibi colligat Ecclesiam, & gubernet nostra studia, & omnes actiones nostras, sicut pollicetur se opitulaturum esse confugientibus ad ipsum, cum inquit. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam uos &c.

Hortamur autem uos, ut hodie hora prima conueniatis ante hoc templum ad funus honestæ matronæ, uiduæ, Hagnes Corbiciæ, quæ fuit socrus duorum excellentium uirorum, D. Doctoris Melchioris Fendij, & D. Erasmi Floccij Noribergensis

ribergensis, fuitq; ornata uirtutibus omnibus matrisfamilias, quas recitat Paulus, inquiens, σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας, ἐὰν μείωσιν τῇ πίστει, καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης. Saluabitur mulier per generationem filiorum, si manserint in fide &c. Vera fide agnouit Deum, & fiducia domini nostri Iesu Christi, cum assidue inuocauit, pie educauit & instituit filios & filias, ac mortuo marito annos amplius sex & uiginti uixit uidua, cum uera laude pudicitiæ & pietatis. Ac ut Hanna filia Phanuelis assidue aderat ad templum: Sic ista, cum uicina esset templo, nunquam negligebat publicam precationem, in qua & ipsa ueris gemitibus Ecclesiam publicam & domesticam commendabat Deo. Nunc quoq; in agone sæpe repetita confessione & inuocatione, ostendit se fiducia filij Dei initia uitæ æternæ sentire. Talia exempla in funeribus pijs cogitantes, & nos quoq; ad inuocationem Dei excitemus, præsertim cum nunc in conspectu sint tantæ confusiones orbis terrarum, in quibus præcipue hanc consolationem filius Dei in hodierna narratione Euangelij proponit, inquiens, προσεύχεσθε.

Honestum est etiam, non deesse nos uiro

Clarißi: D. Melchiori Fendio, artis Medicæ Doctori, in ſuo luctu, cum ipſe & Academiæ multis officijs ſeruiat, & fideliter medendo multorum ſcholaſticorum & aliorum uitæ & ualetudini opem ferat. Die 15. Nouembris. Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

ETſi propter uſitatas in Eccleſia ceremonias conuenire ſcholaſticos ad funera decet: tamen nunc uos hortamur, ut eò maiore pietate hodie hora tertia ad Martini Stecheri funus conueniatis, ut huius exempli cogitatione de ueſtris periculis cõmonefacti, flectatis animos ad timorem Dei, & ad modeſtiam, ac ſimul uitam Deo commendetis. Vos ipſi teſtes eſtis, nos & doctrinam de Deo, & alias honeſtas artes fideliter proponere, & aßidue autoritate diuina & patria, uobis præcipere, ut honeſte regatis mores, eaq; in re & Deo obediatis, & conſulatis communi ſaluti, & nõ irritetis iram Dei, nec uobis & alijs cumuletis pœnas.

Quanquam autem ſperamus, apud aliquos ualere hæc præcepta, tamen iuſtißima exempla duo huius anni oſtendunt, qualis ſit in multis contumacia.

macia. Quanto cum dolore hæc & aſpiciuntur & cogitantur, in eo cœtu, qui ſtudijs uocis diuinæ, doctrinæ uirtutis, & optimus artibus dicatus eſt, & qui debet eſſe pars Eccleſiæ præcipua, tamen ita graſſari diabolos, ut aliquorũ animos ad faciendas cædes impellant, propter quas & priuatim & publice cumulantur pœnæ, imago Dei trucidatur, terra conſperſa ſanguine fit ſterilis, parentes & alij homines pij contabeſcunt mœſticia, diaboli triumphos agunt, & latius graſſantur, & furialibus ſtimulis alios ad contumaciã accendunt, diſcedit filius Dei mœſtus ex toto cœtu, pelluntur angeli. Deniq; bella & uaſtationes generis humani, attrahuntur. Horum ingentium malorum conſideratio ſingulos frenare debebat.

Nunc hæc exempla uos monent, ut propter priuata pericula ſitis modeſtiores, eaq; in re cogitetis regulã, quæ ſæpe recitatur, uitare peccata eſt uitare occaſiones peccatorum. Item. Qui amat periculũ, peribit in eo. Vt igitur occaſiones pugnarũ uitetis, omittite nocturnas diſcurſationes, quæ quantum mali adferant, uidetis. Nec putate ebrios, furentes ira aut libidine, ibi uagari ſine ſatellicio diabolorum, qui cum uident ſe habere idonea organa, non deſinunt odio fi-

lij Dei, odio Euangelij & Ecclesiæ, plures in exitium trahere, & maiora scandala & dissipationes maiores excitare.

Hanc nostram commonefactionem, quæ sit optimo animo, autoritate diuina & humana, profuturam esse apud multos speramus. Alij feri, qui nostra uoce coherceri non uolunt, haud dubie Deo pœnas dabunt, qui exaudit gemitus piorum, quibus hæc tristia exempla ingentem dolorem afferunt.

Te igitur fili Dei, domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis, et resuscitate, custos Ecclesiæ tuæ, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos, obsecramus supplices, ut hanc Ecclesiam & Academiam regas, & serues, & depellas opera diaboli, nec sinas in his regionibus fieri barbaricam & impiam uastitatem, serua posteris Ecclesiam, & doctrinæ tuæ lucem in his locis, & moueare piorum, parui agminis, necessitate, de quo dixisti: Non est uoluntas patris, ut pereat unus de parulis istis. Die 20. Nouembris. Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE
VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

Honestus

ANNO 1551.

HOnestus senex Vuolffgangus Heil non solum custos fuit templi, quod uicinum est arci, sed fuit ipse templum Dei, in quo fulsit agnitio uera Dei, & uirtutes cæteræ, quæ sunt λατρεία λογικὰι εὐαρεστόσθεκτοι τῷ θεῷ διὰ ιησοῦ χριστοῦ. Heri autem in cœleste templum, ex hac mortali & ærumnosa uita euocatus est. Quare hortamur scholasticos, ut ad funus eius hodie hora duodecima ante arcem conueniant, & ibi cum reliqua Ecclesia suam uitam & communem omnium salutem Deo pijs precibus commendent. Die 21. Nouembris.

Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

NOta est uox filij Dei, continens & doctrinam necessariam, & dulcissimam consolationem: Non est uoluntas patris uestri cœlestis, ut pereat unus de paruulus istis. Cum igitur certissimum sit, infantes insertos Ecclesiæ Dei, uere esse membra filij Dei, & hæredes uitæ æternæ, tueri agmina puerilia omnes maiore cura debent, certe pij parentes magis læ-

bantur conſpectu ſobolis, cum cogitant, ſimilem in Deo & in ipſis erga hanc ætatem amorem eſſe, & adeſſe eis filium Dei, & cuſtodes Angelos. Et quanquam in morte ſuorum propter σοχγὴν dolent, & deſiderio ſuorum afficiuntur, tamen hac uerißima conſolatione leniunt dolorē, quod ſciunt, iam eductos ex hac uita ad conſuetudinem filij Dei, & ad agmina piorum certò translatos eſſe,

Hæc conſolatio cum nota ſit uiro doctißimo, & uera ἐπιουσίᾳ Deum colenti, Magiſtro Eraſmo Reinhold, moderari cum mœſticiam, quam adfert ei mors dulciſſimæ filiæ, non dubitamus. Neq; tamen fieri poteſt, quin & doleat, & deſiderio filiæ afficiatur. Nam & ex phyſicis ſignis, indolem in ea ad uirtutem fuiſſe ſcit excellentem, & uiderat iam ipſius mores, quorum erat non natura tantum, ſed habitante in ea Spiritu ſancto, moderatio & ſuauitas ſumma. Viderat ſtudia primæ ætatis, celerrime literas arripuerat, & norat iam ſummam doctrinæ de Deo, & Deum uera inuocatione, in agnitione & fiducia filij inuocabat.

Harum uirtutum recordatio non poteſt non accendere deſiderium. Vulnus etiam uetus in ipſius

ipsius animo, interitu matris factum, in qua excellens uirtus fuit, renouatur cogitatione huius filiolæ, quæ erat imago facici & ingenij materni. Quare non desint M. Erasmo Collegæ nostro, optime merenti de Republica, nostra officia in luctu.

Cum igitur hora duodecima cum filia Reuerendi D. Doctoris Iohannis Forsteris simul & filiola M. Erasmi efferetur, Hortamur ut maiori frequentia conueniatis, & ueris gemitibus orctis filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, ut publicas & priuatas calamitates leniat, & Ecclesiam, & optimarum artium doctrinam seruet, in qua labores M. Erasmi multum profuisse, & prodesse discentibus in magna parte Germaniæ, cernimus, ipse enim semina Mathematum Dei beneficio late sparsit, & monumenta proderunt posteritati.

Quare precamur filium Dei, ut & hunc optimarum Artium illustratorem, & ipsarum artium studia tueatur. Die 23. Nouembris.

Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

Multa

Multa sunt uestigia Dei omnibus naturæ partibus impressa, quæ ostendunt, & esse Deum, & esse sapientem, bonum, curantem hæc opera, quæ condidit. Sed omnium maxime illustria testimonia sunt, in ipsa mente hominis, noticiæ omnes Numerorum, ordinis, discriminis honestorum & turpium: Deinde στοργαὶ parentum erga natos. Has non dubium est nobis insitas esse, ut sint commonefactrices, de ardenti amore æterni patris erga filium, & erga nos, idq; in inuocatione sæpe cogitandum est.

Quare cum uelit Deus hominum naturam esse φιλόστοργον, magno in luctu est Reuerendus uir D. Iohannes Forsterus Theologiæ Doctor, propter honestißimæ filiæ mortem, quæ cum naturæ bonis omnibus ornata esset, & cum mores essent casti, pij, conuenientes honestæ matronæ, in ipso flore ætatis extincta est, fuitq; hic ipse morbus, testis uirtutis ipsius, quia ortus fuit à mœsticia, cui causam præbuit uir ἄστοργος. Cum igitur multæ sint causæ mœroris optimo patri, nos quoq; eius luctu adficiamur.

Hortamur igitur Doctores, Magistros, & auditores, ut hodie hora duodecima ad funus ante

ædes Reuerendi uiri D. Doctoris Iohannis Forsteri conueniant. Ac filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum oremus, ut publicas & priuatas calamitates leniat, & hunc uirum fideliter seruientem Ecclesiæ in duabus rebus utilissimis, in propagatione linguæ Hebreæ, & in interpretatione uniuersæ Propheticæ & Apostolicæ scripturæ, consoletur & seruet. Debemus autem ei & ut seni, & Euangelij ministro Reuerentiam, & propter utilissimum laborem in conseruatione linguæ hebreæ gratitudinem. Hæc officia & intelligere & præstare scholasticos, qui uirtutis doctrinam audiunt, decet. Et sine ulla dubitatione puniuntur contumelioſi in senes, & ingrati, iuxta dictum: Non recedet malum à domo ingrati. Rursus autem etiam gratitudo erga bene merentes, imuitat Deum amantissimum iusticiæ, & gratitudinis, ut sua dona benignius largiatur. Die 23. Nouembris.

Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

HOdie hora duodecima fiet funus filio honestæ uiduæ, quæ coniunx fuit Iohannis

Rhau

Rhau uiri integri, qui fideliter Academiæ seruiuit. Etsi autem matri hæc consolatio dolorem lenit, quòd filius in confessione pia & inuocatione filij Dei decessit, tamen orbitate ipsius adficiamur. Et in his ipsis Ceremonijs singuli uitam suam Deo commendent. Et quia contagia luis metuimus, hortamur omnes, ut sint cautiores, nec expatientur in ea loca, in quibus aëris uicia manifestis signis animaduertuntur. Oramus autem filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, custodem Ecclesiæ suæ, ut hunc cœtum & seruet, & gubernet. 10. die Decembris.

Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

SAepe auditis propter tres causas uitæ spacia mediocria optanda esse, quarum prima est, ut discamus doctrinam de Deo, quia in hac uita inchoari Ecclesiam necesse est.

Secunda, ut confirmentur agnitio Dei & fides,

fides, in hac exercitiorum & periculorum uarietate.

Tertia, ut nostri labores alijs seruiant. Vixit autem Magister Vuenceslaus Tomendorff Suidnicensis annos uiginti unum, uidelicet tres climactericos, sed tertius ei fatalis fuit, ut genesis indicat, in qua signa Physica infirmæ naturæ non obscura sunt. Ingenium uerò capax doctrinæ fuit Didicit igitur & ueram doctrinam de Deo, & domino nostro Iesu Christo, & uniuersæ Philosophiæ initia, & uera inuocatione Deum coluit, & animi pietatem honestis moribus declarauit. Ornauit & scriptis Academiam, in quibus proposita imagine Lazari petentis stipem à diuite commonefacit gubernatores, ut inopes scholasticos iuuent, suntq; in Carmine eius hi uersus digni memoria.

Diuitis ante fores miseranda ut sorte iacebat,
Vix membra ulceribus Lazarus ægra trahens.
Sic iacet ante fores Ecclesia mœsta potentum,
Doctrinæ studijs auxiliumq; petit.
Ingemit, atq; manus supplex ad sydera tollit,
Sed magis hanc hostes pontificesq; premunt.

Quod

Quod igitur tantum fuit uitæ curriculum, ut recte didicerit doctrinam de Deo, et quantum in hac adoleſcentia potuit, celebrarit, fœliciter uixit. Vtinam uerò ſpacium longius uitæ etiam ad alios docendos ei datum eſſet. Sed Deo obtemperandum eſt, quocunq; tempore nos euocanti. Etſi autem parentibus luctum reliquit, tamen hi ſe recordatione uirtutum filij conſolentur, ac præcipue hac ſpe, quòd breui eum in cœleſtis Eccleſiæ conſuetudine rurſus complectentur. Sæpe enim & ante hunc morbum, & iam oppreſſus, commendauit ſe filio Dei, à quo ſciebat caput ſerpentis contritum eſſe, & reddi nobis æternam uitam.

Hortamur autem ſcholaſticos, ut hodie hora duodecima pie ad funus eius conueniant, in uico proximo ædibus, quas olim Franciſcani tenuerunt, & ſinguli Eccleſiam & ſeſe Deo pijs precibus commendent. Die Brumæ. Anno 1551.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

VT tener in grauida fœtus cõcluditur aluo
Debile ſub caſtæ pectore matris onus.

Vlla

Vlla nec agnoſcit Phœbææ commoda lucis,
Candidiorue ferat munera quanta dies,
Attamen interea materno uiuere lacte,
Ac præbente cibum gaudet habere Deo,
Qui rerum ſeriem quando mundumq; creauit,
Fœmineis cotylas iußit ineſſe locis.
E quibus ille prius nitidas quàm prodit in auras,
Inſcius, arcanis paſcitur uſq; modis,
Sic & hoc uitæ degens Eccleſia curſu,
Dum nondum ſuperas incolit illa domos:
Fœtus ut obſcura tectus qui conditur aluo,
Verbo Euangelij clauſa docente ſedet.
Non ſatis immenſi comprehendit munera cœli,
Non ſatis illa Dei facta ſtupenda capit.
Nec uelut exoptat, cœleſtis numina regis,
Conſpicua coràm cernere luce poteſt.
Credimus illa tamen, rerum quæ ſumma poteſtas
Cœlitus ipſe ſuo nos Deus ore docet.
Credimus humanos quòd filius induit artus,
Sanguine ut ablueret crimina noſtra ſuo.
Credimus is toto quòd ſolus in orbe redemptor,
Nos queat æternis eripuiſſe malis.
Ergo tibi diuine parens, Rex inclyte cœli,
Rex bonitate tibi non habiture parem,
Nos agimus toto ſoluentes pectore grates,
O modo grata ſatis pectora noſtra forent.

Quòd tua donauit nobis clementia natum.
Quo tibi quod maius munere munus erat?
At tibi quæ laudes? qui non debentur honores.
Edite de ſummo maxime Chriſte Deo?
Quòd miſeros tanto nos es complexus amore.
Nullus homo tanti nullus in orbe fuit.
Quæſumus, igne tuo noſtras ſuccende medullas,
Sicq; malæ reliquum deſtrue mentis opus.
Vt confiſa tuo firmataq; pectora uerbo,
Euincant dubios eijciantq; metus.
Confirmaq; fide ſtabili, tenebriſq; remotis,
Cordibus inducto lumine redde diem.
Vt tua quæ bonitas, quæ ſit tua ſancta uoluntas,
Numinis agnoſcant & benefacta tui.
Nempe, quis hoc credat? cœlorum ſede relicta
Ipſe paleſtina uirgine natus ades.
Cumq; nihil quærant alij niſi ſplendida reges,
Non ideo es ſumpto corpore factus homo.
Magnifico ut cultu pompoſa celſus in aula,
Plena uoluptatum tempora lætus agas:
Sed uelut abductus totis ab ouilibus agnus,
Victima pro reliquis omnibus una cadas.
Heu quàm tetra fuit, primi quàm dira, parentis,
Quanto ſupplicio culpa luenda fuit?
Quàm grauis ira Dei, quæ non placabilis ullo
Aut opere, aut fuluo mitior ære fuit.

Ecce ſed humana ueniens ſub imagine Chriſtus,
Aeterni uerbum progenieſq; patris.
Pro noſtris precium perituro naſcitur orbi,
Noxis, ne Stygiæ præda daremur æquæ.
Et ſic offenſi cum nemo numinis iram
Viribus immenſum ferre ualeret onus.
Ipſe uel ingenti Deus intolerabile mundo.
Noſtro damnatus crimine, pondus obit.
At phlegetontæum mox hinc delapſus ad orcum
Poſtquam crudeli morte peremptus erat.
Vicit, & edomuit Stygij fera regna Draconis,
Nec mora, ſydereo regnat, ut ante, polo.
Hinc ſua iura potens terris, ſua dona miniſtrat.
Hinc propriæ partas morte tuetur oues.
Manibus hinc uitam media ſub morte ſepultis,
Reddit, & hæc ſolus Chriſte Redemptor agis.
Namq; per immenſum quæ tanta potentia mun-
Quæ domita uitã reddere morte queat? (dũ.
Quæ iuuet adflictos omni ſine uindice cœtus,
Qui modo de Chriſti nomine nomen habent?
Ni Deus intacta ſumens à uirgine carnem,
Præſtaret plebi talia dona ſuæ.
Tu potes amiſſam nobis pie Chriſte ſalutem,
Tu potes ô clemens reſtituiſſe puer.
Vtq; potes, ſic ipſe cupis, cupis eſſe tuorum
Rector, & in medijs anchora fida malis.

Infirmis iuſtas uis mentibus addere uires,
Noſtraq; præſidio corda iuuare tuo.
Quin etiam facto nobiſcum fœdere, dici,
Emmanuel rerum conditor alme cupis.
Sis bonus ô fœlixq; tuis, noſtriq; miſertus,
Impia per meritum crimina tolle tuum.
Quamq; patri iuſtam miſeri commouimus iram,
Dum ruit in uarium noſtra cupido ſcelus.
Hanc precibus lenito tuis, duc, flecte, guberna
Heu nimium cœtus agmina ſpreta tuis.
Multaq; cum ueteris reſtent contagia noxæ,
Ob quæ damnati iudice lege ſumus:
Vnica iuſticiæ ſolus ſis gloria noſtræ,
Sic erimus merito munda caterua tuo.
Sed cũ noſtra uelut gelida quoq; morte grauen-
Membra, nec in leges ſint ſatis apta tuas: (tur
Reſtituas uitam, primo quæ amiſſa reatu,
Non inſtaurari, te niſi dante, poteſt.
Dum furit ac nullo graſſatur fine Tyrannis,
Intentans populo tela necemq; tuo.
Tu tamen hanc dextra defenſam uindice turbã,
Serues, & regni membra futura tui.
Quisquis adeſt pietatis amans, cui talia cordi,
Cui curæ eſt animæ uita ſaluſq; ſuæ,
Hæc petat, aßiduis hæc poſcat munera uotis,
Qua peperit puerum luce Maria Deum.

At cum

At cum per certos puer hic sua uerba ministros
Prædicet, & regni dona uerenda sui:
Vult, ut & his grati meritos tribuamus honores,
Et quacunq; licet parte, feramus opem.
Dona precesq; sacras uos ergo feratis ad aras,
Qui colitis nostræ docta lycæa scholæ.

Pridie natalis Domini, inchoantis annum 1552.

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA IN ACADEMIA VVITEBERGENSI ANNO POST CHRISTVM NATVM M.D.LII.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

EMigrauit heri ex hac ærumnosa uita ad cœlestem Scholam Vir integerrimus, pietate, eruditione ac uirtute præstans. M. Iohannes Marcellus natus in Regiomonte Franciæ, cuius in docendo dexteritas, fides, & dili-

gentia publice & priuatim plurimis profuit. Cum autem doctrinam Euangelij de filio Dei Domino nostro Iesu Christo pie amplexus sit, eamq; tradendo discipulis suis & scribendo propagauerit utiliter, & morum honestate ac uitæ innocentia ornare studuerit, & suam pietatem declarauerit inuocatione filij Dei cum aliàs semper, tum præcipue in hoc postremo morbo & agone suo: nullum est dubium, quin cum ipso bene actum sit, quòd in tali confessione pietatis, & testimonio publico beneficentiæ & integritatis ex his miserijs, & impendentium malorum metu, placida morte traductus est ad æternam consuetudinem filij Dei & omnium piorum. Sed nos merito lugemus, qui & eruditum Doctorem iuuentutis, & fidelissimum collegam amisimus, qui ingenio, eruditione, & usu dicendi & scribendi ita instructus erat, ut iuuare communia studia discentium multum posset, & ea erat benignitate, ut nemini suam operam in quocunq; genere officij denegaret, & magnam partem communium laborum etiam cum difficultate rei domesticæ sustinebat, alienissimus ab ambitione, & communis concordiæ studiosissimus, propter quas uirtutes & dileximus cum ut fratrem

trem, & ita subito nobis ereptum esse uehementer dolemus.

Neq; hoc tantum nos excrutiat, quòd ipsius suauissima consuetudine priuatim, & utilissima opera publice priuati sumus, sed auget dolorem etiam ominis metus. Timemus enim, ne quid mali huic Academiæ obitus tam subitus huius tanti uiri portendat. Solent enim profecto eiusmodi bonorum uirorum mortes sequi magnæ publicæ calamitates, quas ut effugiant ij, qui fideliter in sua uocatione seruierunt, diuinitus ante ingruentia publica mala ex sua statione ad æternam quietem & lætitiam euocantur, ut inquit Esaias. Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo, & uiri misericordiæ colliguntur, & non est qui intelligat. A FACIE ENIM MALICIAE COLLECTVS EST IVSTVS.

Sicut autem conqueritur Propheta, suos homines securos non affici piorum uirorum interitu, & pœnas prædicit horrendas illis contemptoribus talium admonitionum diuinarum. Ita iustissimas causas querelarum habemus hoc quoq; tempore, quòd in hac mœsticia publica & maximarum calamitatum metu, tamen inueni-

yntur aliqui in hac Academia, qui quasi insultantes pijs animis, sollicitis propter publicas ærumnas, nocte grassantur in plateis more plus quàm belluino, & quietem turbant agrotantium, puerperarum, & aliorum imbecillium, quibus parci Deus & communis humanitatis ratio præcipit. Eos seriò, quod sæpe facimus, etiam nunc monemus, ut & diuinas & publicas magistratuum pœnas metuant, qui impune tales grassationes non ferent, & se domi suæ contineant illo tempore noctis, quod quieti debetur, ac si non afficiuntur ipsi manifestis signis iræ diuinæ & impendentium calamitatũ, ut modestius uiuant, saltem permittant alijs suspirare, & preces suas effundere ad Deum, & petere à Deo mitigationem instantium malorum. Cæteros autem Scholasticos omnes, qui nobiscum gemunt, propter communia pericula, & collegas nostros hortamur & rogamus, ut ad deductionem funeris, quod fiet hora prima, frequentes conueniant ad ædes M. Marcelli, & hoc officio declarent, sibi huius optimi uiri salutarem operam gratam fuisse, & reliquorum præceptorum salutem precibus suis Deo commendent, & orent, ut hæc schola diu possit esse purus & abundans fonticulus, unde salutaris doctrina de Deo, & omnibus uitæ

uitæ partibus hauriri, & late in alias regiones deriuari queat. Die Stephani. Anno 1552.

IN OBITVM DOCTISSIMI VIRI M. IOHANNIS MARcelli præceptoris ſui chariſsimi.

HActenus in cœlo triſtiſsima uidimus ipſo
Signa, ſat iratum quæ docuere Deum.
Sæpe tenens medij fulgentes ætheris oras,
Dum ſol purpureis inueheretur equis,
Correptus tenebris faciem & caligine opaca,
Abſtulit è noſtro ſqualidus orbe iubar.
Sæpe agitans fœdo conſperſos ſanguine currus,
Amiſit lucem pallida Luna ſuam.
Armorum crepitus, glomeratos militis orbes
Conſpecta eſt uacui reddere imago poli,
Vidimus & pugnas ſimulachra cientia triſtes,
Atq; alia in uarijs horrida ſpectra locis.
Quæ formidandæ fuerant prænuncia cladis,
Tempore quæq; inſtat pœna luenda breui.
At uideas paucos, qui tanto in turbine uitam
Emendaturi, dum licuiſſet, erant.
Negligit oſtenſas ignara iuuenta procellas,
Nec fati curat damna futura ſui.

ANNO 1552.

Ergo ſed elapſis tranſacti menſibus anni,
Dum nouus in primo limine Ianus adeſt.
Omine non fauſto caſum præmittit acerbum,
Omnia qui ſumma ſpectat ab arce pater.
Ipſius ut pauidis ſpectantes mentibus iram
Flectamus molli numina læſa prece.
Abſtulit ecce uirum, quo uix præſtantior alter,
Qui fuit iſtius parſq; decuſq; ſcholæ.
Marcellum uera clarum pietate, fideq;,
Doctrina, ingenio iudicioq; grauem,
Dulcia qui teneræ promouit cœpta iuuentæ,
Et ſtudijs fouit dedita membra pijs.
Qui quoties huius tenuit moderamina cœtus,
Officio iuuit publica ſceptra ſuo.
Ille iuuentutem patrio complexus amore,
Imbuit æterni cognitione Dei.
Semina uirtutum uere inculcauit, & artes
Perpetua docuit ſedulitate bonas.
Nec titulos alios alioſue petebat honores,
Grata niſi pietas eſſet ut iſta Deo.
Hic iam ſub uitæ medios intercidit annos,
Cum magis huic poſſet commodus eſſe ſcholæ.
Eſſe quid hoc aliud dicam, quàm numinis iram
Offenſi nobis grande parare malum.
Ipſe quidem ſummis Marcelle exempte periclis
Viuis in æthereæ regna recepte plagæ,

Quemq;

Quemq; professus eras flagranti pectore Christū
Parte tui coràm nobiliore colis.
Angelicosq; inter cœtus, sanctosq; prophetas
Grata Deo læta carmina uoce canis.
At nos magna manent ueturæ incõmoda pœnæ,
Scruamurq; nouis turba premenda malis.
Vtq; Deus, quoties populum punire solebat,
Qui sua spernebat iussa tremenda ferox,
Instantis signum pœnæ non certius illum
Præmisit, sanctos quàm rapiendo uiros.
Sic homines nostro eripuit tot tempore sanctos,
Præ foribus pœnas monstret ut esse graues.
Ergo pijs tandem moueare iuuenta querelis,
Nam ruit in thalamos publica pœna tuos.
Iusta Deus certe iam iam commotus ad arma
Irata librat fulmina sumpta manu.
Et nisi placemus, quas accersiuimus iras,
Ni ueram ex Christo fonte petamus opem:
Irarum Dominus cunctas effundet habenas,
Milleq; promeritos cladibus ipse premet.
Quare age deflentes sceleris contagia nostri,
Qui fuimus turpi perdita membra lue,
Sumamus dignos conuerso pectore motus,
Mores namq; dies postulat ista nouos,
Vitam emendemus, culpæ ueniamq; precemur,
Qui conuersa nequit linquere corda, Deum.

Porriget

Porriget ipſe manus uictas in uota piorum,
Et franget fati iura ſeuera ſui.
At tu Chriſte Dei Lux, ſplendor, imago parentis
Emmanuel cœtus ſpeſq; ſaluſq; tui.
Fœdere nobiſcum facto qui miſſus Olympo,
Veniſti pura uirgine natus homo.
Quidquid ineſt nobis fœdæ, tu diſcute, ſordis,
Inſtaurans uerbo pectora noſtra tuo.
Da placidus pacem ſanctam, cladiſq; futuræ
O princeps pacis, ſemina tolle procul.
Protege quaſſatam ſolita pietate Sareptam,
Quæ tua non dubia dogmata uoce ſonat,
Vt maneat, quæ te uotis Eccleſia ueris
Inuocet, & cultus diſcat ametq; tuos.

M. Laurentius Span.

PHILIPPVS MELANTHON AVDITORIBVS SVIS IN ACADEMIA VVITEBERGENSI S. D.

ETſi pericula noſtræ legationis conſidero, & animo præmctior, ac malebam domi eſſe, & frui ſtudijs, & conſuetudine meorum, & amicorum, præſertim in hac temporum mœſticia, & natura abhorreo à rixis: tamen

cum

cum toties iam flagitarit Imperator, ut aliqui ex nostris Ecclesijs ad Synodum mittantur, & principibus fugienda sit contumaciæ species, aliqui ad hanc molestam & periculosam profectionem delecti sunt, ac filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis, & resuscitatum, qui uerè est Emanuel, oro, ut & nobis adsit, & nos & harum regionum Ecclesias protegat. Vos etiam obtestor, ut uota uestra ad gemitus omnium piorum adiungatis, ut filius Dei leniat pœnas impendentes.

Grassari luem & famem passim uidetis. Et bella Turcica crescent. Recens enim aiunt & per Forum Iulium Turcis in Austriam concessum esse transitum. Ad hæc si accedent in Germania noui motus, ut adparatus in multis locis significat, erit ἰλιὰς κακῶν.

Deplorandus autem stupor est, non adfici cogitatione summarum calamitatum totius generis humani. Quare & iram Dei agnoscite, & ut in ira misericordiæ suæ, Deus propter filium memor sit, precemini. Et ut precatio sit ardentior, sint mores modesti, & exuscitentur animi ad pœnitentiam, iuxta uocem Dei. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos.

Nec deerunt uobis me abſente prælectiones utiles. Meo loco D. Rector Magiſter Paulus Eberus tradet Dialectica, & adiunget enarrationem ſcripti alicuius, quod prodeſſe Scholæ iudicabit. Adiunget et recens editã Ioachimi κατήχησιν. Dominus D. Forſterus ſupra alias lectiones etiam aliquam Pauli aut Iohannis Epiſtolam interpretabitur, Et habetis alios linguarum & omnium artium lectores eruditos & fideles. Dominus D. Vitus gnomicas ſententias Ieſu Siracidæ exponet. Peucerus Deo iuuante breui redibit. Et tamen interea uir doctus, Magiſter Baldaſar pertexet Aſtronomica initia, quæ in libello uſitato traduntur, cui Titulus eſt de Sphæra. Hæc optima ſtudia ut filius Dei, qui uere nobis eſt interpres καὶ λόγος ſapientiæ æterni Patris, gubernet, adiuuet, ac tueatur, toto cum pectore oro.

Cumq; hanc militiam ueſtram ſciatis ad gloriam Dei, & ad ueſtram ac ad communem Ecclesiæ ſalutem pertinere, ſimul & laborem diſcendi urgeamus, & petamus, ut filius Dei mentes noſtras regat. Videtis in Italia, Gallia, & multis locis Germaniæ nouis decretis ſtabiliri errores, alicubi uerò præſtigias offundi ſimplici ueritati.

ueritati. Nos hactenus Deo iuuante dedimus operam, non sine magno labore, ut uera & incorrupta doctrina simpliciter & propriè explicata uobis proponeretur. Quare non dubitamus & esse Ecclesiam Dei, hunc ipsum cœtum uera discentem, & hunc cœtum Deo curæ esse. Hac uos consolatione, quæ in his publicis & priuatis periculis ostendit eum portum, in quo præcipue acquiescunt bonæ mentes, confirmate, & interea ualete fœliciter. Datum Lipsiæ Idibus Ianuarij, quo die iter ad Cygneam suscipiendum erat. Anno 1552.

PAVLVS EBERVS.

QVæ sit uoluntas præceptoris nostri Reuerendi, Philippi Melanthonis, ex scripto ipsius, quod Lipsia ad nos misit, intelligitis. Etsi autem facile agnosco, à me nequaquam ea, quæ mihi ab ipso imponuntur, cum auditorum fructu sustineri posse, præsertim cum in hac occupationum uarietate etiam tempore destituar, sine quo diligentiæ usus esse nullus potest: tamen cum mihi integrum non sit, nisi officium scelerate prætermittere uelim, eius authoritatem defugere, quem ut parentem omnes meritò colimus, aliquam partem eorum, quæ iussus sum

ſum facere, in me ſuſcepi. Cæterum hortator fui Doctiſſimis præceptoribus ac collegis meis, ut reliquam partem operarum, ipſi inter ſe diſtribuerent, & operam darent, ut habeat iuuentus, in abſentia Domini præceptoris, quod cum fructu audiat, qua in parte facilitas eorum & uoluntas ad iuuandum communia ſtudia, promptiſſima, laude digniſſima eſt. Ego igitur, Deo iuuante, Dialectica præcepta ab initio ſecundi Libri repetam, eiq; lectioni tribuam horam ſeptimam die Lunæ & Martis. Ad interpretationem κατηχήσεως eruditè ſcriptæ à Ioachimo Camerario uiro Doctiſſimo, quam uult Dominus præceptor in manibus diſcentium eſſe, conferam horam ſeptimam die Sabbati. Orationem uerò pro P. Quintio pergam explicare hora quarta poſt meridiem, ut hactenus feci, quantum omnino per occupationes licebit, quæ ſi quando, ut aliquoties iam accidit, mihi inuito lectionem pomeridianam eripuerint, quod tamen ne ſæpe eueniat ſummo conatu cauebo, rogo auditores meos, ne me ſtudio ſubterfugere legendi laborem exiſtiment, ſed perſuadeant ſibi, me impediri eiuſmodi negotijs officij publici, quæ dilationem nullã patiuntur. Vos aũt auditores hortamur, ut hos noſtros labores, quos mediocri adſiduitate, in

explicatione

explicatione utilium artium ſuſtinemus, boni conſulatis, & ſi ueſtræ expectationi non ſatisfaciemus, moueamini, ut ardentius precemini Deum, ut & in hoc periculoſo itinere cuſtodiat uenerandum Præceptorem noſtrum, ac de ſingulis nobis optime meritum Dominum Philippum Melanthonem, & eius uocem quamprimum ſcholæ reſtituat, qua quòd priuamur interdum diutius, credamus etiam fieri propter ingratitudinem noſtram & negligentiam, qui tam excellentem ac ſalutarem Doctorem, cum adeſt, uix, aut certe oſcitanter audimus, uel etiam, quod indigniſsimum eſt, morum feritate & contemptu diſciplinæ grauiter excruciamus. Quare ſi uolumus cito nobis eius uocem reddi, agnoſcamus primum & grati celebremus hoc maximum Dei beneficium, quòd dedit hactenus huic ſcholæ eiuſmodi Doctorem, qui non modo eruditione ſua iuuit ſtudia omnium, ſed etiam tanta cura ac fide complexus eſt uniuerſam ſcholam ac ſingulos diſcentes, quanta ſolet pater liberos ſuos complecti: Vel ut Paulus loquitur: ὡς ἂν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα. Deinde ſcedulo pro ipſius incolumitate oremus Deum, & mores noſtros ea moderatione flectamus, ne ip-

ANNO 1552.

sum absentem rumores de petulantia iuuentutis magis adfligant. 17. Ianuarij. Anno 1552.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

BEati mortui, inquit Apocalypsis, qui in Domino moriuntur, hoc est, qui in agnitione ueræ doctrinæ de filio Dei Domino nostro Iesu Christo, & in eiusdem inuocatione decedunt, sentientes in cordibus suis ueram & efficacem consolationem Spiritus sancti, qui in ipsis accendit singularem lucem, & in præsenti morte corporis præbet gustum uitæ æternæ, ut cũ desiderio æternæ consuetudinis Dei & filij ipsius Domini nostri Iesu Christi hinc migrent, quasi non sentientes uim mortis corporalis, ut Christus promittit inquiens: Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruabit, non uidebit mortem in æternum. Sic obdormijt potius quàm mortua est heri uirgo honestißima Margarita Zukerranffs, soror coniugis uiri excellentis eruditione et uirtute Magistri Henrici Buscoducensis, quæ honestis parentibus orta, & à matre uidua, quæ exemplum piæ matronæ erat, optima disciplina educata, & magna cura ad amandum & discendum uerbũ Dei adsuefacta, mores suos cũ laude

laude castitatis, uerecundiæ, pietatis, et sedulitatis ita rexit, ut egregium testimonium illarum uirtũ apud omnes, quibus cum uixit, reliquerit. Fuit autem in familia honestißima apud sororem amplius quadriennio, ubi singulare exemplum concordiæ et suauißimæ consuetudinis inter sorores multis admirationi fuit. Et cum semper uerbi diuini studiosißima fuisset, ita ut in maximis curis œconomiæ, quam ipsa, sorori in educatione liberorum occupatæ parcens, ferme gubernabat, tamen non facile concionem sacram negligeret, & illud Pauli dictũ uerũ esse comprobaret: ἡ ἀγαμὸς μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου, ἵνα ἦ ἁγία καὶ σώματι καὶ πνεύματι: maxime uerò pietatem suã et profectum in studio uerbi diuini in morbo & ultimo agone suo declarauit, ubi tot, ac tam apte, & tam firma memoria citatis ex scripturæ sententijs, ipsa sese erigebat ad spem æternæ uitæ & consuetudinis cum filio Dei, ut omnes aliorum consolationes anteuerteret. Cumq; se ardentibus precibus Domino nostro Iesu Christo commendaret, quẽ admonitu sui fœderis cũ Ecclesia, sponsum suũ appellare et inuocare solebat, placidißima morte extincta est. Ei funus hodie fiet hora tertia. Petimus igitur, ut Scholastici & collegæ nostri ante ædes M. Henrici Buscoducensis conueniant, et testentur se uirtutem & pietatem

in hoc ſexu magnifacere, & luctu Doctiſſimi uiri M. Henrici & coniugis pijſſimæ adfici. Et ſimul ſe ſuamq; uitam Deo commendent, & orent, ut Eccleſijs harum regionum ſalutarem doctrinam incorruptam diu concedat, cuius efficacia euidenter conſpicitur in morientibus. 19. Ianuarij. Anno 1552.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

VTile eſt ſæpe cogitare retro, qualis fuerit ſtatus Eccleſiæ tum, cum Filius Dei immenſa bonitate & amore erga genus humanum carnem noſtram ex uirgine Maria aſſumpſit. Præerat tunc Herodes Antipatri, qui duriter premebat populum Iudaicum, impatientia ſua & ſpe excutiendi iugi ſubinde nouas ſibi difficultates accerſentem. Cumq; in deſcriptione orbis terrarum, quæ facta erat imperio Auguſti Cæſaris, etiam Iudæorum facultates eſſent æſtimatæ, quod erat euidentiſſimum ſeruitutis ſignum: aliqui in populo audaciores uociferabantur, impium eſſe ſeruire ethnico Magiſtratui, cum ſemini Abrahæ ſit promiſſa libertas, & regnum

regnum perpetuum, & quòd uolebant uideri seriò defendere legem & gloriam Dei, & libertatem populi, ſpecioſo nomine adpellabant ſe zelotas, & Iuda quondam Galileo concitante, magna multitudo confluxit, detractans dare tributum Romanis, & alios condemnans, qui imperio Ethnico obtemperabant, quos motus exercitus Romanus non ſine multo ſanguine ægrè compeſcuit.

In hac rerum anguſtia & eiuſmodi procellis conſeruabatur tamen Eccleſia & defendebatur, ut & parere Maria & tempus puerperij in Bethlehem conquieſcere poſſet, & hodierno die, qui quadrageſimus fuit à die partus, iuxta Legem, infantem adferre ad templum poſſet, quem ibi ulnis ſuis complexi Simeon, Anna & alij, ardenti motu pectoris Deo gratias egerunt.

Ita utrumq; ex conſideratione illius temporis diſcamus, & fore Eccleſiam ſemper in ſummis anguſtijs ac ærumnis, & Deum inter horrendos motus & colliſiones imperiorum tamen defenſurum cœtum, qui ipſius uerbum ac Inuocationem retinet. Hac ſpe nos quoq; patienter feramus horum temporum difficultates, quæ non mediocriter incipiunt nos premere, & ſtudia noſtra

in hac ipsa rerum asperitate urgeamus maiore conatu. Quod si molestum est, nos non posse eandem tranquillitatem semper habere, & interdum coarctari in angustias insuues: cogitemus idem sustinuisse filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum nasceretur, non habuit locum in diuersorio, sed cum Matre & Ioseph detrusus est in fœdum stabulum, ubi inter iumentorum stercora & stramenta in angustum præsepe conclusus, iacuit. Has tantas molestias cum sciamus filium Dei nostræ salutis causa pertulisse, turpe est nos ita esse delicatos, ut non uicissim aliquas difficultates discendæ & propagandæ cœlestis doctrinæ causa tolerare uelimus.

Quare cum uisum sit Illustrissimo Principi Electori abeunti longius extra fines ditionis suæ, urbes aliquas munire mediocri præsidio, nostri officij esse duximus, præmonere Scholasticos eos, qui serio discendi studio flagrant, & tranquillitatis amantes & studiosi sunt, ne propter hoc exiguum præsidium introductum in oppidum, aliquod grauius periculum animo concipiant. Erit enim curæ ijs, qui præsunt Ciuitati, ne quis militum nostris studijs obstrepat, aut quemquam ex discentibus nõ prouocatus, iniuria afficiat.

cia. Et spes nobis præbetur, non diu hîc futuram hanc militum manum.

Reliquos autem, qui glorioſum putant, nocte uagari & tumultuari in plateis, ſeriò & paterne hortamur & monemus, & pro officio noſtro, ſub pœna grauiſſima, quam Academia irrogare poteſt, iiſdem etiam mandamus, ut ſe nocturno tempore domi contineant, nec uel armis uel conuicijs, uel clamoribus, uel quoquo modo milites irritent, aut ad pugnas prouocent, & ſi non ſuæ uitæ periculo mouentur, ut tranquillius uiuant, ſaltem metuant periculis inuoluere ſua petulantia & ferocia alios innocentes, in quos graſſari poſſent milites, ſemel irritati.

Reprehendit pijſſimus filius Aeneas patrem grandæuum, quòd uelit urgenti incumbere fato, hoc eſt, calamitates fatales ſua impatientia & obſtinatia cumulare. Et Menander ſapienter monet: μὴ θεομάχει, μηδὲ πρόσαγε τῷ πράγματι χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς δ' ἀναγκαίους φέρε. Quare nos quoq; hanc præſentem moleſtiam æquo feramus animo, & non attrahamus alia non neceſſaria mala, & imprimis oremus Deum, ut ſit ipſe cuſtos huius alueoli, ac tueatur & alat ſedulas apiculas, quæ in hoc occupatæ ſunt, ut ex cœleſti

rore dulce mel ad posteritatem transmittendum colligant. Fucos uerò turbantes has pias operas, ipse coherceat & repellat. Die purificationis Mariæ. Anno 1552.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

IN ægro corpore Medici pro lætali signo habent, quando ægrotus morbum ipse non sentit, & interrogatus nihil dicere potest, quod doleat. Et apud Hippocratem Aphorismus est. ὁκόσοι πονέοντες ἢ ἔτ, σώματ☉, τὰ πολλὰ τῷ πόνῳ οὐκ ἀισθάνονται, τουτέοισι ἡ γνώμη νοσέει. Idem prorsus cogitandum est de totis cœtibus, quando publicæ calamitates non sentiuntur amplius aut metuuntur, certum est impendere totis rebus publicis extremam euersionem & interitum. Talis ἀναλγησία & ἀναισθησία, plærosq; nunc occupauit, qui quasi summa sit in præsenti statu suauitas, aut expectanda magna tranquillitas & aurei seculi fœlicitas, securi indulgent suis cupiditatibus, tumultuantur, ferociunt, furunt, & aliorum tranquillitatem & inuocationem turbant,

turbant, & mœstitiam augent, & illis furoribus sibi & alijs pericula attrahunt & pœnas cumulant, cum tamen iam ante tanta malorum uis simul premat Ecclesiam & politias, & ex propinquo nouorum moles tanta se ostendat, ut si quis tantũ lachrymarum fundere posßit, quantum aquarum Albis uehit, quando ripas egressus campos late texit, satis deplorare miseriam horum temporum & secuturæ ætatis nequeat. Clamat Esaias: Audite cœli & auribus percipe terra, Quoniam Dominus locutus est, quasi dicat Propheta, inuoco testes cœlum, terram & totam huius mundi machinam, quòd uerbum Domini populo huic sæpe proponitur, qui tamen ita obduruit & occalluit, ut audire amplius Deum & ipsius ministros loquentes non uelit.

Ita nobis hi saxei muri, quibus hæc scripta affigimus, & templorum ac collegiorum parietes, intra quos aßidue exauditur uox pie & salutariter monentium & hortantium ad modestiam, testes esse possunt, nos nihil intermittere, quod ad commonefaciendos auditores nostros utile fore uidetur. Quantum autem proficiamus apud aliquos, res ostendit. Nos tamen nostrum officium facere & clamare pergemus, cum aliud

per imbecillitatem noſtram & horum tempo-
rum confuſionem facere non poßimus, & eos,
qui ſanabiles ſunt, ſui officij & periculi admo-
nebimus.

Irrepſit in has gentes mos quidam à Roma-
norum Lupercis & Baccharum furoribus haud
dubie acceptus, ut hiſce diebus homines perſona-
ti & terribilibus facierum figuris deformati
gregatim circumcurſitent, & aliquando etiam
armati in alienas ædes irrumpant, & muti inui-
tos ad ludendum prouocent. Quæ conſuetudo
& apud Romanos peßimis facinoribus cauſas
præbuit, & apud nos ſæpe multis triſtibus caſi-
bus occaſio fuit. Sed imprimis hoc tempore, cum
urbs plena militibus eſt, res eſſet futura periculo-
ſißima, ſi tales perſonatorum greges armati
uagari, & peregrinos laceſſere aliqua iniuria,
aut ad eaſdem circumcurſationes ſuo exemplo
excitare uellent, unde cædũ, libidinum, & alio-
rum tetrorum facinorum uberrima materia
exiſtere poſſet.

Quare ſeriò & ſub pœna relegationis prohi-
bemus hos perſonatorum luſus, ethnicis deform-
mes, nedum Chriſtianis indignos, quos Paulus
uult ita pietatis & uirtutis amantes & ſtudio-
ſos eſſe, ut fornicatio & omnis immundicia &

alia

aliæ tales labes ne quidem nominentur inter ipſos. Et addit horrendum iudicium contra tales furores inquiens: Hoc ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator etc. non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Nemo uos ſeducat inanibus uerbis, propter hæc enim uenit ira Dei in filios contumaces. Hæc fulmina coherceant ferocium impetus, ut modeſtius uiuant. Die Dominica, quæ in Eccleſia nominatur, Eſto mihi. 28. Februarij.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

HEri inchoatæ ſunt nocturnæ excubiæ à militibus, quod ante quàm fieret, præfecti militum, communis tranquillitatis ſtudioſi, & noſtro ordini non iniqui, amanter à nobis petierunt, ut ſcholaſticos ſui officij cõmonefacerémus, ne in excubitores impetum faciant, aut ulla eos iniuria laceſſant. Item ut poſt nonam horã noctis domi ſe contineãt, aut ſi neceſſaria illos cauſa ſerius ambulare per plateas cogat, ſine clamoribus et tumultu incedant. Ac ultro nobis receperunt, ſe & præmonitione ſeria, & crebra inſpectione excubiarum,

excubiarum hoc acturos ſedulo, ut milites in officio contineantur, ne quenquam ex Scholaſticis petulanter lædant, aut ulla iniuria afficiant. Quod ſi iuſta querela de quocunq; milite ad ipſos perferatur, ſe pœnarum ſeueritate teſtatum facturos, ſibi noſtri cœtus quietem & incolumitatem curæ eſſe.

Hac præfectorum æquiſſima petitione ualde ſumus delectati, & ne officio noſtro defuiſſe uideamur, eam publice ſignificamus, & quod ſæpe hactenus meminiſtis à nobis factum eſſe, iterum paternè monemus & oramus auditores noſtros, ut modeſti ſint, & nocturnos tumultus uitent, & excubitores non ad arma ſtringenda prouocent, nec ipſi ſe periculis non neceſſarijs obijciant, nec calamitates, quas temporis difficultas affert, cumulent, ſed potius orent Deum, ut præſentes ærumnas clementer mitiget, quarum tam longa tela hoc bello texitur, ut ſi quis altiori ſpeculæ inſiſtat, quàm fuit Gigantum ſtructura, cum Pelion Oſſæ et utriq; Olympum impoſuerunt, proſpicere tamen finem impendentium miſeriarum nullam queat.

Vt autem preces ſint ardentiores & efficaciores, accedat temperantia, ſobrietas, & diſſolutæ

uitæ

uitæ seria emendatio, sicut Christus monet de his ipsis postremis temporibus loquens ad discipulos: ἀγρυπνεῖτε οὖν πάντοτε δεόμενοι, ἵνα καταξιωθῆτε ἐκφυγεῖν ταῦτα πάντα τὰ μέλλοντα γίνεσθαι. *Nec erunt irriti gemitus & clamores nostri, sed impetrabunt haud dubie leuationem malorum publicorum, si fient cum fiducia, sicut idem Dominus noster promittit inquiens. Propter hoc dico uobis, quæcunq; orantes petieritis, credite, quòd accepturi sitis, & euenient uobis.* Die 20 Martij.

Anno 1552.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

NVper cum primũ milites in urbem introducerentur, monuimus auditores nostros, ut sui officij memores, cauerent, ne illorum aliquos uel iniuria lacesserent, uel etiam uindictæ cupiditate irritarent. Hoc fidele nostrum consilium & præmonitionem etsi credimus plærosq; flexisse ad moderationem necessariam tranquillitati publicæ, tamen comperimus esse quosdam ita contemnentes & sui periculi

& com-

& communis totius cœtus scholastici, ut non obscure significent, se paratos ad dimicandum cum militibus, imo etiam contumeliosis eos uocibus, quarum impatientißimum est hoc genus, prouocare ad iustam indignationem audeant. Hos, si suo tantũ periculo essent animosi, sineremus, sane laudem fortitudinis talibus certamimibus quærere, donec sux intempestiuæ audaciæ pœnas luerent, quæ haud dubie comitantur eos, qui non necessarijs periculis ipsi se obijciunt. Et expectaremus, donec ab euentu, qui STVLTORVM MAGISTER uocatur, docerentur minus ferocire, sicut poëta inquit de talibus tumultuatoribus: Vulneribus didicit miles habere metum.

Sed quia illorum ferocia periculum & ciuibus & toti cœtui scholastico creare posset, cum semel irritatum hoc genus hominum sæpe non authorem iniuriæ quærat, sed in totum ordinem sæuiat, & interdum gaudeat sibi aliquã causam tumultuandi dari, unde horrendæ cædes innocentum, & alia tragica mala existere possent: duximus nostri officij esse, scholasticos denuo sui officij commonefacere, & hortari, ut rationem habeant suæ incolumitatis, quam Deus in quinto præcepto unicuiq; seuere mandat: NON OCCIDES;

CIDES, & aliorum ſaluti parcant, ne ſua petulantia, ut tetri ἀλάσορες et furiæ, alios innocentes in exitiũ ſecum pertrahant. Neq; enim fas eſſe talis licentia poteſt, quæ graſſatur ferro, non ut defendat ſe aut alios, ſed ut ad pugnas & cædes prouocet eos, qui alioqui non ita ſunt æqui huic noſtro ordini, & in hac ἀναρχίᾳ plura ſibi impune licere exiſtimant. Compeſcat illum furioſum impetum & cupiditatem pugnarum, grauiſſima uox filij Dei dicentis. Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et hanc regulam diuinitus ſeruari, omnium gentium & ætatum hiſtoriæ teſtantur, quæ innumera exempla proponunt eorũ, qui fœdis modis & tragicis extincti ſunt, eo quòd uel ipſi ſanguinem humanum fuderunt, uel alijs cædium cauſas præbuerunt. Et talibus, quĩ polluti ſunt conſcientia cædium, etiamſi aliquandiu pœnæ differuntur, tamen interea animi excruciantur horrendis ſtimulis conſcientiæ. Clamat enim innocenter interfectorum ſanguis ita clarè ex terra, ut non ſolum nubes & cœlũ uox illa perrumpat, ſed etiam in aures & animos ipſorum homicidarum penetret, & illos conquiescere nullo tempore ſinat.

Has pœnas & cruciatus ut uitet iuuentus, nec uel ſibi interitum tragicum petulanter accerſat, uel

uel publice sit μίασμα & ἀλάσωρ attrahens aliis nihil tale meritis horrendum exitiũ, frenet cœcos animi impetus, & cedat nonnihil publicis malis, iam more pelagi, rupto aggere exæstuantis, irruentibus, & non calamitates sibi & aliis cumulet contra nitendo. Sæpe auditis sapienter & uere dici, VITARE PECCATA ET CALAMITATES, EST VITARE OCCASIONES PECCATORVM ET CALAMITATVM. Vt igitur effugere uestra & aliorum mala posßitis, occasiones uitate, urgete honestos studiorum labores, fugite cõuiuia & helluationes, continete uos domi eo noctis tempore, quo statuta prohibent Scholasticos in plateis uagari armatos cum clamoribus, & interdiu quoq; cauete, ne cui peregrino querelæ iustæ aut indignationis causam ullã uel dicto uel facto uestro præbuisse uideamini. Hanc modestiam ante omnia mandatum diuinũ, deinde authoritas legum et magistratus, post etiam uestræ salutis ratio, & periculorum priuatorum metus, postremo & publicorum malorum conspectus à uobis impetret & extorqueat, cui Deus benedicet, & ampla præmia tribuet, sicut inquit Christus. Beati mites, quia ipsi terram posßidebunt. Et rursus: Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur.

Sed

Sed si qui ita sunt adamantimis pectoribus, ut hæc omnia contemnere audeant, & ruere ultro in suas clades uidentes & scientes pergant, afferet quidem nobis illorum interitus magnum dolorem, ut par est, sed rursus tamen consolabitur nos facti officij conscientia, qui paternè toties monemus, oramus & obtestamur per DEVM auditores nostros, ut sibi & alijs parcant, quos clamores nostros & pia monita si surdis auribus præterierint aliqui, ij postea hærentes in pœnis neminem quem accusent, nisi se ipsos, habere poterunt. Et quanquam nerui nobis tuendæ disciplinæ desunt, tamen quantum in hac infirmitate nostra poterimus, seueritate pœnarum ostendemus, nobis studium tranquillitatis communis & disciplinæ conseruandæ non defuisse.

Cæteros modestiores, qui hac nostra admonitione non egent, hortamur, ut nobiscum orent Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, & filium ipsius, Emanuelem & umbraculum nostrum, ut ipse sit Custos huius infirmi agminis, & auertat omnia impendentia pericula. Amen.

Anno 1552. Circa Bacchanalia.

ANNO 1552.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

CVm alia multa prodigia intra biennium in hac uicinia conſpecta ſunt, tum hoc non procul ab hoc oppido uiri honeſti ac nobiles uiderunt in itinere, Solis corpus cruentum, & tanquam in duas partes diuidi, ac in diuerſa loca partes dilabi. Circa Solem uerò in aëre dimicantes exercitus, E regione in aëre, uelut in arduo monte ſtantem Ceruum. Etſi autem ſignificationem oſtendent euentus, tamen denunciari pericula Germaniæ, initia horum motuum oſtendunt, in quibus ſperamus Deum ſeruaturum eſſe Eccleſiam, ut ceruam, quæ in arduum montem euaſit. Nam aliquoties Cerua in Prophetiis dictis, ipſum filium Dei ſeu Eccleſiam ſignificat, ut in titulo Pſalmi 22. Filius Dei nominatur cerua, mane à ſæuiſſimis uenatoribus fugata.

Interitus autem piorum, & pars eſt calamitatis, & ſignum uenturarum pœnarum, ſicut apud Eſaiam ſcriptum eſt: Iuſti colliguntur, ne uideant ſecuturas calamitates publicas.

Cum igitur heri uir clariſſimus, ſapientia & uirtute excellens, qui uera pietate Deum coluit,

Benedictus

Benedictus Paulus Doctor Iuris ex hac uita discesserit, agnoscamus nos magno ornamento orbatos esse, & doleamus nostra & reipublicæ causa. Cogitemus, etiam quæ Ecclesiæ & imperiorum confusiones impendeant, & filium Dei oremus, ut pœnas mitiget.

Etsi autem optaremus doctorem Benedictum & paruis liberis & nobis diutius uixisse, tamen cum ipsi hæc migratio iter fuerit ad cœlestem Ecclesiam, hac consolatione clarissimus gener, & filia dolorem leniant.

Nobis uerò, cũ uirtutes eius omnes, quæ fulserunt in uita, sint exemplo, tum uerò in hoc extremo agone cõfessio, inuocatio, Fides, spes uitæ æternæ, animi præsentia et tranquillitas, sint cõmonefactiones de multis maximis rebus. Memincrũt hic multi testimonia Spir. sancti in eo illustria. Et cũ ante annos fere triginta de forẽsibus certaminibus quidã dubitarent, et ipsũ ac alios uiros honestos nõ leuiter turbarẽt, pietatem suã hac in re quoq; ostendit, quòd studiose egit, ut tota doctrina Ecclesiæ de politica potestate explicaretur.

Deinde & huic suæ patriæ & Ecclesiæ magna adsiduitate et summa fide in maximarũ rerũ deliberationibus et Iudicijs seruiuit. Etsi autem anteà quoq; optimi mores & sermones pietatem eius ostenderunt, tamen nunc in hoc agone insigni

testimonia conspecta sunt. Repetiuit aliquoties confessionem, addita ad recitationem Symboli, sua adseueratione, se scire has Ecclesias uere esse Ecclesiam Dei, & consensum earum se amplecti, & se in pectore suo & antea sensisse, & nunc sentire ueram consolationem & testimonia Spiritus sancti, quibus statueret se uere propter filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, gratis habere remissionem peccatorum, & reconciliationem cum Deo, & se hæredem esse uitæ æternæ. Et palam se improbare omnium sectarum furores, quæ dissentiunt à Symbolis & ab hac confessione harum Ecclesiarum.

Crebro etiam gratias egit Deo, quòd Christi agnitione donatus esset, Et præcepit natis, ut in hac ipsa doctrina, ad quam ab ipso instituti essent, & quam modo profiteretur, Deum perpetuo inuocarent, nec ab ea auelli se unquam sinerent. His sermonibus & inuocationem miscuit pro tota Ecclesia, pro suis dulcissimis filiabus & filio, pro hac sua patria, et ut ante sæpe, ita nunc quoq; lacrymans petiuit, & filius Dei perpetuo colligat in his regionibus Ecclesiam, nec sinat fieri Ethnicam barbariem.

Filiabus

Filiabus & filio data dextra, bene precatus est, ac desiderio suorum, ut erat maxime φιλόσοφος, ualde adfici se ostendit. Sed tamen hac se consolatione erigebat, quòd sciebat orphanos, præsertim in Ecclesia, Deo curæ esse, sicut scriptum est, Generi rectorum benedicetur, Et orphano Tu eris adiutor. Ita inter uota, & piam commemorationem de beneficijs filij Dei, placidè decessit uir optimus, anno Climacterico, sexagesimo tertio.

Nos memoriam uirtutum ipsius & laborum, quos in gubernatione sustinuit, posteris tradamus, & exemplo confessionis & inuocationis in agone, in nobis quoq; pietatem & studium doctrinæ cœlestis accendamus.

Hortamur autem auditores nostros, ut ad Funus hodie hora 12. conueniant, quo tempore dies Ambrosij nos etiam de huius uiri uirtute commonefacit. Vt enim Ambrosius à forensi labore ad Ecclesiam regendam abductus est, Ita hic, quanquam & de Iure respondebat, tamen plus tribuebat temporis Ecclesiasticæ gubernationi & piæ lectioni. In his autem congressibus cogitemus & orbitatem nostram, & horum temporum pericula, & ueris ac ardentibus uotis nos Deo commendemus.

Ad te fili Dei Domine Iesu Christe confugimus, Tibi nota est infirmitas nostra, Te ueris gemitibus oramus, ut nos gubernes, & perpetuo inter nos Ecclesiam tibi colligas propter tuam gloriam, & reprimas diabolos, qui odio tui sæuiciam in miseros homines exercent, & nos & familias nostras clementer protegas, & honesta studia doctrinæ & disciplinam tuearis. Die Ambrosij. 4. Aprilis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

TOties monemus paterno animo, ut periculæ uestra consideretis, Et cum propter uestram incolumitatem, tum uerò propter parentum dolores sitis diligentiores in uitandis periculis, & occasionibus eorum, quanquam & aliæ multæ causæ sunt, quæ uōs ad modestiam hortari debebant, uoluntas Dei, uirtutis & publicæ tranquillitatis amor, reuerentia Ecclesiæ, publicæ temporum miseriæ, quarum rerum omniū cogitatione flecti uos ad moderationem oportebat. Sed tamen si qui hæc non cogitant, propria pericula metuere debebant, ut dicitur, τὸ οἰκεῖον πιέζει, τῶν δ' ἀλλοτρίων οὐ μέλει.

Sed

Sed dolendum est, tantam esse potentiam diabolorum, ut multos impellant, ut attrahant sibi calamitates, ac multa tristia exempla unius anni meministis. Imitat autem sæpe diabolos hominum petulantia. Nos uerò & filium Dei oramus, ut mentes nostras et hunc scholasticum cœtum gubernet, & uobis præcipimus, ut sitis tranquilli, & præsertim ne milites irritetis.

Cum autem sit pars disciplinæ militaris, & lex in locis præsidiorum & castrorum, ut capitale sit pugnare tunc, cum excubiæ sunt in sua statione, nos, ut seruetur æqualitas, iam significamus hoc publico edicto, nos pronunciare eum, qui eo tempore pugnæ initium fecerit, aut tumultum excitarit, petulanter irritatis militibus, statim tunc amississe ius societatis Academiæ, & fore in potestate eorum, qui militibus præsunt, & disciplinæ militaris custodes sunt. Itaq; ut pericula uitetis, occasiones etiam fugite, imo & eo sitis cautiores in omni conuersatione, quia scitis diabolum insidiari Ecclesiæ, & mala sodalitia sunt organa diabolorum. Oramus autem filium Dei custodem Ecclesiæ suæ, ut cœtum scholasticum regat & protegat. Die 7. Aprilis.

ANNO 1552.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

ANnus hic est à Primo pascate, quod Israëlitæ exituri ex Aegypto celebrarunt, 3061. Tot annos continua serie & seruauit filius Dei Ecclesiam suam, & agnoscere ac celebrare eam sua beneficia uoluit. Seruabit etiam deinceps hanc ipsam ob causam, ne in genere humano extinguatur uera ipsius noticia, & inuocatio Dei. Sed proh dolor, ut Sol medio die lucem amisit, & contra naturæ ordinem subitæ tenebræ fuerunt, cum in cruce filius Dei penderet, ita in hac mundi senecta tristes tenebræ erunt, in magna parte generis humani. Erunt tamen exiguæ reliquiæ, quæ uocem Euangelij sonabunt. Et quia uera Dei Ecclesia in cœlis & in terra, hoc ipso tempore de mirando consilio redemptionis generis humani colloquitur, & iusticiam ac misericordiam Dei considerat, & gratias agit pro patefactione Dei, & pro immensa bonitate erga nos, quam in creatione, & restitutione declarauit, adiungamus & nos ad uniuersæ Ecclesiæ uocem, nostros gemitus, gratiarum actionem, & precationem.

Primum

Primum autem ueris gemitibus deploremus nostram caliginem, quòd neq; creationis neq; restitutionis consilia satis cernimus, nec existimamus tantum negocij Deo *cum hominibus esse. Cum alias naturas tam multas condiderit frustra intereuntes, cumq; ipsius hominis tanta sit infirmitas & stulticia, casu ita uolui naturam multi putant, aut certe sine magna sollicitudine* Dei. Vere *dolcamus ita hallucinari humanas mentes, & petamus in nobis accendi agnitionem* Dei, *& clamemus, ut ille trepidus in historia* Euangelica: Credo Domine, *sed opem fer imbecillitati meæ.*

Vere *est conditor generis humani* Deus, *& amorem erga nos declarauit, quòd earum rẽ, quæ in ipso sunt optimæ, radios in nos transfudit, sapientiæ, iusticiæ, liberæ electionis. Et in hoc opere conspici, lætari & acquiescere uoluit.*

Ex *hac tanta dignitate postquam excidit natura nostra, uidemus iam, quales tenebræ sint. Non solum de conditore leuiter cogitamus, sed ne hæc quidem naturæ bona & mala, satis aspicimus, cum quidem ostendant & esse* Deum, *& esse sapientem, & iustum iudicem.*

Erat *autem iusticiæ* Dei *lapsam & deforma-*

tam naturam prorsus delere. Et nihil in Deo simulatum est. Quare & senserunt iram Dei primi parentes, & nos exempla iustæ iræ cernimus, mortem & alias calamitates.

Sed filius ingenti & non simulato amore erga nos deprecator factus est, & mirando temperamento iusticiæ & misericordiæ, decretum de restitutione generis humani factum est, & promissione edita reuocati sunt ex morte primi parentes. Hic filius statim ab eo tempore custos fuit Ecclesiæ, & assiduus comes agminis, in quo uox doctrinæ sonabat.

Postea adsumpta natura humana iram Dei in sese deriuauit, ut, sicut ordini iusticiæ congruebat, aliquis in genere humano, persolueret pœnã pro cæteris, cuius iusticia esset perfectissima legis impletio, & æquiualens precium pro cæteris.

Hîc & iram Dei aduersus peccatum, & amorem filij erga nos contemplemur, Sciamus hæc non casu accidisse, non temere aut leui consilio acta esse. Etsi nunc non penitus exhaurire hanc sapientiam Dei possumus, cur hæc ita fieri uoluerit: sapientissimis consilijs tamen hæc ita acta esse cogitemus, agnoscamus ueram & non simulatam esse iram Dei aduersus peccatum. Esse & uerum.

uerum, ac non ſimulatum amorem in filio erga nos, & bonitatem in æterno patre, qui propter. σοργὴν erga filium, generis humani miſeretur.

Exuſcitemus animos ad cogitationem rerum tantarum, & ſæpe repetamus gratiarum actionem: Tibi omnipotens Deus æterne Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agimus, pro ingentibus donis, quæ in creatione nobis tribuiſti, & quòd filium miſiſti, ut huic miſeræ naturæ ſalutem reſtituas, teq; oramus, ut Spiritu tuo ſancto accendas lucem in cordibus noſtris, ut te agnoſcamus, & firma fide celebremus, et tibi obtemperemus.

Tibi etiã fili Dei Domine Ieſu Chriſte crucifixe pro nobis, & reſuſcitate, λόγε καὶ εἰκὼν ἀϊδίε ἀϊδίου πατρός, ſedens ad dextrã æterni patris, ſapiens, uerax, iuſte, miſericors, caſte, gratias agimus, quòd pro nobis uictima factus es, & irã æterni patris, aduerſus noſtra teterrima peccata in te deriuaſti, teq; ſummũ ſacerdotem noſtrũ, ſtantẽ in ſancto ſanctorũ, coram æterno patre, oramus, ut pro nobis depreceris, nos protegas & gubernes. Nulla uox ardentior unquã in cœlo & in terra, audita eſt, quã tua precatio in agone recitata, in qua petis, ut Eccleſia ſeruetur, et quidem, ut dilectio ſimilis, quali te Pater æternus com-

complectitur, in nobis sit, & te adfirmas in nobis futurum esse: Ad hæc tua uota nostros gemitus & suspiria adiungimus, ac idem petimus, teq; oramus supplices, ut in nostris Ecclesijs, scholis & pectoribus perpetuo adsis.

Hanc gratiarum actionem & precationem sæpe repetamus. Nec erunt irrita hæc uota. Hortentur aũt nos publica et priuata pericula, ut in omnibus actionibus modestiores simus, & ut sit ardentior inuocatio. Synodus Tridentina condidit multa impia decreta, in quibus multæ sunt præstigiæ Sophismatum, quæ si edentur, noui tumultus erunt. Tantum enim ludunt põtifices Romani specie Synodi. Cum profuturas esse ad stabiliendam suam potentiam existimant, magni fieri eas uolunt. Cum metuunt labefactationem suæ potentiæ, arte dissipant, ut Basiliensis Synodus Anno 1444. dissipata est, cum Delphinus Gallicus incitatus à Romano pontifice exercitum uiginti millium hominum, (quos cum præcipua multitudo fuisset ex Armoricis collecta, nostri scriptores non recte nominant Armeniacos) ad mœnia Basileæ adduxisset. Etsi autem dilapsi sunt Episcopi, qui ad synodum conuenerant, tamen Gallicus exercitus, qui in illa tota ora Ger-

ora Germaniæ magnam crudelitatem exercuerat, pœnas dedit, Nam cum subito ex obsidione Tigurina quatuor millia Heluetiorum accersita essent, ab hoc exiguo exercitu magna multitudo Gallorum interfecta est, Fuitq; tanta uirtus Heluetiorum, ut quanquam numero longe essent impares hostibus, tamen non cesserint, sed in prælio omnes pugnantes interfecti sint, præter quinq; uiros. Nec aliud exemplum legimus similius pugnæ Spartanorum ad Thermopylas. Liberata tamen est Patria horum uirtute, Nam postea reliquiæ Gallici exercitus metu fugientes, ac palantes, alibi in diuersis locis trucidatæ sunt. Ita sæpe pontificiæ synodi causæ fuerunt magnorum tumultuum.

Oremus autem filium Dei, ut nos protegat. Mandamus autem omnibus Magistris & auditoribus, ut in hoc Pascate gratitudinis significationem erga Euangelij ministros ostendant, & munera ad Aram adferant, In pascate. Die 27. Aprilis.

RECTOR ACADEMIÆ
VVITEBERGENSIS M. PAVLVS EBERVS.

Nisi

NIsi tu Deus præcedas nos, inquit Moiſes, ne educas nos de loco iſto: Ita res cogit fateri omnes, qui præſunt, ſeu in magna ſeu in parua gubernatione, ita demum eſſe fœlicem & ſalutarem gubernationem, cũ Deus eam adiuuat, quia in tanta hominum infirmitate, in tantis furoribus diaboli, quàm multa accidunt, quæ ne quidem proſpici poſſunt? Quare filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui uere eſt Rector piorum ſcholaſticorum, & ſedens ad dextram æterni patris, dat eis dona, oro, ut Doctores & ſcholaſticos noſtros regat, et ei gratias ago, quòd hactenus & mihi in hac difficili adminiſtratione opitulatus eſt, & ſeruauit Academiam, & ut non ſinat in his regionibus deleri doctrinæ ſtudia toto cum pectore oro.

Cum autem cras eligendus ſit alius, qui magiſtratu deinceps hoc ſemeſtri fungatur, mandamus, ut hora ſexta mane in hoc auditorio non ſolum ad renunciationem, ſed etiam ad communem precationem conueniatis, & petatis, ut filius Dei, qui eſt umbraculum Eccleſiæ, leniat pœnas, & ſeruet ac regat uos ipſos, & faciat uos organa ſalutaria uobis & alijs. Profecto nobis & uigilantia & precatione opus eſt, ut in illo ingenti & admirando agone ſuo Dominus inquit:

Inquit: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Te *fili* Dei Domine Iesu Christe *crucifixe pro nobis, & resuscitate oro, ut hunc cœtum scholasticum protegas & gubernes.* Pridie Cal. Maij. Anno 1552.

VICE RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

QVoties *de magnitudine humanarum calamitatum cogitamus, ueniat in mentem hæc summa omnium & efficacissima consolatio, quòd filius* Dei, *qui est* ἐικὼν τοῦ θεοῦ *æterno Patri, adsumpsit humanam naturam. Tantæ rei causam oportet esse maximam. Non sustentaretur genus humanum, sed uniuersum redigeretur in nihilum, nisi filius* Dei *hoc modo nos seruaret, quia & ipse hanc massam admirando fœdere sibi copulauit. Vt corpus humanum destitutum ab Anima, mox dissoluitur, ita penitus interijsset hæc effigies* Dei, *postquam deprauata est, nisi retractam ex interitu, mirando consilio amplexus esset filius* Dei. *Hanc coniunctionem intueamur*

in omnibus

in omnibus ærumnis, & ſtatuamus ita ſeruari genus humanum in tanta imbecillitate, & ita reuicturam eſſe Eccleſiam, quia filius Dei nos amplectuur. Hac uera conſolatione nos erigamus, & commendemus nos filio Dei in uita & in morte, ſicut iubet, inquiens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos.

Hac conſolatione confirmata honeſtiſsima matrona Martha, coniunx uiri doctiſsimi M. Eraſmi Reinholdi heri crebro repetens & ſuam confeſsionem & inuocationem filij Dei, ex hac uita deceſsit, cum quidem biduo antecceſsiſſet filiola ex ipſa nata. Adficiamur autem hoc gemino luctu Magiſtri Eraſmi, quem ſcimus de ſtudijs philoſophicis optime meritum eſſe, & late ſparſiſſe ſemina optimæ doctrinæ in multis gentibus, & oremus Deum, ut ei dolorem leniat.

Hortamur autem ſcholaſticos, ut hodie horâ 4. ante ædes M. Eraſmi ad funeris ceremonias conueniant, & ueris gemitibus ſinguli Deo commendent, cum ſeipſos, tum uerò hanc Eccleſiam, quæ profecto, συσεναζει ηδη συνωδινει τη πανταχοῦ ἐκκλησίᾳ ταραασομένη ηδὴ χειμαζομένη ὡν δεινοῖς κυμασι, & petit, ut in his

in his regionibus deinceps quoq; colligatur agmen Deum recte inuocans & celebrans, & ne barbaricæ uastitates fiant, ne ueræ doctrinæ studia, ne publicum ministerium Euangelij, ne honesta disciplina, ne Ecclesiæ hospicia deleãtur. Serua hæc bona fili Dei propter tuam gloriam, & propter salutem teneri gregis, de quo dixisti: Non est uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis. Calendis Maij. Anno 1552.

VICE RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

OMnibus notißimus sit Homeri uersus: uir Medicus multis alijs præstantior unus, ἕἷς ἰατρὸς ἄνηρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Talem fuisse Doctorem Stephanum VVildium, qui in urbe Cygnea artem Medicam fœliciter exercuit, memimimus. Ex eius filia nata est puella Sibylla, quæ quia matre orbata fuit, hîc apud materteram honestam matronam coniugem Christiani Beiers, educata est. Heri autem ex hac uita decesßit, quæ cum fuerit in eo numero, de quo filius Dei inquit: Non est uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis, non dubitemus,

temus, eam ad cœlestis Ecclesiæ consuetudinem euocatam esse, ubi mater eam rursus læta complectitur in cœtu beatarũ matronarum, & uirginum, & iam uerius est Sibylla, hoc est, Dei consilia considerans, quàm erat in mortali corpore & carcere.

Sunt autem pij ritus condendi corpora, quos seruari conuenit, ut testemur nos ipsos expectare Resuscitationem hominum mortuorum, & Iudicium filij Dei. Hæc ut cogitemus in his ceremonijs, & ibi singuli Ecclesiam & nos filio Dei commendemus, hortamur scholasticos, ut hodie hora quarta ad funus conueniant. ante ædes honesti uiri Christiani Beiers. Scitis etiam pium officium esse, aliorum luctu adfici, & uerissimum esse, quod & apud ueterem Poëtam Theseus inquit, οὐκ ἀιχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά. V l. Nonas Maij. Anno 1552.

VICE RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

MAgno & uerè paterno dolore adficimur, propter mortem adolescentis honesti, ingenioſi, & præclare eruditi,

Hieronymi

Hieronymi Schroderi Lubecensis, qui Ecclesiæ magno usui, & patriæ ornamento futurus erat. Sed obtemperare nos Deo iustum est, cũ ad hunc Hieronymum quoq; pertinuisse hoc dictum non dubitemus, omnes capilli capitis uestri numerati sunt. Et nobis hæc cogitatio dolorẽ lenit, quòd iam in illa pulcherrima cœlesti Academia inter Prophetas & Apostolos, nõ exiguos & turbidos riuulos sapientiæ bibit, quales habemus in hoc squalido domicilio, sed ipsos fontes diuinæ sapientiæ largiter pura mente haurit, & coràm intuens Deum, audit interpretem sapientiæ æterni patris, filium. Scriptum est enim: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Ita autem uixit Hieronymus, ut eum domicilium Dei fuisse non dubium sit. Vera inuocatione Deum coluit, & mores erant casti, & in omni actione honesti, & mens flagrabat cupiditate discendi tanta, ut etiam assiduitas morbo occasionem præbuerit. Deinde toto morbi tempore, assidua inuocatione se Deo commendabat, optabat longius curriculum in hac uita, si profuturum esset Ecclesiæ. Matris etiam luctu adficiebatur. Sed Deo se uolentem obtemperaturum esse adfirmabat, & fiducia filij Dei certam spem uitæ æternæ tenebat. Iussit etiam matris luctum suis uerbis &

amicorum leniri, cui & gratias agi iussit pro materna σοργῇ & omnibus beneficijs. Suis precibus etiam Deo patriam, patronum, & præceptorem uirum doctißimum Petrum Vincentium commendauit.

Etsi autem ualde dolemus, extincto tali adolescente, & multas doloris nostri causas habemus, tamen cum ueram esse doctrinam Euangelij, de prouidentia, & de uita piorum in Ecclesia cœlesti, firma adsensione statuamus, his consolationibus dolorem leniamus, & de fugacitate uitæ, & de nostra imbecillitate cogitantes, singuli sese Deo ardentioribus uotis commendent. Ac te fili Dei Domine Iesu Christe crucifixe pro nobis, & resuscitate, qui certe præcepisti doctrinæ studia, oramus, ut hunc cœtum discentem serues & regas. Hortamur autem scholasticos, ut hodie hora prima in atrio collegij conueniant, ut funeris ceremonijs intersint, ubi pia precatione sese Deo commendent. Profecto enim non tantum naturæ ope retinetur uita, sed uera est uox Moisi de Deo, Ipse est uita tua & longitudo dierum. Et in Actis: ἐν αὐτῷ ζῶμεν, καὶ ἐσμὲν, καὶ κινούμεθα. V. die Maij. Anno 1552.

Rector

ANNO 1552.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS LAVRENTIVS LINDEMAN IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR.

ANni sunt ab exitu Israëlitarum ex Aegypto usq; ad excidium Ierosolymæ, quo à Tito deleta est. 1553. Et consentaneum est, non multo longius fore tempus huius Ecclesiæ, collectum, postquam filius Dei crucifixus & resuscitatus est. Cum igitur non procul à fine absimus, & prædictum sit hanc ultimam senectam mundi ualde languidam fore, oremus filium Dei, ut nobis adsit, nos regat, & seruet aliquas in his regionibus Ecclesiæ reliquias. Qui uerò ex hac uita euocantur, & in inuocatione filij Dei discedunt, hanc consolationem teneant, quòd à multis tristißimis spectaculis ad societatem Ecclesiæ cœlestis abducuntur. Heri decessit Michael Spies Dresdensis orphanus, qui studiose didicit doctrinam Ecclesiæ Dei, & animi pietatem uera inuocatione filij Dei & honesta morum gubernatione declarauit. Hortamur autem scholasticos, ut hodie hora prima conueniant ad funeris ceremonias ante domum, cui nomen est à Mola uentis agitata, & singuli uitam suam

ANNO 1552.

& salutem Ecclesiæ pijs precibus filio Dei commendant. Die *nono Maij.*

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS LAVRENTIVS LINDEMAN D.

SVmma hæc est in multis magnis ærumnis generis humani consolatio, quòd filius Dei adsumpsit naturam humanam, sustentat igitur & gestat nos, ne prorsus tota Natura intereat. Ad hunc filium Dei confugiamus, ut nobis opem ferat. Profecto sine ipsius auxilio uiuere non possumus. Hunc igitur filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oramus, ut agmen scholasticum seruet. Hodie adolescens modestus & studiosus Thomas Hildebrandus, natus non procul ab oppido Budissino, qui amore doctrinæ admodum duriter uictitauit, decessit in confessione pia, & inuocatione filij Dei. Hortamur igitur scholasticos, ut hora prima ad funeris ceremonias conueniant ante balneas infra collegium, & singuli suam uitam Deo commendent. X. die Maij.

Anno 1552.

Rector

ANNO 1552.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS LAVRENTIVS LINDEMANI. V. DOCTOR.

Die 17. Secundi mensis, qui in Maium nostrum incidit, ingressus est Noha in arcam, suntq; anni ab eo die 3858. Vtilis est autem huius mirandæ historiæ consideratio propter multas causas. Testimonium ibi propositum est iræ ingentis aduersus peccata, & uenturi iudicij, & salutis Ecclesiæ. Vt enim tunc in arca seruatur Ecclesia, sine ulla ope humana, ita inter ruinas generis humani diuinitus tegitur, nec cernunt humanæ mentes, quomodo seruetur. Hoc igitur exemplo & alijs multis commonefacti, & pœnas magis metuamus, & ardentius inuocemus filium Dei, qui tunc in illa ipsa Naui ad gubernaculum sedit, & suos Argonautas texit, cum quidem integrum annum solarem in illa Argo in luctu & in tenebris retinerentur, & speremus nobis in nostris periculis & miserijs etiam adfuturum esse. Heri autem decessit honestus & eruditus uir Caspar Molhemius Susatensis in confessione pia & inuocatione filij Dei. Hortamur igitur scholasticos, ut hodie hora prima ad funus conueniant. Anno 1552.

ANNO 1552.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS LAVRENTIVS LINDEMAN D.

QVàm dura militia ſit, & Miniſtrorum Euangelij, & ſcholaſticorum, res ipſa oſtendit. Adficiamur igitur eorum ærumnis, & filium Dei oremus ueris gemitibus, ut eas leniat, & ſeruet Eccleſias. Venit huc ante octiduum homo ualde modeſtus Andreas Reis Budiſſinus, qui uocatus erat ad Eccleſiam quandam docendam. Is ſeu ex itineris difficultate, ſeu ex alijs cauſis cum ægrotauerit, nunc ad cœleſtem Eccleſiã uocatus, deceſſit in confeſſione pia, & inuocatione filij Dei. Nos eo magis dolemus, quia hoc ei iter fatale fuit. Hortamur autem ſcholaſticos, ut hora quarta ad funus eius conueniant ante Noſocomium Academiæ. Et ſinguli ſeſe & Eccleſiam pijs precibus ibi commendent. Die 27. Maij, quo ante annos 5857. Noha ex Arca egreſſus, rurſus condere Eccleſiam in Armenijs montibus cœpit, ubi nunc quoq; ſunt Eccleſiæ Dei.

Decanus

ANNO 1552.

DECANVS COLLEGII DOCTORVM IVRIS IOHANnes Sneideuuin Doctor utriusq; Iuris.

ADmonet nos hic dies de capta Constantinopoli. Anno 1453. die Maij 29. cuius urbis expugnatio quantam ruinam maximarum rerum traxerit, cogitate. Amissa est pars imperij Romani pulcherrima, trucidata sunt multa millia ciuium, horrendis contumelijs adfectæ honestæ, & inter has multæ sanctæ matronæ & uirgines, dissecti pueri, interfecti nobilissimi homines, abolita tota forma reipub. deletus senatus, pulsi sacerdotes, prophanata templa, doctrina Ecclesiæ & optimarum artium, & huius nostri Iuris, quæ ibi præcipue floruit, prorsus extincta est. Ac talis urbs, ad quam hodie nulla conferenda est, dignitate imperij, Senatu, Religione, doctrina, in toto mundo, non Roma, non Venetiæ, non Lutetia, tunc & stabulum Turcicorum Latronum facta est, & arx, ex qua postea mox tota Græcia uastata est. Athenæ solo æquatæ, occupata Corinthus, Euboea, & in Asia imperij sedes Trapezus.

Itaq; hoc die commonefacti, mente intueamur & illas tristes pœnas generis humani, quæ præ-

derierunt, & has, quæ nobis impendent. Ardet Pannonia bello Turcico, unde tunc Mahometum biennio post captam Constantinopolin depulit Iohannes Huniades, Deo iuuante, ita ut uulnere accepto Mahometus fugere coactus sit. Nunc grassantur in Pannonia Turci liberius. Et Hiltenij prædictio extat, quæ ait: Turcos anno M. D C. in Germania & in Italia dominaturos esse. Videtis & in Germania incendium periculosissimum excitatum esse.

Veris igitur gemitibus à Deo petamus, ut leniat pœnas, nec sinat in Germania barbaricam uastitatem fieri, uel Turcicis uel ciuilibus bellis, Sed seruet Ecclesiæ reliquias, & earum hospitia, ut Ieremias precatur, Domine fac propter nomen tuum, Tibi peccauimus expectatio Israel, Saluator noster in tempore tribulationis, Tu autem in nobis es, & nomen tuum inuocatum est super nos, ne relinquas nos. Nec erunt irrita uota piorum, Cumq; uelit nos filius Dei petere & sperare conseruationem Ecclesiæ, studia doctrinarum etiam coli necesse est.

Quare uir honestus & eruditus Georgius Muller, ut prodesse communi uitæ posit, legum

fontes

fontes & interpretationem didicit, & optimis moribus eruditionem ornat. Cum igitur nunc collegij nostri sententia decretum sit, ut publico testimonio & honestißimo gradu Doctorum Iuris ornetur, petimus ut Doctores, Magistri, & auditores proximo die Martis in templo arcis conueniant, eaq; in re seniores beneuolentiam erga Georgium, & Iuniores reuerentiam erga legum doctrinam ostendant. Nutrix est enim multarum uirtutum, reuerentia politici ordinis & legum. Datum die 29. Maij.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS LAVRENTIVS LINDEMAN IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR.

ADsidue intueamur patefactiones diuinas, quasi in re præsenti spectatores simus, & consilia ac uoluntatem Dei consideremus, et agnoscamus ideo conditos esse angelos & homines, ut sint naturæ, quibus Deus suam bonitatem in omni æternitate communicet, & ei gratias agamus, quòd & condidit nos, & cũ alijs multis testimonijs ostendit, nos sibi curæ esse, & uere

uere nos ab ipso diligi, tum uerò præcipue his duabus rebus, quòd filius adsumpsit humanam naturam, & hoc fœdere simul hanc totum massam generis humani sustentat, & quòd Spiritum sanctum effundit in corda nostra, ut doceat nos, & sit flamma accendens motus Deo placentes. Hic salutaris doctor illustrat mentes, ne delectentur præstigijs opinionum, ut Philosophi, Hæretici, fanatici, sed firma adsensione amplectantur uerbum Dei. Hæc flamma adfert lætitiam cordi, qua acquiescimus in Deo, sentimus eius præsentiam, inuocamus & diligimus eum, ardemus fiducia ipsius, habemus motus cum ipso congruentes, iustos, & castos. Vt sol & lucem præbet, & calorem uiuificum, ita Spiritus sanctus ipse tuis spiritibus in cerebro et corde permixtus lucem in eis accendit, ut recte iudicemus, & fouet nos diuina lætitia, ciet motus diuinos. Fiunt hæc quidem á tota diuinitate, sed fiunt immediate Spiritu sancto permixto, ut ita dicamus nostris spiritibus, ut Nazianzenus inquit, ἐκ φωτὸς ἢ παρ' ὁὸς φῶς καταλαμβάνοντες τὸμ ἡὸμ, ἐν φωτὶ δὲ πνέυμαἀ. Quid potest maius nobis dare diuinitas, quàm hanc societatem suæ naturæ? Hæc tanta beneficia pia meditatione consideremus & expectemus, sicut ea petere Dominus

nus

nus iussit, inquiens. Quanto magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Conspiciatur etiam gratitudinis significatio iam in his ferijs, sit ardentior inuocatio, & ut non impediatur pia meditatio, simus sobrij & modesti, præsertim cum tales in repub. motus orti sint, qui nisi à Deo sedati fuerint, magnas uastationes efficient.

Te itaq; omnipotens Deus, æterne & unice pater Domini nostri Iesu Christi, qui simul cum filio & Spiritu sancto condidisti cœlum & terram & homines, & cæteras creaturas, propter filium oramus, ut regas Spiritu tuo sancto nos omnes, flectas Principum animos ad pacem, & ad salutaria consilia, ne deleatur in his regionibus lux tuæ doctrinæ.

Mandamus etiam omnibus Scholasticis, ut cras munus ad Aram adferant, ut hac qualicunq; significatione ostendant, se uenerari ministerium Euangelij, per quod filius Dei Spiritum sanctum effundit in corda credentium, sicut scriptum est: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Anno 1552. Pridie pentecostes, quæ est ab exitu Israelitarum ex Aegypto pentecoste 3061.

Rector

ANNO 1552.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS LAVRENTIVS LINDEMAN D.

IN Capite Esaiæ 26. dulcissime dicitur. Angustia clamoris disciplina tua eis. Id est. Ideo adfligimur, ut clamemus ad Deum, Et significat hanc adflictionẽ esse Ecclesiæ non exitiosam, sed disciplinã, id est, commonefactionem. Græci reddiderunt sententiã dulciorem: Ἐν θλίψει μικρᾷ, παιδείας σοῦ ἡμῖν, ait exiguam adflictionem esse commonefactionem, ac nominat exiguam, quia Deus lenit pœnas inuocantibus ipsum. Ita nunc quoq; etsi nullus in Germania motus horribilior fuit inde usq; à quadringentis annis, tamen speremus filium Dei seruaturum esse Ecclesiam suã, & petamus, ut mitiget pœnas, & seruet Ecclesias & seminaria recte docentium. Hodie uerò honestus iuuenis Francus natus ex parentibus honestis in oppido Culmbach Martinus Cesius, cui patriæ uastatio magnum dolorem adferebat, ex hac uita mortali in confessione uera & inuocatione filij Dei decessit. Hortamur igitur Scholasticos, ut hodie hora quarta ante Nosocomium Academiæ ad funus conueniant, et singuli Ecclesiam & suã uitam filio Dei commendent. Anno 1552. Vuitebergæ die 9. Iunij.

Decanus

ANNO 1552.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI MAGISTER MARTINVS SIMON BRAN. DEBVRGENSIS.

EXtat apud Esaiam consolatio, quam necesse est nos sæpe in hac languida & delira senecta mundi cogitare. Sic enim inquit Deus. Ego uos gestabo etiam in senecta. Omnino significat Deus, magnam imbecillitatem fore generis humani, magnas rerum confusiones, magnas ruinas imperiorum in extrema senecta mundi. Quare de hoc ipso tempore adfirmat, se nobis opitulaturum esse. Hac nos consolatione erigamus, & speremus Deum reliquias Ecclesiæ seruaturum esse. Et quidem ibi seruaturum, ubi sunt pia ueræ doctrinæ studia. Quanquã igitur horrendi tumultus exorti sunt, tamen sciamus, Deo has Ecclesias curæ esse, & uelle, ut hac spe studia doctrinæ colamus. Ideo facimus operas scholasticas, & significamus ijs, qui nunc testimonium doctrinæ expetunt, nostrum officium eis non defuturum esse. Et cum tempora nunc moram non patiantur, ueniant illi ad me intra biduum, ut statim examina instituí possint. 12. Iunij.

Anno 1552.

Decanus

ANNO 1552.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA Vuitebergensi, Magister Martinus Simon Brandeburgensis candidis lectoribus. S. D.

ZAchariæ quando sterilis modo credita
Ediderat natũ mater adulta suũ. (cõiux,
Qui mox uenturo Messiæ præuius iret
Nuncius, & placida uoce pararet iter.
Turba ferox hominum terras grassata per illas,
Heu miserè Ebræas dilacerabat opes.
Hinc immitis Arabs, prædæq; adsuetus agendæ,
Parte alia instabant turba profana Syri.
Quiq; colunt placidi quondam fœlicia Nili
Littora, fœcundo pinguia rura solo.
Et scelus ad quoduis promptissima pectora Par-
Credebant illic cuncta licere sibi. (thi,
Non tamen has inter turbas, hominumq; furores
Deseruit cœli conditor ipse suos.
Parua sed infantis teneri cunabula texit,
Tutaq; clementi reddidit illa manu.
Nec potuit Lamyrus Phariæ dominator arenæ,
Perdere, uiuenti pectora fida Deo.
Ille quidem terras Iudæo sanguine tinxit,
Multaq; crudelis corpora fudit humi.

Ter decies

Terdecies rapidi gelidam Iordanis ad undam,
Mille trucidatos perdidit ille uiros.
Nec tamen hæc potuit clades ſatiare Tyranni
Pectora, quin atrox adderet ante ſcelus.
Cæſorum ueſci captiuos carne coëgit,
Dentibus & fratres dilacerare ſuos.
Sed Deus interea curam uigil uſq; ſuorum
Egit, & exerta reppulit arma manu.
Seruauitq; ſuos per tot diſcrimina cœtus,
Sanguinea aduerſus tela, truceſq; minas.
Nos etiam certæ ſpes indubitata ſalutis,
Degeneri frangi corda timore uetet.
Si miſeros magni circumſtant undiq; motus,
Et furit in toto perfidus orbe Satan,
Bella uagas hominum terrent Mauortia mentes,
Tabidaq; infeſtat corpora noſtra lues.
Viuit adhuc cœli Dominus, Stygijq; Tyranni
Victor, & imperium totius orbis habet.
Agmina qui præſens hæc ipſa tuebitur omni
Tempore, quæ Chriſti dogmata pura ſonant.
Quæq; pia Abiadæ ueteris documẽta ſequuntur
Quæ Myſtes populo tradidit ille ſuo.
Ullaq; ſpes ſtudijs addat calcaria noſtris,
Quo facili ceptum mente ſequamur opus.
Supplicibuſq; Deum uotis & uoce precemur,
Vt ſtudia ad finem prouehat ille ſuum.

Et regat æthereo noſtras ſpiramine mentes,
Quas nox et tenebris umbra profunda premit.
Vtq; benignus in hac mundi larguente ſenecta,
Quam poterit, miſeris iam ferat unus opem.
Expoſita innumeris ſunt omnia noſtra periclis,
Speſq; niſi in ſolo nulla relicta Deo eſt.
Nos tamen interea, ſemper meliora manentes,
Commiſſi memores muneris eſſe decet.
Congreſſus igitur ſolenni more paramus,
Paucaq; de ſtudijs dicere uerba placet.
Inde uiros aliquot doctos ſuffragia noſtra
Ornabunt, quorum nomina charta refert.
Hunc ad congreſſum, uos oro, accedite cuncti,
Et ueſtræ mentes huc pia uota ferant.
Huic pompæ tribuenda dies eſt ante Calendas,
Quarta ſecuturi Menſis Iule tui.
Iſta dies habet exemplũ memorabile, Namq; hac
Turpis Alexandrum perdidit ebrietas.
Pœna uiri tanti cunctos docet eſſe modeſtos,
Et motus animi compoſuiſſe uagos.
Eſt uere Deus, & cuſtos eſt ordinis idem,
Qui ſanxit ſimiles nos etiam eſſe ſibi.
Hic genus humanum ſic ſeruat, ut impia membra
Extinguat, ſpacio cum ualuere breui.
Ergo ſit ipſius legi tua congrua uita,
Sic gemitus clemens audiet ipſe tuos.
Die Iohan, Baptiſtæ. 24. Iunij. Anno 1552.

ANNO 1552.

SCRIPTA QVAE SEquuntur, proposita sunt Torgæ, cum Professores eò iussi essent secedere, peste Vuitebergam infestante. Anno 1552.

RECTOR ACADEMIAE Vuitebergen. Laurentius Limdeman Doctor.

SCitis utrunq; uoce diuina prædictum esse, in hac languida & delira mundi senecta & futuras esse maiores generis humani confusiones, quàm fuerunt antea, & tamen filium Dei etiam inter imperiorum ruinas collecturum esse æternam Ecclesiam, qui quidem hac spe nos erigi uult, & doctrinæ studia colere ac tueri. Quanquam igitur et propter aëris insalubritatem iuuentus ex oppido Vuiteberga dimittenda fuit, & bella metuimus, tamen quia scimus Ecclesiam Dei non interituram esse, nec studia in his difficultatibus abijcere uolumus, nec procul in alias terras fugere. Oramus autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, ut nos gubernet & protegat, nec sinat in his regionibus fieri barbaricas uastationes, quales nunc, proh dolor, in Pannonia Turci faciunt.

Secessimus autem hîc in oppidum Torgam,

& illustrißimi principis uoluntate, & ciuibus amanter officia sua offerentibus. Et quia secuti sunt nos auditores aliqui, faciemus operas scholasticas, & ne illi frustra huc uenerint, & ut nobis dolores hac occupatione leniamus, sicut Philoctetes in Lemno insula iaculando.

Mandamus autem omnibus scholasticis, ut hospitalia officia præstent, uidelicet, iusticiam, & modestiam in hospitijs. Et quia uidemus, quanta sit mœsticia omnium mediocrium hominum, simus nos quoq; diligentiores in frenandis omnibus cupiditatibus, & animos ad precationem excuscitemus, ut publicæ pœnæ mitigentur, sicut filius Dei præcipit. Res ostendit, Ecclesiam non humanis præsidijs defendi. Quare confugiamus ad filium Dei, qui dixit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Huic curæ erunt hæc imbecillia agmina nostrarum familiarum, & iuuentutis deditæ studijs, in qua sunt Ecclesiæ seminaria. Sed uult ipse filius Dei in nobis tamen etiam curam & precationem accendi, uult agnosci, non casu nos seruari, sed diuinitus. Et ut sint mentes compositæ ad precationem, necessariæ sunt temperantia & modestia.

Seuere igitur prohibemus nocturnas discur-

sationes

ſationes & uociferationes. Si qui autem petulan tiam in turbanda communi ciuium tranquillita= te exercebunt, hi ſciant ſe pœnam & animaduer ſionem noſtram nõ euaſuros eſſe. Iam etiam pro= pter belli metum tranquillitatem oppidi maiore cura tuendam eſſe cogitate.

Lectionum initia & ordinem ſinguli profeſſo= res cum aduenerint, ſignificabunt. Ego interea lectionem meam proſequar. Torgæ 17. Iulij.

PAVLVS EBERVS.

MAgnam habet ſimilitudinem uita ſcho= laſtica cum legitima militia, in qua præter alios labores, & pericula, etiam ſæpe tota caſtra ſunt mouenda, & cum maximo labore, moleſtia, & diſpendio in alio loco ponen= da, quæ incommoda tamen generoſi milites pa= tienti ferunt animo, plærunq; moti exemplo du= cis ſui, & moleſtiã uincunt ſpe victoriæ & præ= miorum. Ita nos quoq; huius migrationis diffi= cultates æquo animo ferre decet, præſertim, cum eas ciuium hoſpitalitas & benignitas leuare ſtu= deat, & nos ſciamus hanc noſtram militiam à Deo approbari, requiri, & iuuari, ſiquidem ideo hos labores docendi & diſcendi ſuſtinemus, ut pura doctrina de Deo, & lux cæterarum artium

necessariarum in Ecclesia, retineri & propagari ad posteritatem possit, quod munus cum sit inter omnia officia summum, ac inprimis necessarium, consolemur nos dignitate huius nostræ uocationis, & erigamus animos spe diuinæ protectionis & auxilij in medijs imperiorum ruinis, & mundi furoribus, sicut consolatur nos filius Dei inquiens: sed & capilli capitis uestri omnes numerati sunt, Nolite ergo timere. Et Paulus inquit: Labor uester non erit inanis in Domino.

Hac fiducia opis diuinæ in hoc secessu operas scholasticas crastino die inchoabimus, scientes paucorum dierum interuallo aduenturum huc etiam gubernatorem studiorum Dominum Philippum Melanthonem præceptorem nostrum, qui haud dubie eam lectionum & exercitiorum rationem instituet, quæ sit profutura studiosis, & migrationis molestias leuatura. Nec deerunt cæteri professores scholasticouum commodis, & suo officio.

Cum autem Vuitebergæ ante paucas septimanas auspicatus sim Ouidij Metamorphosin, cuius lectio magnas utilitates discentibus afferre potest: sum iussus in enarratione illius poëmatis pergere, Iussus sum & Rhetoricum scriptum aliquod

aliquod proponere discentibus. Quare uisum est explicare libros Rhetoricos, qui extant inter Ciceronis Rhetorica, scripti ad Herennium, qui præcepta artis, additis illustribus exemplis, bona & eleganti oratione exponunt. Adiungam ei lectioni enarrationem orationis Ciceronianæ pro Roscio Amerino, quæ cum sit habita à iuuene adhuc Cicerone, constat oratione florida, & exultante quodam iuuenili splendore, ideoq; lectu utilior & iucundior est.

Præterea cum diu publice non sint explicatæ Theoricæ planetarum, ut uocantur, ut aliquid eius argumenti proponatur ijs, qui doctrinæ de motibus cœlestibus studiosi sunt, enarrabo Procli utilißimum libellum græcum, cui titulus est: ὑποτυπώσεις τῶν ἀστρονομικῶν ὑποθέσεων, in quo doctißimè causas exponit author, quare hypotheses illæ excogitandæ fuerint, quibus usus est Ptolemæus, ut ostenderet motuum perpetuam & ueram rationem. Cum autem adhuc quidem desint exemplaria græca, dictabo uersionem latinam, & simul res ipsas, ut potero, declarabo. 24. Iulij.

ANNO 1552.

IN PRAELECTIONEM SPHAERAE, ARITHMETICAE, & elementorum Euclidis Caſpar Peucerus Budiſſinus.

QVanquam literarum ſtudia dulciora ſunt in pace, tamen hæ quidem diſciplinæ de pulcherrimis mundi corporibus, de cœlo, ſtellis, & de certis motuum legibus, etiam mæſtis temporibus magnam leuationem animis adferunt, & quia abducunt nos à conſpectu harum rerum inferiorum, quæ ſunt plenæ confuſionũ, et retinent mentes in contuitu ordinis, in conſideratione ſapientiæ & Iuſticiæ, & monſtrant ueſtigia diuinitatis impreſſa naturæ, & teſtimonia ſunt præſentiæ Dei in natura. Et cum cernimus noſtras mentes ita conditas eſſe, ut ſint imagines Dei, & luceant in eis ſapientia & Iuſticia, flectimus nos ad hæc bona tuenda, & dolemus, cum ordo maneat inuiolatus in Deo, in cœlo, ſtellis, artibus, tamen plurimos homines ab ordine diuinitus ſancito diſcedere, quod cum fit, Deus tamen ordinem reſtituit, retrahens turbatores ordinis ad pœnas. Cumq; Deus, qui fons eſt ſapientiæ, ordinis, & uirtutum, ſempiterna

terna cogitatione ordinem cernat, & in natura cuſtodiat, Plato dixit: θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν. Erit igitur aliqua leuatio hæc doctrina, quæ de tantis rebus nos commonefacit. Quare decreui ad Arithmeticen & ſphærica adiungere primum librum Euclidis: & Deum oro ut ſalutarem pacem reſtituat, & pœnas his regionibus leniat. Ordiar autem ſphærica elementa cras hora tertia pomeridiana. Arithmeticen & Euclidem in reliquos dies partiar. Torgæ 25. Iulij. Anno 1552.

SEBASTIANVS THEODORICVS.

PEccata noſtra ut uenti diſſipauerunt nos, inquit propheta. Hanc triſtem concionem, hoc præſertim tempore diligenter expendamus, Quo Eccleſia bellis, uaſtationibus triſtiſſimis Rerumpubli. optime conſtitutarum, peſte, & innumeris alijs malis, duriter premitur, ut cauſas horum malorum cogitemus, & uera fide pœnitentiã agamus, ac precemur Deum, ut hæc mala, propter filium ſuum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui pro nobis factus eſt uictima, καὶ μεσίτης καὶ ἱκέτης, aſſidue pro nobis in-

terpellans, mitiget ac leniat, Et pacem nobis restituat, ut Doctrina ipsius, & honestæ artes propagari possint. Declaremus etiã nostram obedientiam ipsi debitam honestate morum, Modestia, & diligentia in officijs uocationis.

Cum igitur Huc ob pestem, quæ nostram quoq; Sareptã infestare cœpit, secedere iussi simus, & aliqui iam prælegere cœperint: Ego quoq; ex sententia præceptorum libellum physicæ, Vuitebergæ editum, prælegam. Cuius cognitionem studijs adolescentum cum primis utilem iudico. Continet enim præcipua capita, quæ in doctrina physica discentibus tradi solent, magna perspicuitate, breuitate & orationis uenustate exposita, Ac multos uincit de ijsdem rebus prolixe scriptos commentarios. Quare non dubito huius libelli prælectionem auditoribus futuram gratam. Auspicabor autem Deo iuuante cras hora secunda.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS LAVRENTIVS LINDEMAN D.

AVdimus quosdam ex cœtu scholastico nocturnis uagationibus communem ciuium tranquilli-

tranquillitatem magna petulantia turbare, nec tantum clamoribus quietem aliorum impedire, uerum etiam, quod longe atrociſsimum eſt, ædes oppugnare, & feneſtras effringere, quod ut à ſcholaſticorum moribus eſt alieniſsimum, ita nos quoq; ad iuſtam indignationem meritò commouet. Nam cum nobis propter peſtilentiæ contagia iuſsis Vuiteberga excedere huius Vrbis ſenatus tam promptè et humaniter omnia hoſpitalitatis officia detulerit, noſq; hoſpitio exceperit, omnio decebat nos uiciſsim Modeſtiam, & in omni officio diligentiam præſtare, nec cyclopica feritate in bene conſtituta Repub. tumultuari.

Deinde non plane ferrea pectora, ad tranquillitatis et modeſtiæ ſtudium impendentes calamitates commouere debebant, quas Deus ſine dubio mitigaturus eſſet, ſi in moribus regendis & emendandis, iuuentus aliquanto eſſet diligentior. Ac ut alias cauſas prætéream, conueniebat Scholaſticos Reuerendum uirum Dominum Philippum Melanthonem, communem noſtrum præceptorem ſua modeſtia huc inuitare, cui in hac ſenecta, & laborum mole nihil poſſet accidere gratius, quàm ſi adoleſcentes ad pietatem mores ſuos componerent, et publicæ tranquillitatis rationem haberent.

Quare

Quare seriò mandamus, ut singuli officio suo fungantur, nec quenquam in hac urbe lædant, quod si feceritis, non solum diuinam iram lenietis, uerum etiam saluti & studijs uestris consuletis. Si quis uerò ita indomitus est, ut nec pia admonitione, nec authorite nostra moueatur, is sciat nos officij nostri memores, in tumultuum nocturnorum authores, ea pœna animaduersuros esse, quæ legibus nostris grauissima est. Torge. Vltima Iulij.

PHILIPPVS MELANTHON.

VSitata sunt Ecclesiæ exilia, ut nos de primorum parentum exilio, & de filio Dei, qui factus est exul propter nos, ut nos in patriam reducat, commonefaciant. Et tamen in ipsis etiam exilijs doctrinæ uox & uera inuocatio sonent. Ideo nos quoq; has operas scholasticas, Deo iuuante, faciemus in hoc secessu, donec Deus concedet. Itaq; iam hora nona tertium caput ad Romanos interpretari incipiam. Nam eo usq; interpretatio deducta est. 5. Augusti.

Vice

ANNO 1552.

VICE RECTOR ACA. DEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

ETsi in ijs, qui iam mediocriter didicerunt ueram de Deo doctrinã, & in quibus accensa est lucis diuinæ scimtilla, auiditas est Deum propius cognoscendi, in illa cœlesti Academia, tamen propter has quatuor causas præcipuas optanda est uita longior, uidelicet, ut doctrinam de Deo discamus. Deinde ut longioribus exercitijs confirmemus fidem. Postea ut communem uitam omni genere laborum iuuemus, præcipue uerò propagatione doctrinæ. Postremo ut sit Ecclesia frequentior, et plures recte inuocent Deum. Sic enim & non aliter Ecclesiam æternam Deus colligi uult, ut in hac infirma uita primum elementa Euangelij percipiantur.

Has uiuendi causas intueammi, & petite, ut Deus uobis longius uitæ spacium concedat, quia omnino uerum est, non casu, nec tantum physicis causis seruari uitã, sed Deum esse autorem uitæ, ut scriptum est. Ἐμ αὐτῷ ζῶμεν, ϗ κινδύμεθα ϗ ἐσμέν. Item: Ipse est longitudo dierum tuorum, ut autem precatio sit ardentior, de uitæ fugacitate & periculis quoq; cogitemus.

Heri

Heri deceßit ex hac uita uir honeſtus & eruditus Bartolemeus Bauman, natus in oppido Francorum Regiomonte, qui iam erudiendis alijs bene merebatur de Eccleſia, & ornabat munus dicendi optimis moribus. Atq; utinam in hac ſtatione diutius ſeruire potuiſſet. Sed natura imbecilla febri ſuperata eſt. Memimimus autem cum ſtudioſe didiciſſe doctrinam de Deo, & ſe ac ſuos auditores ſolitum filio Dei pijs uotis commendare. Quare nunc in cœleſti Academia fruitur anima luce Dei, & coram cernit & audit filiũ Dei, & agmina ſummorum doctorum, inter quos lætatur iam, ſe recte didiciſſe initia cœleſtis ſapientiæ, & Deo ac filio Dei gratias agit pro omnibus beneficijs. Et commendat ei uitam honeſtiſſimi uiri, ciuis Viennenſis, Cremeri, qui ei filios commendauit, & diſcipulorum. Eius uiri etiam luctu adficiamur, qui ſic Eccleſiam noſtram abſens amat, ut in eam filios tanquam ad ſynceram κατήχησιν miſerit. Oramus igitur dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, ut adoleſcentibus filijs ſpacia uitæ longa & fœlicia concedat.

Hortamur autem uos, ut hodie ante horã tertiam ad Bartolemei funus conueniatis in uico, qui nomen habet à piſtoribus, & ſinguli ſeſe & Eccleſiam filio Dei ardentibus uotis commendent. Die 17. Auguſti. Argeliæ.

Vice

ANNO 1552.

VICE RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

MAgna fide & aßiduitate longo & difficili tempore oeconomiã collegij gubernauit honeſtißima matrona Eliſabeth coniunx uiri honeſti & eruditi Magiſtri Valentini Trutigeri. Eius matronæ filia Hagne, uirgo, cuius pudicicia & pietas eximia fuit, cum longo epatis morbo contabuiſſet, heri ex hac mortali uita ad cœleſtis Eccleſiæ conſuetudinem diſceßit. Nota eſt enim adſiueratio filij Dei. Non eſt uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis iſtis, in Eccleſia uidelicet. Et huius uirginis erat iam, ut Petrus inquit, ἁγνὴ ᾧ φόβῳ κυρίου ἀναστροφή, & ardenti pectore filium Dei inuocabat, & ſeſe & matrem ac Eccleſiã aßiduis precibus ei commendabat. Hac igitur conſolatione leniat mater dolorem, quo in morte filiæ naturali συγῇ adficitur, quòd ſcit iam filiam frui conſpectu cœleſtis Eccleſiæ, & Deo pro omnibus beneficijs gratias agere.

Hortamur autem uos, ut hodie hora 12. ad funus conueniatis in uico, qui à Capris nomen habet, & in hoc congreſſu de cauſis humanarum

erumnarum, & de remedijs, ac de filio Dei cogitetis, & uera precatione singuli sese, & Ecclesiam, & hos nidulos Ecclesiæ Deo commendent. Vtrumq; cernitis, & magnos imperiorum motus esse, & tamen inter hos fluctus non deleri Ecclesias, à quibus etiam in Pannonia hactenus mirabiliter Deus Turcicos fures depulit. Sit igitur ardentior inuocatio, ut Deus et his regionibus parcat. Die 27. Augusti.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS LAVRENTIVS LINDEMAN D.

FAmilia uetus est, & honesta Vuitebergæ, quæ nomen habet à Danis. Et nouimus Francisci Patrem Tilonem uirum sapientem, qui amplius quinquaginta annis magna fide gessit magistratus in Patria, et optimo principi duci Friderico Electori propter ingenij præstantiam admodum carus fuit. Postea senex cum & à Lithiasi, & à podagra cruciaretur, præcipue lectione scriptorũ Lutheri sibi dolores lenie bat, quem quidem & reuerenter colebat.

Huius Tilonis filio Francisco filius fuit puer adhuc, qui morbo non contagioso laborauit, &

hac

hac nocte deceßit, Nec dubitemus ad eum pertinere dictum filij Dei: Non est uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis, uidelicet in Ecclesia. Hanc consolationem sibi parentes & sorores proponant. Hortamur autem scholasticos, ut ad funus hodie hora tertia conueniant in uico, qui à pistoribus nomen habet, Vbi singuli sese & Ecclesiam Deo commendent. Die Augusti 29.

M. TILEMANNVS HESHVSIVS.

VEre inquit Iustinus: Etsi penitus perspici diuinitas non potest, tamen discendi curam non abijciendam esse, & uoluptates quærendas, sed hac ipsa inquisitione Dei nos cum eo copulari. Verba Iustini hæc sunt: Οὐ γὰρ ἐπειδὴ πάμπαν ἀκατάληπτον τὸ θεῖον, διὰ τοῦτο πάντως μηδ' ὅλως ζητεῖν περὶ αὐτοῦ προσήκει, ἀλλ' ἐν ῥαστώνῃ τὸν τοῦ βίου χρόνον καταναλίσκειν. ἐφ' ὅσον δὲ χωροῦμεν διὰ θεωρίας ἑαυτοὺς ἐκείνῳ σωμόμεθα. Vult Deus in hac uita nos imbui rudimentis suæ doctrinæ, quanquam ingens est infirmitas humanæ mentis, sed hoc modo, & non aliter colligit æternam Ecclesiam, & studia, cogitationem

gitationem & inuocationem piam adprobat, quanquam ſumus infirmi, ut inquit: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Quare etſi magnis difficultatibus impedimur, tamen ſtudia doctrinæ non abijciamus, ſed ſemina diuinitus ſparſa in mentes noſtras, foueamus & alamus, ſicut præcipit Paulus, inquiens. Verbum Dei opulenter inter uos habitet, in omni ſapientia, ſit familiariſſime notum, ut qui in eadem domo uiuunt. Nec dubium eſt, Deum ipſum habitare in his, qui pia meditatione cœleſtis doctrinæ ſe ad inuocationem excuſcitant.

Decreui igitur, Deo iuuante, pertexere inchoatam explicationem Locorum theologicorum, & meum laborem pluribus prodeſſe opto. Prælegam igitur hodie hora 4. in auditorio, in quo cæteræ lectiones theologicæ & Philoſophicæ leguntur, inchoabo autem caput de lege, quã ſcitis eſſe immenſam Dei ſapientiam, quæ etſi exhauriri non poteſt, tamen ipſe uult nos tenere riuulos. Oro autem filium Dei, ut mentes noſtras & ſtudia regat, & protegat doctrinæ hoſpicia. Torgæ pridie calen. Septembris.

Vice

ANNO 1552.

VICE RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

SEse pingit filius Dei dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis & resuscitatus, cum pingit pastorem, qui humeris gestat ouiculam. Iam enim nos pendemus de ipsius collo, ac redacta esset in nihilum hæc hominum natura, nisi & ipse induisset humanam naturam. Ab ipso igitur petamus, ut & uitam æternam nobis tribuat, & in hac uita & militia multos seruet usui futuros alijs.

Heri autem decessit ex hac uita honestus adolescens Michael Vlmeus Hochstetensis, uiri doctissimi Emerici honorifico testimonio ornatus. Ad huius funus hodie hora tertia, ut conuenistis in uico caprarum, ut nominant, petimus. Et suam quisq; uitam & Ecclesiam Deo pijs precibus commendet. Die 22. Septembris.

VICE RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

HOnestus senex Antonius Vnrug, qui ingressus erat iam annum sexagesimum septi-

septimum & functus est Iudicis officio annos sex & uiginti in hoc oppido, cum corporis uires senecta & longo morbo languefactæ essent, beri & hac mortali uita, in filij Dei domini nostri Iesu Christi inuocatione placide decessit. Vidit patriam florentem usq; ad hæc proxima bella, inde usq; ab optimis principibus, Ernesto & Alberto.

Postea in quadam difficultate temporum gessit munus Iudicis, in quo & principes & ciues eius iusticiam, integritatem, prudentiam & assiduitatem cognouerunt & probauerunt. Scitis autem, iusta Iudicia uerè à Deo gubernari & adiuuari, & iustum Iudicem salutare organum Dei esse. Agnoscunt igitur ciues, se huic suo Iudici gratitudinem debere.

Amauit autem studia doctrinæ Ecclesiæ, & aliarum honestarum artium, & erudiri filios liberaliter curauit, quorum ingenia speramus, Deo iuuante, alijs etiam profutura esse, et Deum oramus, ut eorum studia & uitam gubernet.

Decet autem nos quoq; & familiæ honestæ & ciuium luctu adfici. Quare hortamur omnes auditores nostros, ut hodie hora tertia conue-

niant

uiant ad Funus, in uico, qui à piscatoribus nomen habet, ubi singuli pijs uotis & sese, & Ecclesiam, & hoc oppidum, & has regiones Deo commendent, & orent filium Dei, ut sanet uulnera nostra, & gubernet ac protegat harum regionum Ecclesias, & earum hospicia, quia profecto immittantis furoribus diabolorum fierent dissipationes & uastationes horribiliores, nisi filius Dei suas reliquias seruaret. Et ab his uult inuocari, & agnosci sua beneficia. Vult sciri, uere ei in Ecclesia, ut Soli in illis pulcherrimis orbibus cœlestibus, tabernaculum collocatum esse, ut Psalmus inquit, & seruari & defendi hunc imbecillem gregem ab ipso.

Te igitur fili Dei domine Iesu Christe crucifixe pro nobis, & resuscitate, custos Ecclesiæ tuæ, supplices oramus, ut nos & has Ecclesias & earum hospicia protegas & gubernes. Argeliæ. 25. Die Septembris.

VICE RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

IDeo Deus humano generi σοργὰς indidit, ut sint commonefactrices de ingenti amore

ſuo erga filium & erga nos, ut ſint uincula ſocietatis humanæ, Vult igitur affici nos deſiderio noſtrorum, & in luctu pietatem probat. Cum igitur uir clariſsi. Doctor Vuinſemius & cius honeſtiſsima coniunx magno in mœrore ſint, propter mortem filij Iohannis, cuius pietatem erga Deum & erga parentes, & in moribus eximiam modeſtiam, ualde probabant, nos quoq; eorum luctu afficiamur, præſertim, cum ſciamus Doctorem Vitum optime meritum eſſe de multis, & utiliter docendo, & medicatione, in qua & officioſus & diligens eſt. Cum autem utrunq; beneficium reuera magnum ſit, communicatio doctrinæ, et medicatio, beneuolentiam ei & gratitudinem debemus.

Quare uos hortamur, ut iam horas. ad funus conueniatis, in quo ſinguli ſuam etiã uitam Deo pijs uotis commendent, cogitent etiam de ſuorum parentum amore & ſoϛγ῎ erga ipſos.

Exemplum etiam inuocationis & fidei in hoc adoleſcente Iohanne conſiderent, qui cum antea ſtudioſe didicit doctrinam de filio Dei, & recte Deum coluit, tum uerò in hoc agone lætus ſe filio Dei commendauit, ac animi æquabilitatem ſignificauit ſomnij dulcedo, quod narrauit,

ſe uidiſſe

se uidisse filium Dei astantem, & aliquoties recitantem hoc dictum: Simite paruulos uenire ad me. Talium est regnum cœlorum. Hæc narratio adolescentis, cogitationes eius, & animi motus significauit.

Etsi autem parentes sine dolore esse non possunt, tamen & ipsi hac consolatione se sustentent, quòd & norunt hæc dicta filij Dei, & eis uere adsentiantur. Simite paruulos uenire ad me, quia talium est regnum cœlorum. Item: non est uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis. Nec dubium est, adolescentem iam inter castos Angelos festum diem celebrare, quo antea audire solebat doctrinam Ecclesiæ de Angelis. Torgæ pridie festi castorum Angelorum 1552. Quo die ante annos 157. ad Nicopolim magno prælio uicti sunt exercitus nostri à Turcis, & Imperator Sigismundus in fuga Constantinopolim peruenit, & Iohannes dux Burgundiæ, à quo Carolus Imperator ortus est materna stirpe, captus fuit, & postea propter Musicã dimissus. Ipse uerò uictor Baiazetus truculẽtißimus Tyrannus, aliquanto post à Tamerlano captus, & in cauea circũductus est, Ita Deus repreßit tunc processu-

tureas, ut aliquoties singulari beneficio cursum uictoriarum Turcicarum interrupit. Oremus igitur, ut nunc quoq; eos reprimat propter Ecclesiam.

VICE RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

HOdie recitatur lectio Euangelicæ Historiæ de uidua orbata unico filio, quæ lectio nos de patria, uidelicet de Germaniæ luctu admoneat. Nam & nomen Almana significat uiduam, & nunc res ostendit, Germaniam uelut uiduam non habere defensorem aduersus Turcica & Gallica bella. Vbiq; aut uastationes fiunt, aut expilationes, uastationum similes. Francia uicina, postquam subita expilatione semel βαλλιμίαν exercitus hostilis expleuit, nunc tamen metuit hostium reditum. In uicina Saxonia alius exercitus iam multa loca populatur. In tantis periculis & publicis miserijs, cum sint in magno mœrore parentes uestri, & à Deo mitigationem pœnarum adsiduis gemitibus petant, uos quoq; decebat eorum dolore adfici, & de uestris periculis simul cogitare. Nam sobolis causa parentes magis, quàm sua causa, excruciantur. Quales habebitis

bebitis Ecclesias & politias, si non erit finis tã lium uastationum & expilationum?

Ideo ut coherceatur petulantia eorum, qui noctu in plateis turbant aliorum quietem, decre tum est, ut ministri senatus seruent æqualitatem, in cohercendis omnibus, qui noctu uagantur, siue sint Scholastici, siue sint ciuium filij ac ministri. Hoc scire scholasticos uolumus, ne fiducia priui= legiorum & iniustæ impunitatis, plus sibi licen= tiæ sumant. Iterum autem præcipimus uobis, ut sitis modesti, ne sicut impius Latro in cruce, in uestris calamitatibus Sardonium risum ridere uideamini. Sint & ideo mores melius composi= ti, ut maior in precatione sit intentio, quia certe necesse est petere à Deo tantarum calamitatum mitigationem. Argeliæ. Anno 1552. Postridie calendas Octobris, quo die ante annos 365. sub Imperatore Friderico primo urbs Hierosolyma à Saracenis denuo occupata est, cum fuisset in potestate regum Christianorum annis octogin= ta octo.

VICE RECTOR ACA-
DEMIAE VVITEBERGENSIS.

Nihil dubium est seruari genus humanum per filium Dei & propter eum, ut hæreditas ipsi colligatur. Hac nos consolatione in tam uarijs æruminis sustentemus, & ipsum filium Dei oremus, ut nos regat, & seruet pias familias. Sic uidemus multa diuinitus mitigari, ne funditus intereat Ecclesia. Ipse Imperator Carolus concessit Augustanis, ut suas Ecclesias constituant ad Normam confessionis Augustanæ. Sic nominatur Saxonicarum Ecclesiarum confessio. Hoc non dissimile est Cyri decreto, cum iussit instaurari Dei templum Hierosolymæ. Hoc beneficium Dei grati agnoscamus, & oremus, ut deinceps quoq; nos regat. Feramus etiam pœnas, & petamus mitigationem. Hæc in his funeribus quoq; cogitanda sunt. Hortamur autem auditores, ut hodie hora quarta conueniant ad funus pueri Baltasari, qui natus est ex patre uiro honesto & erudito Magistro Melchiore Iunio. Et in funere pijs precibus sese & Ecclesiam Deo commendent. Ac certissimum est, hæc uota, & hos gemitus à filio Dei stante in sancto sanctorum & deprecante pro nobis, perferri ad æternum patrem, & non esse irrita. Die 4. Octobris. Anno 1552.

Vice

ANNO 1552.

VICE RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

Scimus plæroſq; qui nos huc ſecuti ſunt amore ſtudiorum in hac temporum mœſticia, intelligere hoſpitalia officia, & ſuo iudicio mores recte gubernare. Niſi enim uirtus in eis eſſet, in tantis difficultatibus nobiſcum non manerent. Quare miramur, qui ſint alij, qui noctu uagantur, & tranquillitatem ciuitatis turbant. Nuper deprehenſi quidam diſceſſerunt. Et tamen audimus nondum finem eſſe talium nocturnarum uociferationum.

Rurſus igitur ſeuere præcipimus omnibus, qui ad noſtram iuriſdictionem pertinent, ut ſint modeſti, & memores hoſpitalium officiorum, nec petulanter turbent ciuitatis tranquillitatem ullo modo.

Rurſus etiam ſignificamus, re deliberata conceſſum eſſe oppidi magiſtratibus, ut noctu uociferantes & tumultuantes ipſi coherceant. Et ſperamus hoc facturos eſſe, Ita fiet, ut deprehenſis iſtis barbaris, cæteri modeſtiores ſint excuſati, qui nobiſcum dolent, honeſtorum hominum uoluntates offendi. Multiplex enim turpitudo eſt in hac petulantia. Nam ipſa uociferatio

quocunq;

quocunq; tempore contraria est modestiæ. Nocet etiam terribilis est, & ægrotis, puerperis, mœstis nocet. Talium imbecillitati magistratum consulere & iustum & necessarium est. Apud aliquos sanabiles hæ nostræ commonefactiones eò etiam ualere debent, quia sciunt ipsi, nos bona fide optimam doctrinam propagare, & multarum gentium Ecclesijs & studijs seruire, cum quidem & labores magnos, & multas ærumnas sustineamus. Cum autem hæc nostra studia impediri, & augeri nobis dolores contumacia aliquorum, manifestum sit, si qui sunt sanabiles, commonefacti ita suos mores gubernent, ut ipsorum consuetudo nobis & alijs honestis sit suauior. Quid est in uita pulchrius, quàm cœtus docentium & discentium optimam doctrinam, & qui cogitatione doctrinæ de Deo, & de ordine in natura, accenditur ad amorem Dei, & ad curam tuendi ordinis in omnibus actionibus? Tales cœtus turbare & dissipare, etiam magnum scelus est. Oramus autem filium Dei, ut nos gubernet, & Ecclesias & cœtus docentium, & discentium honestas artes protegat.

Die quinto Nouembris.

Anno 1552.

Solomō

ANNO 1552.

SOLONIS ELEGIA, CE-
LEBRATA A DEMOSTHENE, DE causis, quæ adferunt exitium regnis, & magnis ciuitatibus, conuersa à Philippo Melanthone.

NOn urbẽ ſuperi cupiunt euertere noſtrã.
Et nobis, niſi ſint numina læſa, fauent.
Ac noſtræ cuſtos arcis Tritonia Pallas.
Perpetua cura mœnia noſtra tegit:
Ipſi ſed patriam ſceleratis mentibus ultro
Conantur ciues dilacerare ſuam.
Nam precio quidam uendunt legesq; fidemq;.
Aurum qui nullo iure modoq; petunt.
Sæuiciam exercent, rapiuntq; tyrannida quidã.
Induat ut iuſtus ciuibus arma dolor.
Pars ſtudet & ſarcire domeſtica damna rapinis.
Exhauſit patrias cum male luxus opes.
Dicipiuntq; urbis patrimonia publica noſtræ.
Et ſibi diuitias uiq; doloq; parant.
Et non Iuſticiæ formidant numen & iram.
Conſilijs ſuperum quæ dea ſemper adeſt.
Hæc oculis cernit uigilantibus omnia facta.
Nemo putet falli numina poſſe Deũm.
Et quamuis pœnas differt aliquando, tacetq;.
Mente tamen memori facta nefanda notat.

Exigit

Exigit & tandem pœnas non regna, nec urbes.
Effugiunt clades, quas meruere, graues.
Hinc urbs diuitijs quondam, imperioq; ſuperba.
Seruitij patitur triſtia iura modo.
Aut rabidi ciues in mutua uulnera ſtringunt
Exorta gladios ſeditione ſuos.
Aut ualidos hoſtes ſine cauſa forte laceſſunt,
Sopitumq; mouent quod fuit ante malum.
Namq; urbs, quæ ſocios iniuſtis prouocat armis,
Mox ruet, & ſubitis eſt peritura modis.
Caſibus his ualidæ gentes delentur, & urbes,
Pro ſpreta pœnas quæ pietate luunt.
Et ſi qui excidio patriæ fortaſſe ſuperſunt,
Poſthac fata illas non leuiora manent.
Extorres, ſine ſpe, ſine ſede, inopeſq; uagantur,
Aut empti precio uincula dura gerunt.
Sic partem fert quiſq; ſuam cum publica clades
Incidit, & prohibet ianua nulla malum,
Nõ latebr æquenquã fugientem abſcõdere poſſũt,
In thalamos penetrãt publica damna tuos.
Hæc moneo ciues, nec fabula ficta putanda eſt,
Leges atq; Deum ſpernere, crede nocet.
Sed placidam retinet pacem reuerentia iuris,
Peccanti quæ non parcere lenta ſolet.
Hæc prohibet turpem luxum, frenatq; rebelles,
Creſcere nec patitur ſemina ſparſa mali.

Iudic

Iudicis emendat fraudes, uiolentaq; facta
Nasci inter ciues, dissidiumq; uetat.
Denig; uita hominum tranquilla & honesta ma-
Seruandi leges dum pia cura manet. (nebit.

FINIS.

AENIGMA PHILIPPI MELANTHONIS.

Ἔξοχα τῶν ἄλλων τὰς φοίβυ φράγνε πο- (ρείας
Μάνθανε, ὀυρανίδης ἠδ, ἠδὲ ἔργα φοράς.
Ὅπη ἔτυς συνόλυ ἕλκῃ πόλα ἅματα κύκλος,
Τῦ ποταμυ φράζει τὄνομα ὑμεσ᾽άπᾶ.

Discite præcipue Solis motumq; uiasq;,
Vos quibus est patrium Francica terra solū.
Namq; dies totus quot traxerit ambitus anni,
Id fluuij uestri uox bene nota sonat.

M	40.
E	5.
N	50.
O	70.
S	200.
SUMMA	365. dies.

Paulus

ANNO 1552.

PAVLVS EBERVS.

Hoc tibi mõſtrat idẽ Fluuij uox græca, quotannis
Poſt meſſem Pharij qui rigat arua ſoli.

N	50.
R	5.
I	10.
A	30.
O	70.
3	200.
Summa	365. dies.

PSALMVS.

Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi.
in domum Domini ibimus.

GRATIARVM ACTIO
DE CONSTITVTIONE ECCLE.

ſia, & precatio de conſeruatione &c.
Philippus Melanthon.

SVmme Deus nobis patefacte in rupe Sinaï,
Noſtratib: grates pectora & ora ſonant:
Quòd ſancis, Solimis ut templi immota ſit omni
Tempore de hinc ſedes, quod tua dicta ſonet.

Curia

Curia ſtat nobis ſapiente ornata ſenatu,
Voce tua patriam conſilioq; regens.
Pectora cunctorum dulcis concordia iungit,
Et ſtudio ædificant mœnia noſtra pari.
Iſaciaſq; tribus cunctas huc ire neceſſe eſt,
Cedenda eſt alio uictima nulla loco.
Hîc uox doctrinæ ſpargatur ut unica puræ,
Quam nobis cœlo tradidit ipſe Deus.
Ipſius ut bonitas in toto luceat orbe,
Notaq; ſint grati munera magna ſui.
Reſtituit nobis uitam qui labe remota,
Iuſtifica ſaluos & facit eſſe fide.
Hic fons doctrinæ ſit limpidus inde fluentis,
Non ficto Deus ut poßit honore coli.
Poſteritas in qua Dauidis regna tenebit,
Hic ſemper ſedes non peritura manet.
Diligite hanc ſolymen, & grato reddite corde,
Debita huic omnes munera, uota, preces.
Qui fouet officijs hanc iuſtis atq; tuetur,
Proteget hunc ſemper dextera magna Dei.
Sit tibi pax & uera ſalus, Eccleſia, ſemper
Quæ diſcis ſtudio dogmata ſancta pio.
Fauſta meos propter fratres, propterq; propin-
Opto tibi, & templi ne labefiat honos. (quos.

FINIS.

ANNO 1552.

PRECATIO AD SPIRITVM SANCTVM, SCRIPTA à Petro Lotichio Secundo.

VT noua cũ Dominus fabricasset corpora
Illa Dei fouit spiritus igne suo. (mũdi,
Fœcundosq; dedit rebus nascentibus auctus,
Cuncta suo reddens plena uigoris ope.
Sic miseris duro solatia tempore præstes,
Sic foueas cœtus spiritus alme pios.
Te ponat querulos Ecclesia præside luctus,
Numine curarum mole soluta tuo.
Oppressæq; malis, fessæq; senilibus annis,
Afflatu recrea languida membra tuo.
Discute sollicitos terrores, suffice uires,
Corda sinas cœcæ noctis habere nihil.
Adsit amans ueri studium, probitasq;, fideq;.
Aethereæ per quam sedis adimus iter.
Omnipotensq; tuæ firmet nos halitus auræ,
Solamen cunctis, hoste furente, malis.
Erige tu pauidos, & opis cœlestes egentes,
Sicut auis plumis mollibus oua, tege.
Tu requies animi, tuus omnia temperat ardor,
Muneris est, quicquid spirat ubiq;, tui.
Tu moderaris opus triplicis mirabile mundi,
Aeternamq; doces cuncta tenere fidem.

Acr

Aëris & liquidos tractus, cœliq; meatus.
Quicquid & in toto nascitur orbe, foues.
Vis tua præcipiti magnum uertigine cœlum,
Non intermißis cursibus, ire facit.
Tu regis obliquo contra surgentia nisu,
Omnia quæ certis legibus astra micant.
Quæq; suos peragunt clarißima lumina motus,
Te sine sol fixis lunaq; starct equis.
Vis tua fœlices uiridanti gramine colles
Vestit, & innumeris floribus ornat humum.
Tu patulos mulces fœcundo flamine campos,
Vt grauidos onerent frugibus arua sinus.
Aspice sic miseros, sic consolare iacentes,
Rore salutifero, spiritus alme, iuua.
Pectora te flammis agitante beata calescant,
Sitq; Deus, soli cui placuisse uelint.
Nec sacro auertant nos iussa minacia uerbo,
Auxilio cedat mors quoq; uicta tuo.
Vt fragilis summa cùm luce reliquerit artus,
Viuat in æternæ spiritus arce domus.

PHILIPP. MELAN.

Avricomũ uellus postquã transuexit Iason
In Patriam, sperans debita regna sibi.
Oppreßit Dominum nauis de culmine lapsa,
Sub qua defessus, iam cubat ille domi.

Non te Christe tamen, tua quam regis opprimet
Quamuis & rimis est lacerata suis. (Argo,
Tum quoq; cum fluctus ciet imo ex gurgite Orio
Et rapidi uenti prælia sæua mouent.
Quassatam medio in pelago tua dextera seruat,
Et uere es nautis anchora sacra tuis.
O uiua effigies æterni, luxq; parentis,
Defendas cœtus optime Christe tuos,
Qui tua non ficta discunt oracula mente,
Atq; tuo poscunt numine semper opem.

PHILIPPVS MELANTHON DE CONSIDERATIONE humani corporis.

Non casu uolucres Atomi, sine mente ruentes,
Hanc mundi formam progenuere nouam.
Formatrix sed mens sapiens ac optima, Mũdi est,
Consilio seruans condita cuncta suo.
Quæ clara impressit passim uestigia rebus,
Conditor agnosci possit ut inde Deus.
Nosse uias numerorum ac ordinis, atq; tenere
Immotum recti iudicium atq; mali.
Non hæc ex cœcis Atomis sapientia uenit,
Verum est naturæ prospicientis opus.

Sic etiam positus cœli terræq; perennes,
Quòdq; trahunt certæ sidera cuncta uices.
Testantur uere numen sapiensq; bonumq;
Esse, quod has leges condidit atq; regit.

Sic non humano concreta in corpore membra
Sponte sua, & casu nata sine arte putes.
Singula consulto certos distinxit ad usus,
Cum templum uellet nos Deus esse sibi.
Diuina in cerebro radios sapientia spargit,
Cum uerbo mentes luce suaq; regit.
At Cor iusticiæ domus est, sentitq; dolores,
Cum punit sontes uindicis ira Dei.
Adflatuq; Dei purgatum, gaudia sentit
Et uita fruitur non pereunte, Dei.
Formatum ad tantos corpus cum uideris usus,
Factorem agnoscas & uenerere Deum.
Ipsius & templum non labes ulla prophanet,
Pollutum abijciat ne grauis ira Dei.

Noribergæ, Die conuersionis
Pauli. Anno 1552.

DE VENIS METALLICIS
GRATIARVM ACTIO ET precatio Philippi Melanthonis.

NOn caſu uolucres Atomi ſine mente ruentes,
Hanc mundi formam progenuere nouam.
Formatrix ſed mens ſapiens ac optima Mũdi eſt,
Omnia quæ mira condidit arte, Deus.
Conſilioq; ſagax uarios diſtinxit ad uſus,
Et prodeſſe homini cætera cuncta iubet.
Et clara impreſſit multis ueſtigia rebus,
Agnoſci ſapiens conditor unde queat.
Hæc bonitas celebranda tua eſt Deus optime ſem
Fac gratæ mentes ut tua facta canant. (per,
Quare etiam grates pro tanto hoc munere dico,
Quod certum eſt artis tantum opus eſſe tuæ.
Intima quòd uenas ſparſiſti in uiſcera terræ,
Vſibus ut noſtris apta metalla ferant.
Lactea ubi fumis hydrargyra mixta coquuntur.
Sulphureis fibræ ſemina prima nouæ.
Dantq; alias formas cœleſtia lumina maßis,
Et uagus in terris hoc iuuat ignis opus,
Sed ſatis effari queat hæc miracula nemo,
Hoc certum eſt naſci cuncta fouente Deo.
Vis etiam noſtro quæri hæc tua dona labore,
Legitimos uſus & tua dicta docent.
Mandaſti quondam fieret tibi ut aurea ſedes,
Intra adytum templi conditor alme tui.
Iußiſti binas argenti pendere drachmas,
Vt ſeruaretur relligionis honos.

Et iuſtum

Et iustum esse doces, par compensatio cum fit,
Sic uis pro sumpta merce Nomisma dari.
Cumq; probes operas fossorum, Ecclesia sæpe
His collecta locis fida placensq; tibi est.
Strymonia docuit nam Paulus in urbe Philippis,
Hic ubi tunc Auri uena opulenta fuit.
Diuitiasq; loci celebrauit longa uetustas,
Vrbs ibi nam Datus non minor ante fuit.
Sed cepit Pauli doctrina ditior esse.
Qui populi mores prædicat atq; fidem.
Exul ubi uiduæ pietate exceptus Elias,
Sidonia quondam non procul urbe fuit.
Hic à conflatis antiqua Sarepta metallis,
Artem & opes monstrat nomine clara suo.
Multa bonæ mẽtes exempla hinc sumere possunt
Quæ formant mores, quos probat ipse Deus.
Esse Deum uerum, patefactum in rupe Sinai,
Norint, qui Mundum condidit atq; regit.
Quiq; redemptorem misit de uirgine natum,
Qui uiua æterni patris imago sui est.
Vocem Euangelij qui dura in pectora spargit,
Fœcundat montes semine ut ipse dato.
Addit & huic uitam cœlesti lumine uoci,
Adflatu mentes urit & ipse suo.
Fossores tamen esse iubet, sua dicta doceri,
Et studio disci præcipit ipse pio.

ANNO 1552.

Disce Sareptanæ uiduæ pia facta fidemq;
Hæc aliqua ut referas parte, precare Deum.
Ac simul effundi diuinam in pectora lucem,
Inq; sinus terræ semina larga petas.
Gnate Dei, effigies æterni uiua parentis,
Hos populos serues, te precor, atq; regas.
Ac Euangelio semper tibi collige cœtum,
Concedas studijs hospitiumq; pijs.
Hæc animo uolui, iuga per Ioachimica uectus,
Perq; Annæ montes qui modo nomen habent.

DE OPPIDO TORGA, QVAE IN TABVLIS PTOLEmæi existimatur esse Argelia. Philippus Melanthon.

VRbs uetus est gentis Mysorũ, nomine Tor
Hîc sita, ubi flauis labitur Albis aquis. (ga
Quæ fausta quondam dicta est Argelia uoce,
In tabulis ueterum, ceu monumenta docent.
Nec uocem græcam terris miremur in istis,
Ionicæ genti Mysia mixta fuit.
Forsitan ista fuit dominorum regia sedes,
Hinc solare iubar nomina clara dedit,
At quamuis urbes fatalia tempora mutant,
Et cœlum patria est unica firma pijs,

Hic

Hic ubi ſemper erit Deus omnia in omnibus idem
Luce ſua mentes iuſticiaq; replens.
Motibus in tantis tamen hæc Argelia reſtat,
Poßidet & decus hoc de bonitate Dei.
Lux Euangelij quod in iſta ſpargitur urbe,
Cum qua ſemper adeſt filius ipſe Dei.
Iſtius hic urbis ſol eſt, hic colligit agmen,
Iuſticiæ radios cui dat habere ſuæ.
Donat & æternæ cunctis exordia uitæ,
Iuſtifica accipiunt qui bona tanta fide.
Hic populi frenat legum reuerentia mores,
Et cenſura grauis turpia facta notat.
Adde quòd imbuitur doctrinæ lacte iuuentus,
Et legit à ſummo tradita ſcripta Deo.
Hæc teneris animis oſtendit lectio Chriſtum,
Et noua uirtutum ſemina ſparſa fouet.
Saxoniæq; aliquot Ducibus naſcentibus ortu
In primo, hoſpitium Torga fidele dedit.
Fridericus ſapiens princeps hac natus in urbe eſt
Promeruit patriæ qui pater eſſe ſuæ.
Conſilio qualis Neſtor fuit inter Achiuos,
Teutonicis Ducibus Neſtor & ille fuit.
Et cum doctrinæ lucem renouare Lutheri
Cœpiſſet ſcriptis Filius ipſe Dei,
Iſtius pietas tutam & moderatio ſedem
Conceßit ſtudijs docte Luthere tuis.

Nomina quiq; tenet Patris Patruiq; Iohannes
Fridricus Torgæ natus in Arce fuit.
Cui quanquam eripuit patriam sors aspera belli,
Non procul hinc Cæsar cum sua castra locat.
Non tamen eripuit uirtutem & pectus honestũ,
Et qua Gnate Dei te colit ipse, fidem.
Ergo & iudicio uictoris digna fauore est,
Ipsius uirtus, nescia mensq; doli.
Sponte sua libertatem qui reddidit ipsi,
Hoc quantum decus est Ian Friderice tibi?
Ah tandem lachrymæ uincant pietate fluentes,
Vt Dominæ reddas maxime Christe uirum.
Exilij numerans quæ iam contabuit annos,
Dulichij coniunx ceu generosa uiri,
At uiuit tamen, & superat longe Icariotin,
Confidit tantum nam bonitate tua.
Redde Patrem natis sic expectantibus ipsum,
Vt uult Telemachus posse uidere Patrem.
Qui reliquos fratres annis præcedit, & ipsi,
Nascenti hospitium Torga fidele dedit.
Hanc urbem totamq; oram tua dextera seruet,
Semper & hîc cœtum collige Christi tibi.

DE SICLO.

Iusta sacerdotum designat munera siclus,
Cuius im Ebræis urbibus usus erat.

In quo

In quo floreſcens inſculpta eſt uirga Aharonis,
Quæ monet, ut doceant dogmata pura Dei.
Parte calix alia eſt impletus thure Sabæo,
Hic offerre preces, ut noua thura, iubet.
Attamen ante alios ſummus facit iſta ſacerdos,
Filius æterno de genitore ſatus.
Ipſe ſinu profert nobis decreta parentis,
Reſtitui uitam quo uclit ille modo.
Hic Aharonæi cœtus eſt florida uirga,
Ac Euangelij ſemina prima ferens.
Hic & conſilio mirando uictima factus,
Iuſticiæ ſoluit debita λύτρα patris.
Cumq; cruor toto manaret corpore, ſupplex
Vulnera pro nobis obtulit atq; preces.
Et ſibi perpetuum doctrina colligit agmen,
Viuificans uerbo pectora noſtra ſuo.
Quanquã aũt ad dextrã cœleſti in ſede parẽtis,
Ipſe dat hæc ſemper maxima dona pijs:
Doctores tamen adiungit, ſocioſq; laborum,
Organa quos uocis præcipit eſſe ſuæ.
Cura ſit his fontes doctrinæ noſſe ſalubres,
Fundere & in populo flumina pura Dei.
Cumq; Sacerdotis Chriſti coniungere uotis,
Aſſiduos gemitus, cura ſit, atq; preces.
Gnate Dei nobis iram placato parentis,
Et tua diſcentes dogmata Chriſte tegas,

Tuq;

ANNO 1552.

Τυῆς λόγ@ uiuens noſtris in mentibus adſis.
Et flatu accendas pectora noſtra tuo.

LIMITES GERMANIAE

PHILIPPVS MELANTHON.

(ἤδ@ς,
ῥῆν@ ἀπὸ ζεφύρ@, βιάδ\ρ@ιο δὲ ῥ@ῆθρ@ν ἀπ'
γρμάν@ν κραπεγῶν γαῖαν ὁρίζει ὅλην.
ἔχαζαι δ' ἄλπ@ες νιφόεσαι πρὸς νότ@ν εἰσὶν
ἐς βορέαν πύματος βαλτικὸς ὠκεαν@ός.

Rhenus ab occaſu, Viadri ſed flumen ab ortu,
Clauſerunt fines Teutona terra tuos.
Aeriæq; Alpes immotus limes ad Auſtrum,
Balticus ad Boream terminat Oceanus.

VICE RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

NOn caſu, non humanis conſilijs tantum ſeruatur hominum uita, ſed uere filius Dei, qui Maſſa noſtræ naturæ adſumptæ fœdus nobiſcum fecit, cuſtos eſt ſui gregis, ut inquit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Hic ipſe Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, crucifixus pro nobis, & reſuſcitatus, etiam hoc

hôc anno, quo & bella passim mota sunt, et contagia luis uagata sunt, clementer nos protexit. Id eius beneficium uera gratitudine celebremus. Te etiam fili Dei oramus toto pectore, ut deinceps quoq; nos doceas, gubernes, & protegas, propter tuam gloriam, ut multi te agnoscant, inuocent, & uere celebrent, & conspiciatur tua præsentia in Ecclesia tua.

Cum autem hoc oppidum Torga in hoc secessu officiose nobis hospitium præbuerit, profitemur & nos uicissim gratos fore, & Deum oramus, ut hoc oppidum clementer protegat.

Et quia plæriq; lectores hinc discesserunt, & speramus nos breui rursus Vuitebergæ conuenturos esse, existimabamus & scholasticos, qui adhuc adsunt, non diutius hîc mansuros esse, & iam festi dies sequentur: lectiones omittemus.

Scitis autem omnium operum diuinorum maximum & maxime admirandum esse, copulationem diuinæ & humanæ naturæ in Filio. Hoc tantum opus et magnitudo amoris in filio Dei erga nos, & causæ consilij diuini iam piè cogitentur, & ut cogitare possitis, animi frenentur, & sint compositi

compositi ad inuocationem Dei. Videtis tristissima exempla pœnarum in uicinia, quæ nos commonefaciant, ut expauescamus cogitatione iræ Dei, & flectamus animos ad emendationem morum, & ad inuocationem Dei, ut nobis sit propitius, nos seruet, & nos gubernet.

Deinde publice & priuatim modestiam & iusticiam erga hospites præstate, discessuri numerent hospitibus, quantum debent, sicut scitis Deum seuere præcipere hoc iusticiæ officium. Si qui uiolabunt iusticiam uel hac in re, uel in alijs negotijs, non confidant se impune peccaturos esse propter priuilegia, quia non uoluerunt optimi imperatores, qui nostrum ordinem priuilegijs ornarunt, confirmare petulantiam & furores in improbis. Et cum iam publicæ lectiones omittantur, non pertinent priuilegia ad hospites, præsertim iniustos & ingratos.

Hæc significamus officij nostri causa. Quanquam enim plærosq; scimus honestos esse, & amare iusticiam et modestiam, & cum doctrina, tum uerò etiam Spiritu sancto regi, tamen publice monendi sunt omnes, ne iuniores aliqui corrumpi se malis exemplis sinant. Et has honestas admonitiones

monitiones ſumptas ex fontibus doctrinæ diuinæ, ſcimus bonis mentibus gratas eſſe.

Oramus autem filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum crucifixum pro nobis & reſuſcitatũ, ut nos ſemper doceat, gubernet & protegat, & his regionibus pacem & ſalutaria regimina tribuat, Amen. Torgæ die natali Domini noſtri Ieſu Chriſti, inchoante annum ab eiuſdem natiuitate ex Maria uirgine 1553. quem annum Deus Eccleſiæ ſuæ, harum regionum politijs, huic ciuitati, ſcholæ noſtræ, nobiſq; omnibus faxit eſſe fœlicem, tranquillum, & ſalutarem, ut coli pias ſtudia, & noticia Dei ac lux doctrinarum omnium conſeruari, & propagari ad poſteritatem poßint, ne fiat in his regionibus barbaries, qualis eſt iam cum in alijs Aſiæ & Europæ partibus, quas Turci occuparunt, tum etiam Rhodi, quæ ciuitas olim optimorum ſtudiorum ſedes, & hoc ipſo die natali Domini ante annos 20. completos expugnata fame, & deſtituta Chriſtianorum ex Europa auxilijs, per deditionem in poteſtatem Solymanni Turcici imperatoris uenit.

Vico

ANNO 1552.

VICE RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PAVLVS EBERVS.

Est uerè tragicè dictum ab Euripide de miseria generis humani, & infinita mole ærumnarum, quas sustinet hæc infirma natura.

οὐκ ἔστιν οὐδὲν ὅστις ὢν λέγει τάδε
οὐδὲ πάθοι, οὐδὲ ξυμφορᾷ θελήσατο,
ὃς οὐκ ἂν ἄρασθ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Qua sententia, cum ea in Theatro Athenis pronunciaretur, ita commotus est Socrates, uir oraculo Delphico iudicatus sapientissimus, ut surgens alta uoce inclamaret histrionem, eandemq; sententiam repetere iuberet. Omnino enim testatur experientia, multos homini euenire tristissimos casus, quorum ne cogitatio quidem unquam in mentem uenerit antea.

Etsi autem ratio humana omnibus temporibus causas quæ sunt tantæ miseriæ in hac præstanti & Deo similima natura, tamen sola Ecclesia diuinitus edocta non causas solum scit harum ærumnarum, sed auxilium quoq;, unde petat, habet,

habet, & tutum portum prospicit, quò se liberatam ab his ingentibus malis tandem peruenturam uidet, Ideoq; fert etiam præsentes ærumnas patienter, et auxilium Dei implorat, & scit preces suas non esse irritas, sed aut liberationem aut mitigationem malorum impetrare, et hac spe sese sustentat, quòd restet tandem liberatio, allatura æternam gloriam & læticiam in æterna consuetudine cum Deo & Domino Iesu Christo, redemptore & liberatore suo.

Hac spe se etiam erexit in magnis calamitatibus pia matrona Catharina à Bora, nata ex nobili familia equestris ordinis in Misnia, coniunx Reuerendi & sancti uiri Domini Doctoris Martini Lutheri. Nam cum acerbissimum uulnus accepisset ex morte mariti, quem dolebat in alio loco esse extinctum, ubi ægrotanti adesse, & præstare fidem & extrema officia piæ coniugis morienti non potuerit, mox subsecuto bello cum orphanis liberis circumerrauit in exilio maximis cum difficultatibus & periculis, & præter uiduitatis incommoda, quæ multiplicia sunt, etiam experta est magnam ingratitudinem multorum, à quibus sperans beneficia propter mariti

sui ingentia merita publica in Ecclesiam, sæpe turpiter frustrata est.

Tandem cum contagio pestilentiæ etiam domus ipsius esset infecta, ut liberos ex periculo eriperet, quod piam matrem decet, iterum exilij difficultates suscipit, & in itinere cum consternati equi, currum per auia raptaturi uiderentur, territa misera matrona, non tam sua quàm liberorum causa, ex curru desiliens, corpus in terram grauiter allidit, & in lacunam frigidæ aquæ labitur, ubi partim consternatione animi, partim afflictione corporis ex illo casu, in morbum grauem statim incidit, quo adsidue decumbens amplius trimestri, in exilio paulatim contabuit.

Toto autem morbi tempore se ipsam consolans uoce Dei sustentauit, & ardentibus uotis placidam migrationem ex hac ærumnosa uita optauit, sæpe etiam Ecclesiam & liberos suos Deo commendauit, & precata est, ut puritas doctrinæ, quam Deus per mariti uocem huic postremæ ætati reddidit, incorrupta ad posteros transmitti posßit.

Ei funus fiet hodie hora tertia. Petimus igitur, ut

tur, ut auditores nostri omnes conueniant ad hospicium ipsius, quod est in proxima platea, qua itur ad arcem, & hoc postremum officium præstent honestæ matronæ, ut testentur se magnifacere ipsius uiduæ pietatem, quæ egregia in ea luxit in tota uita, & orphanorum luctu grauissimo affici, & memores esse meritorum patris, Domini Doctoris Martini Lutheri piæ memoriæ, quæ tanta sunt, ut ea nulla uox celebrare satis pro magnitudine possit, & simul preces coniungant, orantes Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut Euangelij lucem, quam per hunc uirum immensa bonitate denuo hac postrema ætate mundi, accendit, puram conseruet, & eius fideles doctores & propagatores tueatur ac regat, & politias protegat, quæ Ecclesijs & scholis hospicia mediocria præbent.

Torgæ die Thomæ Apostoli. Anno 1552.

ANNO 1552.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS LAVRENTIVS LINDEMAN IVRIS VTRIVSQVE D.

ESt hæc & erit præcipua ſapientia in Ecclesia cœlesti, coram cernere Deum, & intueri admirandam copulationem naturæ diuinæ & humanæ in filio, domino noſtro Ieſu Chriſto, & conſiderare cauſas huius mirandi fœderis, & lætari hoc tanto opere & beneficio Dei, & ſapientiam & bonitatem Dei æterna gratitudine & lætitia celebrare. Hic contuitus ſatis perſpicue tunc refutabit & dæmones, & organa dæmonum, homines Epicureos & profanos, qui Deum contumelia adfecerunt, aut patefactiones eius fabuloſas eſſe exiſtimarunt. ipſi etiam dæmones & ho ines prophani tunc horribilibus cruciatibus refutari & puniri ſuos furores ſentient.

Interea tamen Deus immenſa bonitate uult in hac mortali uita cœtum eſſe aliquem, qui de ipſo teſtimonium dicat, Vult agnoſci filium, qui maſſam naturæ noſtræ adſumpſit, ne totum genus humanum penitus interiret, & ut ipſe victima

pro

pro nobis fieret, & abolito peccato & morte, redderet nobis iusticiam & uitam æternam. Ac Ecclesiam æternam hoc uno modo colligit, & non aliter, uoce Euangelij uidelicet, qua Filius agnoscitur, & est efficax.

Etsi autem infirmitas humanæ mentis non perspicit naturam Dei, & mirandam copulationem diuinæ & humanæ naturæ in filio æterni Patris, tamen filius Dei, ut adsumpsit massam nostri generis, ita aliquos in genere humano uoce Euangelij docet, & confirmat, ut adsentiantur patefactionibus diuinis, & uerè credant Euangelio. Hi quanquam sunt imbecilles, tamen ut fœtus in aluo matris uiuit, & lacte per cotyledas alitur, & expectat lucem, ita uiuunt & ipsi ceu inuoluti uerbo Dei, & aluntur Spiritu sancto, & expectant conspectum Dei in luce cœlesti. Interea uerò in hac uita mortali, sciunt initia sapientiæ cœlestis discenda esse, & fide accipienda esse beneficia Dei, & constanter refutant dæmones & prophanos homines, qui filium Dei superbè contemnunt.

Cum igitur simus & ipsi uoce Euangelij ad agnitionem filij Dei uocati, & simus pars illius agminis, quod inuolutum uerbo Dei ab ipso foueatur & alitur, excitemus pectora nostra, & peramus,

petamus, ut ipse filius Dei nos doceat, & dugeat in nobis initia suæ lucis, ut eum uere agnoscamus & celebremus, & in uera consolatione præsentiam eius sentiamus.

Cumq; iam Ecclesia publice proponat doctrinam de copulatione naturæ diuinæ & humanæ in Christo, Causas tantæ rei aliquo modo consideremus, ut pectora magis ardeant in inuocatione & gratiarum actione. Non sine consideratione & admiratione prætereamus hoc opus Dei, quod cætera diuina opera omnia longe superat, & quod illustre testimonium est immensæ misericordiæ Dei, & amoris erga nos.

Sit igitur in causarum cogitatione hæc prima. Natura humana post lapsum primorum parentum penitus interijsset, seu in nihilum redacta esset, nisi decretum esset, ut filius Dei adsumpta massa nostri generis cognatam naturam sustentaret & seruaret. Hoc fœdere nobiscum facto, nos, ut ita dicam, gestat tanquam de sua ceruice pendentes. Hunc seruatorem nominat Iacob SILON, id est, fœtum uirginis, qui nostram fragilem pelliculam adsumpsit, & factus est ipse horribiliter cruenta pellicula, tanquam χόριον, & hoc suæ massæ χόριον seruans, nos huic chorio inuolutos seruat.

Secunda

Secunda causa. Cum iusticiæ Dei satisfieri oporteret persolutione pœnæ, congruebat, cum genus humanum deliquisset, ut aliquis in genere humano pœnam sustineret. At nec esse homo poterat, nisi filius coæternus Patri, adsumeret hanc massam. Ergo hic Redemptor Deus et homo est.

Tertia causa est. Hic Redemptor est Sacerdos, quod ad tria officia attinet, ad patefactionem Euangelij, ad deprecandum pro nobis, & ad sacrificium pro nobis offerendum. Nulla autem creatura potest ingredi in sanctum Sanctorum, id est, uidere arcana consilia Dei, sed filius qui est λόγος æterni Patris, profert hoc decretum. Deinde nulla creatura cernit corda petentium, nec arcanam uoluntatem æterni Patris: Nec sustinere iram in sacrificio ulla creatura poterat. Est igitur hic Sacerdos & Mediator Deus & homo, sicut & Psalmus inquit: Tu es Sacerdos in æternum. Et Epistola ad Ebreos inquit, Lex constituit homines Sacerdotes, Sermo autem iurisiurandi, Filium.

Quarta causa, ut sit æquiualens precium, hic Mediator Deus est & homo.

Quinta causa. Non satis erat pati, Sed cum seruaret genus humanum, uictor est mortis, & instaurator iusticiæ, & uitæ æternæ, sicut ipse

inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, & ego reficiam uos. Hic igitur Saluator & Deus & homo est. Ac perpetuo adest Ecclesiæ suæ, est Emmanuel, sustentans, gestans, protegens, uiuificans nos dicta consolatione in nobis, ostendens Patrem, & dans nobis de Spiritu suo.

Harum causarum cogitatione nos in omnibus ærumnis consolemur. Vetustas hac usa est similitudine: Vt surculus trunco insitus uiuit, ita massam nostræ naturæ insitam naturæ diuinæ deleri non potuisse. Huius nos surculi ramos esse sciamus, statuamus uerè nos quoq; gestari à filio Dei. Hanc consolationem sciamus ueram esse, & fide amplectendam, & fortiter repugnemus diabolorum & hominum furoribus, qui Deum, filium Dei, Euangelium, Ecclesiam derident, & has consolationes, fabulosa poëmata esse dicunt, qui etiamsi tolli prorsus non possunt, tamen nos rectum est de Deo uera testimonia dicere, & Filium Dei reuerenter amplecti, ut Psalmus iubet, Osculamini filium. Experiemur etiam ueram esse ipsius uocem: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

Hunc igitur filium Dei dominum nostrum Iesum Christum oramus, ut faciat, ut & hic ue-

niens

niens annus sit faustus & fœlix Ecclesiæ, studijs doctrinæ, & hospitijs Ecclesiæ. Tu nostram infirmitatem cernis, fili Dei, domine Iesu Christe, inuolute chorio nostræ naturæ, te oramus, ut nos propter tuam gloriam doceas, regas, protegas, & serues in tota æternitate, sis in nobis, & ostendas te in nobis esse, ut plures te rectè agnoscant, & tibi obediant.

Vt aũt significatio reuerentiæ erga ministerium Euangelij, per quod filius Dei colligit æternam Ecclesiam, exempli causa ostendatur, præcipimus, ut singuli Magistri & Scholastici munera ad aram adferant. In festo, quo Ecclesia Dei in cœlo & in terra, Deo & domino nostro Iesu Christo gratias agit, de mirando fœdere diuinæ & humanæ naturæ in filio. Anno 1552.

M. TILEMANNVS HESHVSIVS VVESALIENSIS LECTORI S. D.

Confirmemus in animis nostris ueras de Deo, & de prouidentia sententias, cogitatione doctrinæ & inuocatione Dei, ac agnoscamus cum alia beneficia Dei, quantum possumus, tum uerò hoc summum, quòd immen-

ſu bonitate colligit inter nos æternam Eccle-ſiam, propter filium, & per eum, nec ſinit eam prorſus deleri inter tantos imperiorum tumul-tus, & in tantis confuſionibus rerum humana-rum, & ſciamus uelle Deum, eſſe cœtum, qui de ipſo teſtimonium in genere humano dicat, & ei obediat.

Colligit autem hunc cœtum uoce doctrinæ, quam quia literis mandari uoluit à Prophetis & Apoſtolis, uult eſſe conuentus docentium & di-ſcentium, ut legi, & enarrari populo ſcripta poßint. Et ut fontes inſpici poßint, cognitione linguarum opus eſt. Et in enarratione adhibenda eſt ars ſeu ratio ordine docendi, ſicut iubet Pau-lus, ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. *Ad hæc præparanda ſunt ingenia Scholaſticis exer-citijs, & eadem doctrina ſæpe repetenda eſt, ſi-cut uere de omnium artium ſtudijs Epictetus monet.* ἐιδέναι χρὴ, ὅτι οὐ ῥᾴδιον δόγμα παραγενέσθαι ἀνθρώπῳ, ἐι μὴ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὰ αὐτὰ καὶ λέγῃ ὡς, καὶ ἀκούῃ, καὶ γράφῃ πρὸς τὸν βίον.

Itaq; ut & me & alios exerceam, pertexam inchoatam enarrationem locorum Theologico-rum, qui hoc conſilio ſcripti ſunt, ut ſummam doctrinæ, quæ eſt Eccleſiæ propria, ordine & perſpicue

perſpicue recitent, & ſint uelut tituli, qui materias indicant, quas continent libri Prophetici & Apoſtolici, ut fieri ſolet in prima κατηχήσει. Vt enim ſermo Propheticus et Apoſtolicus intelligatur, neceſſe eſt initio uocabula Eccleſiæ propria interpretari, et definitionibus ac diuiſionib. illuſtrare.

Tales aliqui libri ſemper in Eccleſia fuerunt, & optandum eſſet, talem κατήχησιν extare, editam pia deliberatione multorum eruditorum. Iudicamus autem in hoc libro conſenſum harum Eccleſiarum recitari, quem etſi terribili ſpecie Baltica gorgon labefactare conatur, tamen uincet ueritas.

Et filium Dei, qui, quod in agone precatus eſt, ut faciat æternus Pater, ut unum ſimus in ipſo, idem adhuc precatur, oramus, ut nos doceat, & gubernet, & ſeruet has Eccleſias, & earum conſenſum tueatur.

Nos quoq; ſciamus hoc officio Deum uelle coli, ſtudijs ueræ doctrinæ, et uelle aliquos eſſe, qui de ipſo teſtimoniũ in genere humano dicant, confirmatos uera doctrina. Ad hanc nos militiam cum uocarit, hos docendi & diſcendi labores amemus, ut teſtimoniũ de Deo dicamus. Melius in hac uita fieri quid poteſt? Hæc publicè ſignificaui, ut ſi qui me audire uolent, conueniant in auditorio cras hora quarta.

M. Ti-

ANNO 1552.

M. TILEMANNVS HESHVSIVS VVESALIENSIS LECTORI S. D.

VT surculus insitus arbori arctißimè cum ea copulatur, & ab ea uim accipit: Ita humana natura insita est filio Dei λόγῳ, ut ab eo sustentetur, alatur, uiuificetur. Fuit enim hominum natura insidijs spiritus immundi à Deo auulsa, Ideo nisi ipse filius Dei protulisset decretum arcani consilij de reparatione generis humani, & nostram carnem induisset, uniuersa hominum natura in nihilũ redacta fuisset. Sed noluit æternus Pater hanc præstantem naturam, in quam suæ sapientiæ admirandam lucem transfuderat, & cui uirtutum intellectum, & uoluntatis libertatem et rectitudinem communicauerat, funditus interire.

Misit igitur unigenitum filium, qui adsumpta fragili & imbecilli nostra natura, totam massam generis humani sibi cognatam sustentat, & uitam ei impertit. Itaq; uerè sese pinxit Christus in Euangelio, cum pingit pastorem gestantem humeris suis agnum recens editum. Omnes enim de collo ipsius pendemus, & ex hoc unico fonte uitam & salutem haurimus.

Te igitur

Te igitur imuoco fili Dei, λόγε καὶ εἰκὼν τοῦ ἀϊδίου πατρός, conditor & reparator generis humani, et toto pectore oro, ut nostræ fragilitati opem feras, & foueas nos in hac languida & effœta senecta, regas & erudias nos tuo Spiritu sancto, ut gloriæ Dei & saluti Ecclesiæ fideliter inseruiamus. Peto etiam, ut frenum injcias perniciosis ingenijs, quæ φιλονεικίᾳ & ambitione incensa falsam ingenij laudem saluti piorum anteponunt, & puram Ecclesiæ doctrinam sophismatis corrumpunt, ex quo adsensio ueritatis in piorum mentibus labefactatur.

Est autem & nostri officij, qui in studijs uersamur, & quos Deus suæ doctrinæ custodes constituit, pro uirili parte anniti, ut uenenatæ calumniæ deprauantium doctrinam Christi refutentur. Iubet enim Paulus ἐλέγχειν τοὺς ἀντιλέγοντας. Ad hoc uerò præcipue requiritur uerus intellectus Propheticorum & Apostolicorum scriptorum, quæ clara testimonia nobis suppeditant, quibus aduersarij conuinci possunt. Horum enim uocem, certum est esse uocem diuinam. Nec recipienda est calumnia quorundam, qui cauillantur, Prophetica et Apostolica dicta aut obscuritatibus inuoluta esse, aut cothurnis similia ad uarias causas applicari posse. Qua sycophantia Diabolus & autoritatem diuinorum oraculorum

lorum conuellit atq; infringit, & in petulantibus audaciam ludendi falsis opinionibus confirmat.

Quare firmiter statuamus, scripturam sacrã nec obscuram nec ambiguam esse, sed perspicue nobis uoluntatem Dei patefacere, adeo ut nullius orationi concinnius congruat dictum Euripidis quàm Prophetarum, & Apostolorũ concionibus.

ἁπλῆς ὁ μύθος τῆς ἀληθείας ἔφυ
κοὐ ποικίλως σοφ' ἀνσιχ' ἑρμηνεύματος.

Adferenda est autem ad scripturæ lectionem linguarum cognitio, qua qui mediocriter instructus erit, sine negocio animaduertet insulsas indoctorum interpretationes Propheticis & Apostolicis scriptis obscuritatem offudisse, cum per se manifesta sint. Et rudiores moneri oportet de genere sermonis, quo Ecclesia est usa, quæ diligentia cum superioribus seculis omissa sit, propemodũ patriæ linguæ sumus obliti, & nobis accidit, quod in Tragœdia Tyndarus Menelao obijcit:

βεβαρβάρωσαι χρόνῳ ὦμ᾽ ἐν βαρβάροις.

Recto igitur consilio instituuntur in Ecclesiæ Propheticorũ et Apostolicorũ scriptorum enarrationes, in quibus non adfingitur nouum doctrinæ genus, sed phrasis & forma loquendi explicatur. Et in his enarrationibus iuniores commonefieri oportet, quæ sint in Ecclesia de dogmatibus certamina, & quos errores Prophetæ & Apostoli

Apostoli suis temporibus taxauerint. Nam eas-dem doctrinæ corruptelas nouis coloribus seu σόφοις φαρμάκοις fucatas subinde renouat hostis nostræ salutis. Prudenter etiã diuersa doctrinæ membra discernenda sunt, ne uox legis cum promissione gratiæ confundatur, & discrimen monstrandum inter politicam sapientiam & doctrinam Ecclesiæ propriam. Consilia quoq; Prophetarum & Apostolorum indicari necesse est, ad quem finem suas conciones dirigant, & quas consolationes proponant. Hoc uerum officium est boni interpretis, & in Ecclesia ad conseruationẽ doctrinæ cœlestis adprimè necessarium.

Vt igitur testimonium extet, me alienum esse ab ijs, qui deprauatione salutaris doctrinæ mediatorem filium Dei contumelia adficiunt, aut qui Stoicorum portentosis opinionibus, piorum conscientias turbant, & declarem me socium esse huius Ecclesiæ, in qua incorrupta uox doctrinæ cœlestis sonat: Decreui enarrare historiã, quam Euangelista Lucas de uarijs certaminibus Apostolorum reliquit. Debet autem huius libri lectio omnibus pijs eò esse gratior, quia, cum in tanta uarietate negociorum multarum controuersiarum explicationem contineat, Lectorem multiplici scientia instruere potest.

Præcipue uerò id agit in hoc libro Lucas, ut

docea

doceat nos, quæ & qualis sit Ecclesia Dei, & qui bus præsidijs defendatur. Est enim Ecclesia Dei cœtus amplectens puram doctrinam à filio Dei traditam, & hanc fideliter custodiens. Huic cœtui quantumuis squalido, adest Deus, curat eũ, & defendit contra omnium Tyrannorum furores.

Deinde docet nos hæc historia de cõseruatione ministerij, quo Deus sibi Ecclesiã colligit. Ipse .n. filius Dei sedet ad dexterã Patris, dans alios Prophetas, alios Apostolos &c. Et effundens Spiritũ sanctum, qui per uocem ministrorũ est efficax, & nouam lucem in piorũ cordibus accendit.

Articulus etiam de iustificatione hominis in hoc libro sæpe repetitus est adeo perspicuis uerbis, ut hic solus liber sufficeret ad refutandum errorem Monachorum, qui fingunt homines impletione legis iustos esse coram Deo.

Reliquos uerò locos doctrinæ, qui in hoc libro copiose tractãtur, & diligenter obseruandi sunt, inter legendum monstrabimus. Si qui hoc institutum ita probant, ut sperent, nostrum laborem suis studijs fructuosum fore, his operam meam defero, & significo me hanc enarrationem ad diem Mercurij hora 7. inchoaturum esse in mea habitatione.

FINIS ANNI
M. D. LII.

ACADE-
MIAE VVITEBER-
GENSIS LEGES DE
STVDIIS ET MORIBVS
auditorum, quæ bis quotan-
nis recitantur.

PRIMA LEX.

TESTIMONIA DE Deo *multa & illustria uniuersæ naturæ rerum impressa sunt, quæ optimus conditor uult aspici, ut agnoscamus eum. Addidit autem & singulares patefactiones confirmatas manifestis miraculis, & legem & promissiones suas edidit, & misit filium, qui uere colligit æternam Ecclesiam, cui Deus in omni æternitate communicare uult suam sapientiam, iusticiam & læticiam. Colligit autem Ecclesiam uoce Euangelij, & non aliter.*

Cumq; literis mandari suas patefactiones, le-

gem & Euangelium uolucrit, ac ſeueriſſimè præcipiat, ut hæc ſcripta legant homines & cognoſcant, & ſic de ipſo ſentiant, ſic eum innocent, ſicut ibi ſe patefecit, & uitam iuxta hanc normam regant, ſemper adiunxit Eccleſiæ cœtus docentium & diſcentium literas. Et ſicut miniſterium Euangelij in templis diuinitus conſeruatur, ita tales aliqui cœtus docentium & diſcentium literas diuinitus conſeruantur, quos quidem uult eſſe partem miniſterij Euangelici, & legere libros Propheticos & Apoſtolicos, & retinere natiuam ſententiam, noſſe ſymbola, & certamina ac iudicia Eccleſiæ omnium temporum. Præcipit igitur Paulus: Eſto aſſiduus ac intentus in lectione, conſolatione, & doctrina.

Quare ſciamus non tantum conſilio humano inſtituta eſſe hæc ſtudia diſcendi, ſed diuinitus & præcepta & inſtituta ſunt, & diuinitus conſeruantur.

Ac ad hos noſtros cœtus etiam dictum filij Dei pertinet: ubicunq; duo aut tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Et præcipit Deus à ſe peti ſapientiam, & ſtu-

diorum

lorum gubernationem, sicut inquit Dominus: Quanto magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus?

Hæc omnia initio accedentibus ad Academias cogitanda sunt, ut sciant placere Deo hunc laborem discendi literas, & iuuari ab eo. Nam in omni deliberatione prima sit hæc cura, quærere, quæ actiones Deo placeant, nec suscipienda est ulla actio, nisi comprobata diuinis testimonijs, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis uerbum tuum.

Quicunq; igitur in hanc Academiam uenerit, primum cogitet, hanc discendi militiam Deo placere, & ad hunc finem studia referat, ut Deum celebret, & Ecclesiæ ac uitæ communi pie in conseruatione & propagatione doctrinæ seruiat, Deinde & auxilium ac gubernationem à Deo fonte sapientiæ petat. Nam in tanta humanæ mentis imbecillitate, ut iudicia recta sint, & studia & consilia fœlicia, opus est Deo gubernatore. Sic igitur piæ mentes studia inchoent, ut ardentibus uotis hanc pre-

cationem adsidue repetant : Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

SECVNDA LEX.

DEinde quisquis in hac Academia commorari aliquantisper decreuit, accedat ad Rectorem Academiæ, & nomen suum inter nomina aliorum auditorum nostrorum referri petat, & promittat se legibus nostris obtemperaturum esse, quia nec honestum est, nec tutum reipublicæ, ullos homines uagari in ciuitatibus, sine certis magistratibus.

Rector autem in editione nominis, si talis est ætas adolescentis, ut sit ei opus familiari præceptore, iubebit eum commendari alicui ex ijs, qui priuatim docent, qui & mores eius paterno more gubernet, & in docendo prudenter & fideliter initia artium & doctrinæ Christianæ ita tradat, ut ætas illius aut ingenium postulabit.

TERTIA LEX.

ALiqui seu ignaui, seu feri & contemnentes doctrinam, etiam postquam edide-

runt

runt nomina apud Rectorem, tamen uagantur sine studio literarum, nec audiunt ullas prælectiones priuatas aut publicas, nec discunt ullam honestam artem. Tales si deprehensi fuerint, indicandi sunt Magistratui oppidi, ut sciat eos hospites esse alienos ab ordine scholastico, nec fruentur priuilegijs Academiæ, aut si infirmitas ætatis, aut contumacia alia consilia postulabit, ex Academia & oppido discedere cogentur.

QVARTA.

ET priuatim & publice prima ætas diligenter discat grammaticen latinam, dialecticen, elementa Rhetorices, & summam doctrinæ Christianæ. Publice uerò omnes qui uersantur in studijs phylosophicis, audiant has prælectiones, in quibus traduntur Elementa doctrinæ de circulis cœlestibus collecta à Iohanne de sacro Busto, seu à Peucero, Arithmetica, Physica, Liber de Anima, Secundus liber Plinij, & Aristotelis Ethica. Illi uerò qui Magisterij Philosophici gradum petituri sunt, aut amore doctrinæ cognoscere fontes artium cupiunt, adiungant ad prælectiones, quarum iam mentio facta est, Eucliden, Theoricas motuum cœlestium à Proclo editas, & alteras Purbachij, & magnã constru-

ctionem Ptolemei. Deus immensa bonitate hos radios sapientiæ suæ hominibus tradidit, ut sint testimonia de ipso, & ut uere inquit Plato, grata de Deo fama sonat in artibus. Ipsum igitur Deum fontem sapientiæ oramus, ut propter Ecclesiam faciat, ut semper lux harum artium, quas ipse monstrauit, in his regionibus luceat. Et nos à Deo commonefacti, hortatores sumus adolescentiæ, ut ordine discat omnes artes, quæ literis comprehensæ sunt, & Ecclesiæ & communi uitæ necessariæ sunt, uidelicet grammaticen, dialecticen, elementa Rhetorices, Arithmeticam, initia geometriæ, cosmographiam, doctrinam physicam de natura corporis humani, summam doctrinæ quæ propria est Ecclesiæ, Exordia doctrinæ de motibus orbiũ cœlestium. Harum doctrinarum lucem Deus ipse quidem conseruat in genere humano, sed tamen præcipit, ut & gubernatores & doctores suo quisq; loco conseruationem, & propagationem earum adiuuent. Vt igitur uox diuina præcipit, simus fideles in docendo & in discendo, & Deo grati simus, qui monstrat nobis suam sapientiam, & reuerenter acquiescamus in ueritate agnita, & eam ad gloriam Dei, & ad usum nobis & Ecclesiæ salutarem conferamus, &

non

non sinamus turbari ueritatem præstigijs sophismatum.

QVINTA.

ET quia fontes doctrinæ Ecclesiæ continentur scriptis Ebræis & Græcis, hortamur, ut has linguas etiam Ebream & Græcam auditores nostri discant, ac manifestum est græcæ linguæ cognitionem necessariam esse ad fontes artium intelligendos, & ad cognoscendam historiam ueterum imperiorum. Ideo ingeniosis & quærentibus fontes doctrinarum græca lingua studiose discenda est.

SEXTA.

EXercitium disputationũ multas utilitates adfert. Adsuefacit enim studiosos, ut res intricatas in breues conclusiones, & syllogismos apte includere possint, et placida opinionũ collatio, multas res obscuras eruit & patefacit, et dexteritatem adfert in respondendo, & in omni sermone comitatem. Ideo nõ omitti disputationes uolumus. Vt aũt & latine scribendi exercitium habeant scholastici, alternis disputationes instituantur à Magistris, et recitẽtur à Scholasticis Declamationes. Et Magistri qui Grammaticẽ, dialecticen

Dialecticen aut Rhetoricen tradunt, Item qui latinos aut græcos ſcriptores interpretantur, mandent auditoribus, ut ſcribant & recitent declamationes. Nulla autem diſputatio aut declamatio proponatur publice, non inſpecta à Decano, aut Magiſtris, quorum iudicium probat Decanus. Nolumus enim materias futiles & inhonneſtas proponi, nolumus & ſuggillari quenquam docentem in hac Academia, aut manifeſta crimination lacerari, & accendi diſcordias hoc more diſputandi aut declamandi, qui inſtitutus eſt, ut proſit iuuentuti ad eruditionem & ad uirtutem, non ut liuidorum adfectibus & petulantiæ ſeruiat.

DE MORIBVS.

PRIMA LEX.

DEus conditor generis humani ſapiens, Dicerax, bonus, iuſtus, caſtus, & iudex, ſparſit radios ſuæ ſapientiæ, & iuſticiæ in homines, non ſolum ut hæc noticia in nobis de ipſo teſtificaretur, ſed etiam ut obedientia cordis noſtri & omnium membrorum cum ipſo congrueret, & nos eſſemus templa Dei, quibus ipſe in omni æternitate ſuam ſapientiam, iuſticiam et lætitiam communicaret. Poſtquā uerò hæc

hominum

hominum natura mersa est in peccatum et mortem, edidit immensa misericordia decretum de Filio suo unigenito mittendo, propter quem & per quem remittit peccata & restituit iusticiam & uitam æternam uoce Euangelij & Spiritu sancto in his, qui ad hunc filium dominũ nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, in uera conuersione confugiunt. Hi sciunt utrunq; uelle Deum, & ut doctrina nota sit, & ut in cordibus sint uerus timor iudicij diuini, & conuersio ad Deum, sicut in iuramento expressa est uoluntas Dei, in quo simul & conuersionis & consolationis mentio fit: Viuo ego, dicit dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Sciunt etiam quomodo fiat hæc conuersio & uiuificatio, in qua corda rursus fiunt templa Dei, in quibus ipse filius Dei sol iusticiæ lucet, & accendit ueram Dei agnitionem, & Spiritu sancto excusitat inuocationem & alios motus congruentes legi Dei. Hæc efficit filius Dei uoce Euangelij, quod propterea sonare uult in genere humano. Quare cum scholastici conuentus pars sint Ecclesiæ Dei, nos quoq; fideliter proponimus auditoribus Euangelium.

Cum autem in toto genere humano multi sint

homines partim rudes aut leuiter curantes uocem Euangelij, partim contumaces & feri, qui contemnunt Deum, constituit Deus & politica imperia, quibus uult frenari & coherceri externa membra, & externa delicta seuere puniri, ut hæc ipsa pœnarum exempla sint commonefactiones de Deo, de iusticia Dei, & de prouidentia, & ut uita aliorum hominum, qui honeste uiuunt, & non turbant communem societatem, protegatur. Ac propter has grauissimas causas Deus sapiens, iustus & uindex, etiam cum Magistratus non faciunt officium, tamen sua iusticia rapit ad horribilia supplicia in hac uita quoq; pollutos externis sceleribus, iuxta hæc dicta, Omnis qui gladium accipit, gladio peribit. Item, Non habebit Deus insontem, qui eunq; nomen eius uane usurpat. Item scortatores & adulteros iudicabit Deus. Item, uæ qui spolias, quia spoliaberis. Hæc & similia multa dicta testantur, ueram esse Regulam: Atrocia delicta comitantur atroces pœnæ & in hac uita.

Verissimè autem quatuor sunt præcipua officia politici Magistratus. Primum & summum est,

sonare

ſonare uocem decalogi recte intellecti in genere humano, quia hæc ſapientia Dei æterna & immota, eſt legum omnium fons & norma, ac uult Deus Magiſtratum præcipue uocem eſſe huius ſuæ legis, quod ad externam diſciplinam attinet.

Secundum officium Magiſtratus politici, eſt, punire ui corporali uiolantes decalogum externis delictis, quia ad legem neceſſe eſt accedere executionem pœnarum, aduerſus contumaces, iuxta dicta Pauli: Non fruſtra gladium gerit. Dei enim miniſter eſt, uindex ad iram aduerſus mala facientem. Et Demoſthenes recitat dictum Aeſchinis, οὐδὲν ὄφελος πόλεως, ἥτις μὴ νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἐκλικοῦντας ἔχει.

Tertium officium eſt politici Magiſtratus. Diuinis legibus moralibus addere aliquas leges forenſes, nõ pugnantes cum diuinis, ſed circumſtantias aliquas definientes, ut diuinæ leges maiore cura ſeruentur. Nam & hac poteſtate Deus politicum magiſtratum armauit, ut ſapientia

Dei

Dei inquit: per me principes iusta constituunt, ut cum prohibet magistratus gerere arma in oppido, tollere uult occasiones temere pugnandi.

Quartum officium est politici magistratus, punire ui corporali & hos, qui has leges autoritate magistratus conditas petulanter uiolant.

Cum autem & in scholasticis agminibus multi sint rudes, & aliqui feri & mali, attributa est gubernatoribus scholarum, & politica potestas cohercendi & puniendi carcere, & alijs certis modis, eos, qui ad eorũ iurisdictionem pertiment.

Itaq; & scholasticus Magistratus primum est uox decalogi, id est, diuinarum legum moralium. Proponimus igitur uobis Decalogum, & cum enarramus iuxta enarrationem filij Dei, Prophetarum & Apostolorum, ac scitis nos huic diuinæ legi debere obedientiam. Præcipimus igitur, ut uerum Deum patefactum uoce Euangelij agnoscatis, & cum uero timore & uera fide ueneremini, sicut se coli præcipit, ueram doctrinam de ipso discatis & amplectamini, & recte cum innocetis, & grati celebretis.

Honesta promissa iuramentis confirmata constanter præstate. Nec fallite iuramenti simulatione. Nec nomen Dei transferte ad iniustas & stultas execrationes, Nec exercete magicas præstigias. Nemo probet Epicureos aut alios impios sermones.

Memores estote uocis, quam æternus Pater de Filio domino nostro Iesu Christo sonat, inquiens: Hunc audite, ac studiose audite pias conciones, & ueneramini ministerium Euangelij, & omnes, qui pie docent Ecclesiam, ac in diebus festis accedite ad publicam precationem, & uestra uota adiungite ad gemitus, precationem, & gratiarum actionem reliquæ Ecclesiæ, & adiuuate conseruationem ministerij Euangelici uera reuerentia & debitis officijs.

Parentibus, principibus & magistratibus uestris reuerenter obedite, ac præceptoribus morigeri & grati sitis, quia scriptum est: Non recedet malum à domo ingrati.

Nemo turbet pacem publicam seditiosis tumultibus. Nemo occidat hominem, nemo lædat alterius hominis corpus.

Sitis casti, ut inuocare Deum castitatis amantem

tem

tem posſitis, & uitate omnes commixtiones diui-
nis legibus prohibitas, & agnoſcite iudicium Dei,
quia certiſſimũ eſt, horribiles pœnas uagari per
totum genus humanum propter libidinũ confu-
ſiones, ut ſcriptum eſt Leuitici capite 18: Omnis
anima, quæ faciet aliquid harum abominatio-
num, peribit ex populo ſuo. Ne polluamini his
abominationibus, Ego dominus Deus uester, ui-
delicet & hoc præceptum uobis trado, & uin-
dex ero.

Non ſitis fures, neminem defraudate, non ra-
pite res alienas, non depopulamini hortos, non
oppugnate cuiuſquam ædes, In emptionibus, con-
ductionibus, mutuationibus & alijs contractibus
exercete iuſticiam, & fideliter pendite quidquid
alijs debetis. Hanc æqualitatem ſanxit uox diui-
na, ut dicitur Leuitici capite 19. Ne faciatis in-
æqualitatem in iudicio, in menſura, & pondere,
uult enim Deus intelligi iuſticiam eſſe æqualita-
tem, ut ſciamus & ipſum æqualem eſſe, ac hor-
ribiliter iraſci omnium ſceleribus, & recipere
omnes, qui conuertuntur, & ad Mediatorem
Chriſtum confugiunt.

Sitis & ueraces, nec calumnijs, & falſis cri-
minationibus famam cuiuſquam lædite. Nec

ſpargite

Spargite libellos famosos. Nec certate maledicentia & conuicijs. Nec impostoras falsariorum imitamini.

SECVNDA LEX.

CVm hæc præcepta omnia, quæ recitauimus, diuinitus tradita sint, & sint sapientia Dei æterna & immota, scitis obedientiam necessariam esse, & Deum esse iustum & uindicem, ac uere irasci contumaciæ, & punire sontes in hac mortali uita, & post hanc uitam, nisi rursus ad ipsum uera conuersione redeamus. Sed tamen & magistratum uult custodem esse disciplinæ, & frenare iniustos impetus, & punire contumaces. Quare Deo iuuante, scuere puniemus omnes, qui delicta externa faciunt contra præcepta, quæ recitauimus, et re inquisita & cognita in iudicio Rectoris, pro modo delicti reos aut carceri includemus, aut relegabimus aut excludemus ex Academia tanquam infames, ut iudex armatus gladio, maiore seueritate eos, propter mandatum Dei & propter pacis defensionem, puniat.

Tertia

TERTIA LEX.

NOminatim autem pronunciamus periu-ros & infames esse eos, qui retenti mandato Rectoris seu Aresto, ut uocant, contra uoluntatem Rectoris hinc discedunt. Item qui legitime condemnati, contumaciter detrectant autoritatem Rectoris, nec sententijs Rectoris parere uolunt.

QVARTA.

SEuere prohibemus uociferationes noctu uagantium in plateis, & nocturnos ac diurnos tumultus, ac diserte mandamus, ne quis turbam sedicioſe conuocet, Item ne quis alium prouocet ad dimicandum, aut domo euocet ad dimicandum, neue prouocatus adsentiatur prouocanti. Ac meminerit uterq; , se uoce diuina , scilicet hac lege , qua Deus pacem cura magistratuum muniri uult, retineri, ne uel in suam uel in alterius perniciem ruens, terram sanguine iniuste fuso polluat, ac irã Dei irritet. Nam & ad hanc legem pertinet dictum. Necesse est obedire non solum propter iram , sed & propter conscientiam.

ACADEMIAE.

QVINTA.

CVm ualde periculosum sit in ciuitatibus pacatis eiaculari globos plumbeos, aut similes, probibemus illas iaculationes, & seueris exemplis petulantiam in hoc genere punimus.

SEXTA.

SCiant auditores nostri mandatum Dei *esse, ut quædam corporis partes, quas* Deus *uoluit abditas, & ab oculis remotas esse, honestè tegantur, & omnibus ætatibus in cõsuetudine ciuili homines honestos adprobasse longum uestitum, & iudicasse, pudoris & modestiæ significationem esse. Nec enim mulieres tantum, ut* Herodotus *inquit, sed etiam adolescentes deposita ueste, pudorem deponunt. Ideo præcipimus, ut adolescentes ueste demissa infra genua utantur, eaq; in re & pudorem tueantur, qui* Deo *& castis angelis placet, & discant honestorum hominum oculos & iudicia uereri.*

SEPTIMA.

ET quoniam ad honesta officia communis uitæ hoc quoq; pertinet, ut uocati ad publicam nuptiarum ceremonium, eò conue-

niant, & ſuas preces cum cæteris coniungant, ac petant ut Deus Eccleſiam, politias, & Oeconomias ſeruet, cum poſtea iuuentuti concedantur conuiuia & choreæ, mandamus, ut cogitent, hæc ipſa conuiuia & has choreas honeſtæ diſciplinæ cauſa concedi, ut reuerentiam & modeſtiam in colloquijs, & in omni geſtu iuniores diſcant. Quare ſeuere puniemus inſulſe tumultuantes in talibus congreßibus, ac præcipuè eos, qui in chorcis immodeſti ſunt, & qui puellas in gyrum ducunt extra communem harmoniam modeſtæ ſaltationis.

OCTAVA.

Scimus multos pauperes ſcholaſticos duriter Suiuere, qui ſe diuina conſolatione ſuſtentent, in qua filius Dei inquit, primum quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Et nominatim inquit Deus, de cœtu docentium & diſcentium cap. 18. in libro Moiſi quarto. Ego pars & hæreditas tua. Sed ſæpe alij faciunt ſumptus multo maiores, quàm opus erat. Et profuſio multipliciter nocet moribus, quia fit propter helluationes et mala ſodalicia, Ideo præcipimus, ut magiſtri, quibus commendati ſunt iuniores, inſpiciant ſumptus & mores. Ac ut

modus

modus ſeruetur, dicant ciuibus, ne pecuniam eis mutuo dent, niſi adferant autographa præcepto rum, neue ſinant cumulari debita, quia ſenatus conſulto Macedoniano, & lege principis per= miſſum ſit, ne creditoribus ſoluatur, qui ſine au= toritate præceptorum infirmæ ætati uendunt res non neceſſarias, aut mutuo dant pecuniam.

NONA.

OMnibus in rebus modus eſt pulcherrima uirtus, inquit poëta, Ac modus in cibo & in potu conueniens naturæ corporum præcipue ad ualetudinem tuendam prodeſt, & utilis eſt ad perferendos ſtudiorum labores, & ad intentionem in inuocatione Dei, & in omni= bus actionibus. Manifeſtum eſt etiam ſæpe ruere ebrios in pugnas, quarum triſtißimi ſunt exitus. Quare propter mandatum Dei, & propter multas utilitates uitent noſtri auditores conui= uia, qualia fuerunt Centaurorum & Lapitha= rum. Et ſi qui delinquent ebrij, durius à nobis punientur.

DECIMA.

VT in hoc oppido tranquillitas maior eſ= ſet, ſapiens princeps Dux Saxoniæ Ele=

LEGES

ctor Fridericus, quo pauciores essent occa-
siones tumultuum, legem tulit æquissimam, quæ
prohibuit arma gerere, non solum scholasticis,
sed etiam omnibus in hoc oppido priuatis ciui-
bus, & ciuium ministris. Et ut hæc lex, qua com-
munis tranquillitas munita est, semper omnibus
nota sit, & sit durabilior, constitutum est, ut
quolibet semestri publice hîc ad uerbum de scri-
pto recitetur. Mandamus igitur uobis & illu-
strissimi principis nostri nomine, & nostro no-
mine, ut huic legi obtemperetis. Ac uos quidem,
qui in studijs literarum ideo uersamini, ut omnia
honesta officia melius intelligere, & maiore dili-
gentia mores regere discatis, decet ultro pro-
pter conscientiam, ut Paulus præcipit, uoci ma-
gistratuum obedire. Sed si qui mandato diuino
non mouebuntur, & hanc legem petulanter uio-
labunt, sciant nos tamen, iuuante Deo, auxilio il-
lustrissimi Principis, & magistratuum huius
oppidi, hanc legem & communem tran-
quillitatem constanter defensuros esse.

VERBA LEGIS HAEC SVNT.

Artickel

Artickel der Ordnung zu vnterhaltung fridlicher wesenheit in vnser Stadt Wittenberg.



Erstlich wöllen wir/Das nu hinfürder kein Student/ desgleichen die Burger vnd einwoner/ oder andere/so sich aldo wesentlich enthalten/da zu die handwercks gesellen/oder Bürgerdiener/in vnser stadt Wittenberg/kein were/es sey schwert/messer/Tyseken/Hessen/Tölchen/Pleykugel/ Wurffkreutz/Barten/Flegel/Hemmer/Büchsen/oder wie sie genand seind/die sich zu beleidigung oder beschedigung des leibes ziehen

möchte/offentlich oder heimlich tra-
gen sollen/ Welches der Rector al-
len Studenten vnd gliedmassen vn-
ser Vniuersitet/vnd Burgemeistern
vnd Rath einwonern vnd wesen-
den / auch dienern vnd hantwercks
gesellen/ ernstlich verbieten vnd of-
fentlich vntersagen sollen.

DOch sollen die Personen der
dreier Rethe/der Stadt Wit-
tenberg/vnd jre geschworne
Rats diener / des gleichen der Vni-
sitet Pedeln / die zu erhaltung fries
des vnd einigkeit verordent/hierin-
nen ausgeschlossen / vnd jre wehre
zutragen nicht verbotten sein.

ES sollen auch gemelte Pedel-
len vnd gerichts Knecht in
sonderheit darzu vereidet wer-
den / Das sie die jenigen / so sie als
vbertretter befinden / Dem Rector
oder Burgermeister angeben/ vnd
sollen die Pedellen dem Burgermei
ster/

ster/die einwoner/diener vnd hand-
wercks gesellen/ so strefflich befun-
den / Vnd widerumb auch die ge-
richts knecht/die glidmas der Vni-
uersitet/dem Rector anzusagen ver-
pflicht sein/Die doch in keinem weg
vom Rector oder Burgermeistern
gegen den vbertrettern vermeldet
werden sollen.

WElcher nun dem Rector
oder Burgermeistern vor
strefflich durch die Pedellen
oder gerichts Knecht angegeben/
der selbig verbrecher soll vnuerzüg-
lich / jeder für seinen gebürlichen
Richter fürgefordert / vnd wie bil-
lich darumb gehört werden / Vnd
wo er schuldich befunden / soll er
drey gülden zur straff geben / oder
aber / wo es jm meer beliebet / acht
tag dafür in gebürlichem gefenck-
nis enthalten werden.

ES sol auch allweg mit der ge-
nomenen were der gestalt ge-

halten werden / das die von den Studenten jrem Rector / vnd die andere were / so den ausserhalbē der Vniuersitet genomen von den einwoneren Bürgern etc. dem Richter geantwort werden.

Welcher aber vber dis / mehr denn ein mal in solchem freuel befunden / das derselbig in höher straff genomen werden sol / vnd also / wehr es ein Student / das derselbig ein zeitlang nach gefallen der Vniuersitet relegiert / Were es aber ein ander / der Vniuersitet nicht einverleibt / das derselbig auch nach gefallen eines Raths / ein zeitlang die Stat meyden sol.

Wir wöllen auch hiemit nicht gemeinet haben / so jemands vber land vnd ausserhalb der Stadt reisen würde / vnd seine were zu solchem fürhaben durch die Stadt tragen würde / oder aber ein Seshaffter Bürger seiner narung nach / auff die felder vnd gerten arbeit mit sei-

mit seinen arbeitsleuten sich begeben wolt/das der oder dieselben damit nit gefehrt/vnd zu vnbillicher straff solten gezogē werden / jedoch solchs mit gebürlicher vbung des friedes vnd gehorsams zuhalten.

Würde sich auch einer oder mehr vnterstehn sich diesem vnserem verbot / vnzimlicher weise widersetzig zu machen/ vnd seine were darüber tragen / sollen der Rector/ Reformatores/ vñ die vom Rath/ mit ernst darzu thun / vnd den selben vmb solchen mutwilligen frevel zu handen bringen/ vnd den on wissen vnd willen von sich nicht komen lassen/der oder dieselben sollen auch mit höher straff / denn wie oben gemeldt/gezüchtigt werden.

ES sol auch hinfürder zu winterlicher zeit / nach neun vren auff die nacht / vnd im sommer nach zehē vren/in den Schenckheusern oder andern winckeln / kein

zech oder ürten weiter gestat wer-
den / Vnd der Wirt oder Schenck
sol solches / so die stundt sein wird /
seinen gastleuten vermelden. Wo er
aber dis nicht thut / vnd vber oban-
gezeigte stundt / die gest lenger hal-
ten wolt / sol er / der Wirt / von jed-
licher stund einen gülden zur bus
dem Rath / aber die andern der
Vniversitet verwandt / dem Rector
verfallen sein. Vnd damit in dem
gefehrlichen behelff nicht fürzuwen
den / als wer vieleicht der Wirt vn-
vermöglich / die selben seine gastleut
von sich zubringen / sol er dieselben
auffzuzeichnen schuldig sein / vnd
die des anderen morgens dem Re-
ctor / Reformatoren vnd Bürger-
meister fürtragen / die sich fürter ge-
gen jnen mit gebürlicher / vnablessi-
ger straff erzeigen sollen.

Es sollen auch der Rath gemel-
ter vnser Stat die wacht stad-
lich verordnen / vnd denselben
vorsichtigen befehl geben / welcher

vber

vber die angesatzte stund des nachts auff der gassen on redlich vrsach vñ entschüldigung befunden/der sol also angenomen / vnd in verwarung bis auff den morgen zu weiter verhörung des Rectors oder Burgermeisters/enthalten werden.

Welche auch jrer gebürlichen gelegenheit vñ notturfft nach/die nacht vber die gassen weberen vnd gehen wöllen/die sollē jre leuchten haben/ Auch mit keinem hauptgeschrey einiger vnzucht sich vermerckē lassen/ So aber einer oder mehr gerechtfertigt würden / der sol jm das zu klagen/ nicht vrsach fürfassen. Jedoch sollen die friedswarter / oder wechter/guten vñ zimlichen bescheid gebrauchen/Es wer deñ/ das sich der ander theil freuentlicher auffhaltung / oder leichtfertiger rede erzeigen würd/ gegen dem selben wie es die notturfft erfordert/sollen sie jn gebürlich zuhandlen wissen/vnd in massen wie obgemelt/mit der annemung vnd werwarung / bis zu der verhör enthalten.

Damit

DAmit auch in vnser Vniuersitet Wittenberg auffrur / conspiration / vnd viel vnguts / so draus entwachsen / so viel müglich verhütet / So ordnen wir hiemit ernstlich gebietende / das forthin alle vnd jedliche Studenten vnser Vniuersitet Wittemberg / ob jnen klagens von nöthen / so offt sich das begeben möcht / sich enthalten / durch sich selbs / oder andere / so sie darzu bitten / hauffend für den Rector zukomen / vnd jre klag fürbringen / sonder sie mögen nicht mehr / denn vngeferlich selb drey oder vier mit gebürlicher zucht vnd demut jre noturfft dem Rector anzeigen / vnd des Rectors daruff gegebene antwort oder bescheid / bescheidentlich anhören. Vnd so sie desselbigen nicht zufriden / mögen sie / doch in gleicher mas vnd anzal der personen / die Reformatoren / laut vnd inhalt der Vniuersitet Statuten / besuchen / vnd also / inhalts

halts derſelbige Statuta/entſchafft der ſachen nemen vnd gewarten/alles bey gethanem eyde/ damit er vns vnd der Vniuerſitet verwandt/ ongeferlich. Würd aber jemand darüber/ wes ſtands er were/ auffflauff erwecken/ darzu rathen/ reden/ helffen oder beiſtand leiſten/ oder auch der zeit in ſeinen anligenden ſachen/ mit einem hauffen/oder mehr/ denn ſelb drey oder vier vngeferlich/den Rector vberlauffen/oder vberſchicken/ derſelbige ſol damit/ vnd alſo in vnd mit ſolcher that meineidig/ trew vnd ehrlos ſein/ vnd darfür geacht vnd gehalten/ Vnd zu dem vnſer Vniuerſitet freiheiten damit beraubt/ Vnd zu ewigen gezeiten/ für ein abgeſchnitten vntüchtig glied berürther Vniuerſitet geſchatzt ſein.

Statuta

STATVTA COLLEGII FACVLTATIS THEOLOGICAE.

MINISTERIVM Euangelij, per quod Deus sibi æternam Ecclesiam colligit, semper in genere humano immensa Dei bonitate, & singulari gubernatione seruatur, & subinde instauratur. Sicut ad Ephe. 4. de filio Dei Domino nostro Iesu Christo scriptum est. Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Alios quidem Prophetas, alios Apostolos &c. ne stulti fluctuemus & circumferamur omni uento doctrinæ, per imposturas hominum. Et Esai. 59. dicitur, Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & ab ore seminis tui, deinceps & in sempiternum. Hoc ingens beneficium Dei agnoscamus, & simul sciamus ita tamen seruari doctrinam.

doctrinam, ut uelit Deus cœtus esse discentium libros Propheticos & Apostolicos, & historiam, ac certamina Ecclesiæ, ut uox Euangelij in Ecclesia publicè sonet & propagetur. Quare semper aliqui literati cœtus fuerunt tanquam custodes librorum, quos Deus hominibus commendauit, ut, ad tabernaculum Leuiticum, Collegium fuit Sacerdotum & Leuitarum, & Prophetas, Baptistam, Christum, Apostolos, agmina auditorum, qui postea essent doctrinæ propagatores, comitata sunt. Et ut tales cœtus postea essent, Antiochiæ, Ephesi, Alexandriæ, & alibi scholæ Ecclesijs adiunctæ sunt. Tales cœtus nunc quoq; Dei beneficio sunt Collegia Theologica, quæ recte docent Euangelium, quæ ut regat & seruet Filius Dei, sedens ad dextram æterni Patris, & gubernans ministerium, & studia Euangelij, ardentibus uotis precemur.

PRIMA LEX.

PRimum igitur sciant omnes, Collegium facultatis Theologicæ, non esse Collegiũ humano tantum consilio cõstitutum, sed ministerij Euangelici membrum, ad quod etiam hæc promißio Christi pertinet: Vbicunq; duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum.

ſum. Et uera ſtudia doctrinæ cœleſtis ſunt præ-
cipuus cultus Dei, Sicut Chriſtus inquit Ioan 15.
In hoc glorificatur pater meus cœleſtis, ut co-
pioſum fructum feratis, & fiatis mei diſcipuli.
Et in Malachia ſcriptum eſt. Labia Sacerdotis
cuſtodiunt ſcientiam: Et Paulus inquit, ſe ſacri-
ficare Euangelium. Præcipit Deus ut diſcamus
doctrinam, in qua ſe patefecit, & hoc ſtudium
adiuuat & regit, nec aliter Eccleſiam æternam
ſibi colligit, niſi huius doctrinæ uoce. Ideo hæc
ſtudia prorſus neceſſaria eſſe, & Deo placere
manifeſtum eſt.

SECVNDA.

Præcipua autem cura ſit huius Collegij, do-
cere & tueri puram Euangelij doctrinam,
traditam in libris Propheticis & Apoſto-
licis, cum quibus congruunt Symbola, Apoſtoli-
cum, Nicenum, & Athanaſianum. Hoc unum ge-
nus doctrinæ uerum & immotum, quod quidem
eſt perpetuus Catholicæ Eccleſiæ Dei conſenſus,
doceri & defendi uolumus, quod & Eccleſiæ
noſtræ in confeſſione exhibita Imperatori Au-
guſto Carolo 5. in conuentu Auguſtano, Anno
M. D. XXX. complexæ ſunt. Quare ſeueriſſi-
me prohibemus ſpargi & defendi ullas opinio-
nes pu-

nes pugnantes cum illo consensu, & confessione nostrarum Ecclesiarum, Augustæ exhibita.

TERTIA.

Sint prælectores certi & perpetui in hac Schola quatuor, qui sint subiecti Rectori, admissi iudicio collegij huius facultatis, & habeant testimonium publicum gradus Doctoratus, uel ab hac Schola, uel ab alia. Hi quatuor sint Collegium huius facultatis, & Collegij negocia communi consilio agant, & fideliter, ut in Ecclesia gubernatores facere decet, concordiam in doctrina tueantur.

Si quis autem in alia Schola fuerit ornatus gradu Doctoratus, nõ recipiatur in hoc Collegium, nisi prius explorata sit eius eruditio & sententia de omnibus Articulis doctrinæ Ecclesiæ. Et omnes qui recipiuntur, uel hîc, uel alibi orna-ti gradu Doctoratus, clare testentur, se amplecti hunc consensum doctrinæ, & promittant se fideliter eum secuturos & defensuros esse.

QVARTA.

CVm præcipue hi Doctores, & custodes Propheticorum & Apostolicorum uoluminum, & interpretes esse debeant, sem-

per à duobus aliqui libri Noui Testamenti, & ab alijs duobus, aliqui libri Veteris Testamenti enarrentur. Ac sæpißime repetatur Enarratio Epistolæ Pauli ad Romanos, Euangelij Ioannis, Psalmorum, Geneſis, Esaiæ: Nam in his libris præcipui Articuli doctrinæ Ecclesiasticæ proponuntur. Et Lectores integram doctrinam explicare studebunt, quam ad rem, ut ordine singulos Articulos enarrent, adiungent interdum Simboli Niceni explicationem. Interdum & Augustini librum de Spiritu & Litera enarrabunt, ut iuniores uideant, doctrinam Ecclesiarum nostrarum, consensum esse purioris antiquitatis & ueræ Ecclesiæ Dei. Et in enarrationibus simplex ueritas bona fide iuxta mandatum Dei quæratur, & recte et proprio ac perspicuo genere sermonis explicetur. Nec ludant Professores ambiguis imuolucris, nec collegas uel crimmentur, uel sugillent in ullis publicis prælectionibus aut disputationibus.

QVINTA.

HOræ ita distribuantur, ne duo Lectores eandem horam occupent, ne quam æmulationem ea res pariat, fiatq; horarum et materiarum distibutio sine ambicioſis certaminibus,

nibus, candide & placide. Disputent etiam hoc ordine Doctores Theologiæ, ut singulis anni quadrantibus una fiat publica disputatio, Et sumantur materiæ Theologicæ utiles ad erudiendos auditores.

Ipsæ uerò materiæ priusquam publice proponuntur, ostendantur Decano huius Collegij, qui si aliquid improbabit, iubeat corrigi. Si quis autem uel non ostendet, uel iussus non corriget, Rector & Decanus iubeant differri disputationem in aliud tempus, & propositiones prius in toto Collegio examinentur.

SEXTA.

Si incidet controuersia de dogmate Ecclesiastico, & unus uel plures in hoc Collegio, aut alijs concordiam doctrinæ conturbare uidebuntur, Decanus eam rem ad Rectorem & consilium totius Vniuersitatis referat. Ac Vniuersitas, si magnitudo rei postulabit, Principi significabit, & Princeps cum consilio Vniuersitatis eliget Iudices idoneos, qui totam controuersiam diligenter examinent, & iudicio suo ueras sententias perspicue adprobent, & falsas perspicue damnent.

Porro etiam si non referetur res ad Prin-

aipem, tamen Vniuersitas suo consilio iudices idoneos eligat, qui re diligenter cognita, ferant sententias.

Damnatæ propositiones non defendantur, & si quis contumaciter defendet, coherceatur tali carcere, ne malas opiniones latius spargere possit.

SEPTIMA.

NEmo admittatur ad gradum Doctoratus, nisi toto sexennio audierit enarrationes scripturæ Propheticæ & Apostolicæ, à Doctoribus ordinarijs in schola, siue hîc, siue alibi in Gymnasio, amplectente puram Euangelij doctrinam.

Ritus in renunciatione gradus ita moderentur hi qui præsunt, ut grauitas seruetur maxime conueniens, & huic renunciationi & ordini Theologico. Quia hæc ipsa renunciatio non est prophanum spectaculum, sed est publicatio iudicij, quo tot ministri Euangelij testantur coram Ecclesia, hunc, quem gradu ornant, recte sentire de omnibus doctrinæ Articulis, & idoneum esse ad explicationem & dijudicationem grauissimarum controuersiarum Ecclesiæ. Et seruatur consuetudo tribuendi gradum, ne passim Scholis

aut

aut Ecclesijs præficiantur errones ignoti, & inexplorati, qui unde acceperint genus doctrinæ non ostendunt. Habeant igitur Testimonia probati ordinis, si qui uolent docere, ut sciri possit, quales sint, & unde genus doctrinæ acceperint. Ideo enim & initio cœtus Scholastici in Ecclesia fuerunt, ut & custodes essent primæ & puræ doctrinæ, & essent testes, à quibus propagata esset doctrina. Ita refutat Irenæus Martionitas, citans Polycarpum quem audierat, qui fideliter custodierat doctrinam à Ioanne Apostolo traditam. Et Basilius sæpe citat testimonium Gregorij Neocesariensis.

OCTAVA.

DElectus sit etiam in admittendis ijs, qui gradus petunt, sicut & Paulus præcipit, ne quibuslibet manus imponantur, Non enim admittendi sunt ad gradum fascinati prauis opinionibus, pugnantibus cum doctrina Ecclesiarum nostrarum. Nec admittantur infames, aut scortatores, sed sint mores eorum, qui admittuntur ad gradum, modesti & casti, ut de Episcopis præcipit Paulus. Quare & honestos maritos, qui doctrinæ Ecclesiasticæ se dedidcrunt, ad gradum Doctorum admitti uolumus.

Liberum sit etiam honestis uiris, qui ante gra dum cœlibes fuerunt, postea coniugium iuxta doctrinam Euangelij contrahere.

Liberum sit etiam mortua uxore, ducere aliam iuxta Euangelij doctrinam. Nec ueteres de cœlibatu leges aut uincula ullis imponimus, quæ multis exitium attulerunt, & in multis mediocribus impedierunt ueram inuocationem Dei, quia donec manent conscientiæ uulnera, non potest fieri uera inuocatio. Intelligant potius doctores Theologiæ, coniugium sapientia Dei ordinatum, ad consociandum & coniungendum genus humanum, & ad procreationem multorum, ex quibus Ecclesiam eternam sibi Deus colligit, Deo placere, & bonis mentibus scholam esse multarum uirtutum.

NONA.

Decanus eligatur suffragijs Collegij huius, & ordine singuli fiant Decani, nisi magnitudo negociorum postularet aliquo tempore seniorem eligi. Ac electus Decanus promittat se his legibus quas recensuimus, obtemperaturum esse. Quoties autem conuocantur Collegæ, roget Decanus sententias ordine, quo in Collegium singuli adscripti sunt.

DECIMA.

SI præter ordinarios Lectores, alij sunt in Academia Doctores Theologiæ, hi cogantur petere, ut recipiantur in hoc Collegium, & unà labores disputandi & examinum sustineant, & consensum doctrinæ pariter cum Collegio tueantur.

VNDECIMA.

DEcano Sigillum facultatis & librum commendamus, in quo nomina collegarum perscripta sunt, & uiderit ut testimonia doctrinæ, & morum, quæ tribuuntur uocatis, administeria Ecclesiastica dentur bona fide.

DVODECIMA.

DE pecunia promotionum seruetur usitata consuetudo. Aequissimum est enim aliquid ad Fiscum conferri Scholæ conseruandæ causa. Decet etiam significationem aliquam gratitudinis ostendi erga eos, qui labores sustinent disputationum & examinum.

XIIII.

QVotannis Decanus semel conuocet omnes auditores, qui se præcipue dedi-

derunt ſtudio Theologiæ, & aliquorum induſtriam exploret, & nomina eorum annotari curet, ut ſiquando uicinæ Eccleſiæ Paſtores ac Diaconos flagitant, ex eo Catalogo aliquos indicare poſſit. Sunt enim hi Scholaſtici cœtus, ſeminaria Eccleſiarum. Et hæc ipſa Decani diligentia in conuocandis auditoribus, & explorandis ſtudijs, curam diſcendi in multis acuet.

XIIII.

CVm Deus ſeruet aliquos Literatos cœtus ſingulari beneficio, ne libri in quorum doctrina ſe patefecit intercant, ſit hæc quoque cura huius Collegij præcipua, ut in Bibliothecis publicis libri Prophetarum & Apoſtolorum, Ebraici, Græci, & Latini reponantur, & ſeruentur. Curent & alia ſcripta utilia reponi, ut ad poſteritatem propagentur certa doctrinæ teſtimonia. Et ut ſemper confectio annalium, & rerum geſtarum conſcriptio fuit mandata Sacerdotibus, ita in hoc Collegio liber publicus ſit, in quo ſcribatur ſingulis annis hiſtoria Eccleſiaſticarum regionum, annotentur certamina doctrinæ, iudicia piorum, Exitus & pœnæ impiorum, & alij euentus gubernatorum, memoratu digni.

digni. Quia posteris utile est nosse iudicia uera Ecclesiæ Dei, & exempla diuini iudicij.

XV.

Semper etiam aliqui Doctores in hoc Collegio, & in hoc numero quatuor Lectorum, ad latinam linguam adiungant, Ebraicæ & Græcæ linguæ studia, ut adiuuare alios, & totam Ecclesiam possint in retinenda & explicanda proprietate, & phrasi sermonis Ecclesiastici, & quantum fieri potest, ostendere, quid in fontibus legatur, & quæ sit in fontibus uera & genuina uerborum significatio. Dedit enim Deus donum linguarum Ecclesiæ propter ministerium Euangelij, & sæpe instaurat, & uult instauratum non per negligentiam amitti, Sed propter communem Ecclesiæ necessitatem mediocri diligentia & studio retineri.

XVI.

Omnium gubernationum in uita difficillima, est Ecclesiastica, et magis diuina quàm humana, Ideo nos omnia, quæ in tanta temporum diuersitate huic Collegio facienda sunt, complecti legibus non possumus, Sed hi doctores uideant formã gubernationis in scriptura

Prophetica & Apostolica traditam, & prudenter eam imitentur, & quolibet tempore ea, quæ rebus deliberatis communi consilio iudicabunt, & congruere Euangelio, & salutaria esse Ecclesiæ Dei, agant. Imprimis autem consensum puræ doctrinæ tueantur, & uitent ambitiosa inter sese certamina, cum sciant sæpe Ecclesijs & imperijs ambitionem, prauas æmulationes, cupiditatem uindictæ, factiones, exitio fuisse.

Auditorum etiam ingenia obseruent, & si quis petulans delectabitur prauis opinionibus, hunc uocatum ad Collegium admoneant, & in uiam reuocent, Contumaces uerò seuere coherceant. Mores etiam auditorum seuere regant, curent ut uestitu honesto & infra genua demisso utantur, sint modesti in omnibus congressibus, sint placidi in disputationibus, sint temperantes & casti, ne impediant inuocationem Dei. Sciant prohiberi omnibus publicis legibus libellos famosos, deniq; meminerint, hos cœtus Theologicos similes esse debere scholis Eliæ, Elisæ, Iohannis Baptistæ, Christi, Iohannis Apostoli, Polycarpi, Irenæi, & similium. Quandocunque enim Ecclesia floruit, tales aliquos habuit Scholasticos cœtus, per quos doctrina pia propagata est. Horum studia, fidem, & mores nostri cœtus etiam imitentur.

Esai

ACADEMIAE.

Esaiæ. LI.

Posui uerba mea in ore tuo, & umbra manus meæ protegam te, ut plantem cœlos etc.

LEGES COLLEGII FACVLTATIS LIBERALIVM ARTIVM, QVAS PHILOSOPHIA CONTINET.



DEVS AETERNVS Pater Domini nostri Iesu Christi, ostendit generi humano literas & numerorum, figurarum anni, remediorum, legũ de regendis ciuilibus moribus doctrinã, et historias, & seruat hæc dona nobis non solũ, ut sint præsidia huius uitæ cõmunia omnibus gentibus, sed multo magis eo, quia cum Deus immensa bonitate ex illa sua æterna & arcana sede prodiẽs se patefecerit, æditis promißionibus & illustribus testimonijs de filio suo Domino nostro Iesu Christo, uoluit hanc suã patefactionem, dicta & testimoniã

monia mandari literis per Patres, Prophetas, & Apostolos, & hac doctrina sibi Ecclesiam æternam colligi. Sicut Paulus inquit, Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Nec alia est doctrina uera de inuocatione Dei, de reconciliatione hominum cum Deo, de uita æterna, nisi hæc ipsa tradita à Deo per Patres, Prophetas, Christum & Apostolos. Seruat igitur Deus hunc librum, & Ecclesiam custodem eius esse præcipit. Nec tantum proponi, legi, & audiri huius libri doctrinam mandat, sed uult Ecclesiam, tanquam fœtum in aluo materno, huic inclusam doctrinæ ab ea ali, ad uitam æternam, nec alias opiniones de essentia & uoluntate Dei, de uera inuocatione, & de reconciliatione admittere. Sicut inquit Dauid, Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Cum igitur necesse sit hunc librum à Deo nobis commendatum cognoscere, neq; id sine cognitione literarum, linguarum, & multarum artium fieri possit, manifestum est, in primis Ecclesiæ Dei literarum studia necessaria esse. Ac ut maxime aliæ gentes impiæ, quæ scripta Prophetica & Apostolica non amplectuntur, carere literis uellent, tamen Ecclesia Dei negligere eas non potest, quia scit Deum huius libri lectionem & interpretationem nobis seueriſſimis

mis

mis mandatis commendasse. Quare & fuit semper inde usq; ab initio, & est, & erit eruditæ Ecclesia Dei, omnes artes quæ literis continentur illi præstantes uiri, Adam, Nohe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & Prophetæ deinceps circuntulerunt. Et postea Ecclesijs frequentioribus eruditæ Scholæ semper adiunctæ fuerunt. Hæc initio cogitanda sunt nostro Collegio, ut sciant omnes & necessaria esse uitæ & Ecclesiæ Dei, hæc nostrarum artium studia, & hunc laborem partem esse militiæ Ecclesiæ Dei, & Deo placere. Quare & ad hunc finem, ut Ecclesiæ Dei seruiamus, referendus erit hic noster labor, & petamus ac expectemus à Deo gubernationem & defensionem, & quanquã maxima multitudo hominum has nostras operas, & uitam Scholasticam iudicat ignauum ocium esse, ac ne ducit quidem Scholasticum munus partem esse politici status, tamen nos sciamus has ipsas literas atque artes, non solum ornamenta, sed etiam neruos esse salutaris gubernationis, & ingratitudini hominum opponamus hanc ueram consolationem traditam diuinitus, Non erit labor uester inanis in Domino. His grauissimis causis moueamur, ut fidem & diligentiam in discendis, propagandis, & illustrandis literarum monumentis

mentis & artibus præstemus, Gratias etiam agamus Deo, quòd aliquam lucem & Euangelij & doctrinæ aliarum honestarum artium accendit. Quantum bonum est recte, & explicate tenere doctrinam Ecclesiæ propriam, quæ monstrat ueram inuocationem, & firmas consolationes de reconciliatione, & gubernationem uitæ in rebus maximis. Deinde quàm gratum est homini sano mediocriter aspicere rerum naturam, & in conspectu habere uniuersam antiquitatem, & historias omnium ætatum, & in illis multas magnas rerum mutationes, & mutationum illarum causas & uoluntatem Dei considerare, & inde sumere commonefactiones ad regendam uitam utiles. Talis lux uerum et magnum bonum est, quod ut Deo autori gratitudinem nostram ostendamus, maiore studio tueamur.

SECVNDA.

IN hac Vuitebergensi Academia constitutum est ab illustrißimo Principe ac Domino Iohanne Friderico Duce Saxoniæ Electore, Landgrauio Thuringiæ, Marchione Mysiæ, & Burgrauio Meideburgensi, ut Lectores linguarum & Philosophiæ sint decem.

Duo inspectores Collegij, quibus cura Locatio

nis mandata est, quorum alter Dialecticen & Rhetoricen tradat, alter Physicen & secundum Plinij.

Duo mathematici, quorum alter Elementa, Arithmeticam & Sphæram Ioannis de sacro Busto proponat. Alter Eucliden, Theoricas Planetarum & Ptolemei magnam constructionem.

Duo Lectores linguæ latinæ, qui & enarrent præcipuos Poëtas, & Ciceronis præcipua scripta, & scribant ipsi latine, non sordide solutam orationem & uersus.

Septimus est Pædagogus, qui subinde repetat Grammaticam latinam, Limacrum, Terentium, aliquas Plauti fabulas, & alia scripta ad captum pueriles conuenientia, ex quibus adolescentes sumere latinum sermonem possint, quales nunc sunt Aesopi Fabellæ, à Ioachimo Camerario recitatæ.

Octauus Physicus, qui Aristotelis Physica enarret, & Procli theoricas.

Nonus Lector Ebraicæ linguæ, qui Grammaticen Ebraicam subinde repetat, & adiungat hos libros ueteris Testamenti, Genesin, Psalmos, Prouerbia Salomonis, Esaiam, Ionam, Danielem.

Decimus, Lector Græcæ linguæ, qui subinde repetat Grammaticen Græcam, & hos scriptores, Homerum, Hesiodum, Euripiden, Sophoclem, Theocritum, aliquas Demosthenis orationes, aliquem ex græcis historicis, interdũ uerò misceat aliquam Pauli Epistolam, in qua recte & dextre ostendat uim uerborum, & seriem membrorum orationis, ut uideant adolescentes, ad intelligendum sermonem Apostolorum, prodesse linguæ & artium cognitionem.

Idem lector sit Ethicus, nisi in alterum minus onerotum transferenda hæc prælectio Collegio uidebitur. Enarrabit autem Ethicus, quisquis erit, græca Aristotelis Ethica ad uerbum. Sed diligenter discernet genera doctrinarum, legem Dei, Euangelium, præcepta Philosophica & ciuilia de moribus, dijudicabit sectas Philosophorum, & illustrabit præcepta exemplis.

Hi decem Lectores sint Collegium Philosophicum, quod uocatur Collegium facultatis Artiũ, & gubernent linguarum & philosophiæ studia, communi animo et consilio, multa enim incidunt, quæ ab uno atq; altero sustineri non possunt. Exploranda sunt iuuentut is studia, regenda disciplina,

plina, Ad hæc multorum deliberatione, & communicatione consilij & operarum opus est. Ideo nemo sit Lector in hac Facultate, qui non uolet huius Collegij pars esse. Et hi decem Lectores adiungant sibi plures magistros, quorum mores sunt honesti, & eruditio uidetur usui fore reipublicæ. In consessibus autem publicis & in dicenda sententia cuilibet locus eo ordine tribuatur, quem singulis tempora, quibus ornati sunt gradus magisterij, attribunnt.

TERTIA.

CVm hic Philosophicus cœtus etiam pars esse debeat Ecclesiæ Dei, uolumus omnes qui recipiuntur in hoc Collegium, amplecti puram Euangelij doctrinam, quam Ecclesia nostra, uno spiritu & una uoce cum Ecclesia Dei Catholica profitetur, Agnoscant Deum, & Filium eius, Dominum nostrum Iesum Christum, & ita doceant Philosophiam, ut non corrumpant doctrinam Euangelij, Nec aut curiositate aut petulantia ingeniorum ferant, aut probent, aut defendant, prophanas opiniones contumelioſas aduersus Deum, ut multi in gymnasijs alia-

rum gentium, hac una re perhiberi uolunt Philosophi, quia ausint Epicurea aut alios furores defendere, Hanc peruersitatem indignißimam Philosophia, modesta inuestigatrice ueritatis, non tolerabimus. Sed meminerint honestæ mentes etiam ab Ethnicis dictum esse, ἐχθρα σοφία λοιδορησα ἰθεὸμ. Imo uerò audiant uocem Dei sonantem de cœlo, ac præcipientem, ut filium docentem audiamus. Huius doctrinam prolatam ex sinu æterni patris, & confirmatam tot illustribus testimonijs amplectamur, & præcipuam rectricem opinionum & uitæ esse ducamus, & frenemus ingenia, ut Paulus inquit, ἀιχμαλωτίζοντες πᾶμ νόημα ἐις τὼ ὑπακοὴμ τ̃ χρις̃. Amet etiam & ueneretur hic cœtus Ecclesiam & ministros Euangelij, nec studeat ζυγομαχε῍ν & ab eis dissentire, sed potius tueatur communem Ecclesiæ concordiam. Sit hic cœtus Philosophicus honestum Collegium, Deo seruiens in literarum & artium, quæ sunt dona Dei, & res sacræ, custodia & propagatione, non sit agmen Gigantum aut Cyclopum furenter ludens fingendis opinionibus, sicut Gigantes certabant cumulandis montibus. Imo sciant hi Lectores suam gubernationem & studia

non

non fore fœlicia, sine agnitione & uera inuocatione Dei, quia humana sapientia nisi regatur & adiuuetur à Deo, facile deerrat, & sæpe totis gentibus exitialis est. Ideo dictum est, initium sapientiæ timor Dei. Deinde & hoc sciant se non solum literas & artes proponere, sed etiam inuitare debere auditores ad agnitionem Dei, & tradere rudioribus, κατύχησιν Euangelij, & multa in materijs Philosophicis monere de collatione doctrinarum, qua in re partem aliquam Ecclesiastici muneris sustinent, & sunt συνεργοὶ θεοῦ. Necesse est igitur ipsos Lectores & uere colere Deum, & tueri Ecclesiæ concordiam. Si quis autem ostenderit se ζυγομαχεῖν, hunc Decanus Rectori Academiæ indicet, & Rector, re inquisita, puniri & coherceri curet.

QVARTA.

EX ipsis collegis quolibet semestri eligatur Decanus, qui potestatem habeat conuocandi cæteros, proponendi res deliberandas, et rogandi sententias, et dicat primus sententiã, deinde uerò obtẽperet illi sententiæ, quæ dicta est à maiori parte, quã in Collegio bonorum uirorum, & non prorsus imperitorũ ueriorem esse consen

taneum est. Si quis autem contumaciter detrectat autoritatem Decani in uocatione, is quia contemnit huius Collegij societatem, deinceps non ducatur esse membrum huius Collegij. Custodiat etiam Decanus librum, in quo leges & nomina eorum quibus decernuntur gradus scribi solent, & sigillum, & curet bona fide testimonia dari petentibus.

Eligantur autem Decani, non tantum Lectores, sed etiam cœteri magistri, qui in hoc Collegio adscripti sunt, si tamen eo tempore cum fit electio, in hac Academia uersantur, nec accurrunt ut bossites mox post magistratum auolaturi. Et ordo seruetur, quo adscripta sunt eorum nomina. Sed si aliqua temporis ratio postularet seniorem eligi, sit hoc Collegio concessum.

QVINTA.

DEcanus de Collegij sententia horas & materias lectoribus distribuat, & sit inspector lectionum, ut sit assiduitas, & proponantur utilia, nec longum tempus in materias inutiles, aut inanes cauillationes, quibus aliqui

aliqui ingenia ostentare solent, collocetur. Sæpe cogitentur & à docentibus & à discentibus hæc dicta, quorum alterum Senecæ est. Necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus: Alterum uerò Isocratis. Σοφοὺς νόμιζε μὴ τοὺς ἀκριβῶς περὶ μικρῶν ἐριζέονας, ἀλλὰ τοὺς ἐυ περὶ τῶν μεγίσων λέγοντας.

SEXTA.

CVm Illustrißimus Princeps Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ Elector, Landgrauius Turingiæ, Marchio Mysiæ, & Burgrauius Meideburgensis, pio consilio, stipendia pauperibus Scholasticis suæ ditionis circiter quadraginta constituerit, & uelit quotannis eorum studia bis explorari, pertineat ea res ad Decani curam, ut adolescentes mandato Rectoris conuocentur, & adiunctis aliquot ex Collegio, præsit ipse examini.

Cum enim præcipue Ecclesiarum causa hæc beneficia pauperibus constituta sint, non est concedendum, ut ocioſi abutantur liberalitate publica, sed perficiendum est, ut recte & ordine discant

ſeant hi adoleſcentes, ut doctrinam Euangelij & alias honeſtas artes propagare poßint, Ac meminerint ipſi adoleſcentes, ſæpe Apoſtolica uoce uituperatos eſſe eos, qui Eccleſiam defraudant, & neglecto officio ſtipendijs fruuntur.

Et hi adoleſcentes non tantum in Grammatica, & elementis Philoſophiæ examinentur, ſed etiam in doctrina Eccleſiæ, præcipue enim ideo hæc beneficia princeps lagitur, ne deſint ad poſteritatem homines idonei ad docendas Eccleſias.

SEPTIMA.

DEcanus curet, ut ordine magiſtri adſcripti in Collegium, diſputent. Ac priuſquã diſputatio publice proponitur, Decano monſtretur, qui non concedat proponi materias abſurdas, falſas, inanes. Sed iubeat ueras & profuturas uitæ eligi, quod propter multas cauſas utile eſt. Primum enim conducit inſeri ueras & bonas opiniones tenecris mentibus. Deinde ad amorem ueritatis aſſuefieri iuuentutem, multo melius eſt Reipub. quàm ad ſtudium defendendi paradoxa, & labefactandi communes & honeſtas

ſtas ſententias, comprobatas ueris iudicijs ſapientum, Et quia Paradoxa non ueris argumentis, ſed tantum Sophiſmatum præſtigijs defenduntur, conſuetudo Sophiſtices, poſtea religiones, & grauiſſimarum rerum deliberationes turbat, imo & priuatim in mentibus ciet magnos tumultus, eaſq; tandem Pyrrhonijs dubitationibus de religione, & alijs multis rebus implicat. Experientia etiam oſtendit prauas eſſe naturas & ſeditioſas, quæ amant abſurdas & monſtroſas opiniones, & artium conturbationes. Eſtq; ueriſſimum quod dixit Euripides. ἑλὸμ τὸ σαφές.

Ideo uera & recta proponantur. Nec exiſtimandum eſt leue exercitium ingenij eſſe, confirmare uera, & explicare contraria. Multæ ſunt enim magnæ cauſæ in omnibus artibus, in quibus contra ueritatem multa plauſibiliter dicuntur, quæ refutare magni eſt artificis in ſuo genere.

Hoc igitur exercitium amemus, uera confirmandi & euoluendi ex illis præſtigijs quæ opponuntur.

Liceat etiam Decano & alijs lectoribus amanter & iuuentutis erudiendæ cauſa interfari, cum reſponſio aliqua diſplicet, ut fit in alijs Acade-

mijs, ubi ea est inter Lectores beneuolentia mutua, ne quis arrogantia aut φιλονεικία uel interpellet alios, uel interpellare existimetur, sed ut in conuiuio familiare & suaue colloquium inter amicos esse ducitur. Nec profecto ulla est dulcior cantilena bonæ menti, quàm audire uiros sapientes, graues, amicos, ueritatis amantes, placide suas opiniones conferentes, & in tali collatione ueritatem, uel inuestigantes uel illustrantes.

Postremo si quis confuse sine Dialecticis formis, aut stomachosius rixatur potius, quàm disputat, aut etiam conuiciatur, dicat ei Decanus quod Socrates Menoni apud Platonem, 'δ'εἰ πρᾳότερον πῶς καὶ διαλεκτικώτερον ἀποκρίνεσθαι. Sit etiam monitor lectoribus linguæ latinæ, & græcæ, & dialectices, ut curent scribi, recitari latinas declamationes, & argumenta eligi honesta.

OCTAVA.

DE gradibus seruetur consuetudo, quia comperimus studijs profuisse & professe examina, & cum se ad gradus præparant

rant iuuenes, res cogit eos certis artibus immorari, quod ut magis fiat, sciant studiosi nos examina non in cauillationibus, aut ociosis quæstionibus consumpturos esse, sed in præcipuis artium materijs, in Dialecticis, & Physicis, Arithmetica, Euclide, Sphæra, Theoricis, in locorum interuallis computandis ex longitudine & latitudine locorum, & in doctrina Ecclesiæ. Harum doctrinarum cognitio utilis est omnibus temporibus, siue gradus accedant, siue non accedant. Et tamen cura discendi crescit in his, qui sciunt se iudicia præceptorum subituros esse, & secum ipsi meditantur, quomodo ea quæ audierunt explicaturi sint. Est etiam honestum habere bonorum et doctorum uirorum testimonium. Et gradus familiaritatem cum præceptoribus alit & auget.

Sint autem inculpati, honesti, probati graui testimonio mores eorum, qui ad gradum admittuntur, Nec admittantur contaminati prauis opinionibus de doctrina Ecclesiæ, aut in quorum moribus aliqua hæret turpitudo. Si quis ex alia Academia ueniens petet gradum, non admittatur nisi certum testimonium adferat, quod discrete adfirmet, mores eius esse inculpatos & honestos.

ſtos. Non callentem grammaticam, & ſummam doctrinæ Eccleſiæ, ad nullum gradum admitti uolumus.

NONA.

VIta humana non poteſt carere arte numerandi, ut manifeſtum eſt. Et ea ars uere ianua eſt cum aliarum quarundam artium, tum uerò doctrinæ de motibus cœleſtibus. In quam ſententiam multa dicuntur à Platone, cuius pauca uerba recitabimus, etſi in re tam manifeſta nihil opus eſt teſtimonio. Sed tamen prodeſt, adoleſcentes magnorum hominum dictis & autoritate, ad hoc ſtudium accendere. πάντα ὑὸ τῶμ τεχνῶμ ἀπόλλυται τὸ παράπαμ ὅταμ ἀριθμεῖκὴμ τῖς ἀνέλῃ. *Tenentibus autem Arithmeticam, patet iam aditus ad motuum cœleſtium doctrinam, & quamuis abſtruſa uidetur, tamen comprehendi facile poterit. Præcipimus igitur omnibus Scholaſticis, qui Grammaticen & Dialecticen diſcunt, ut adiungant Arithmeticam. Magiſtris etiam mandamus qui regunt adoleſcentum ſtudia, ut adigant eos ad audiendam & exercendam Arithmeticen.*

Et quia Deus ſapientißimo conſilio uoluit

certa

certa esse anni spacia, & doctrinam de motibus cœlestibus seruat, ne annorum discrimina amittantur, sit etiam curæ harum artium professoribus, ut extent Calendaria annua, & Ecclipsium indicationes. Ac si quod opus in eo genere elaborarint, curet Decanus, ut de publico munus detur artifici. Præcipue enim nos, qui Philosophiæ studia colimus, & has artes honore adficere decet, et iustum est dare ijs aliquid præmij, qui opera nobis suo aliquo sumptu facta exhibent, cum toties nobis doctrina de iusticia concionetur, ἄνθρωποισιν ἀνάλογον συμμαχὶν ἡ πόλις.

Illud uerò etiam optandum est, ut Principes inuitent artifices, ut Ephemerides aliquot uenientium annorum ad usum posteritatis nunc instituantur & ædantur, quod sine Principum auxilio in his temporum difficultatibus fieri non potest. Et tamen huius rei curam necessariam esse, prudentes sciunt.

DECIMA.

OPtandum erat in Academiam non ante mitti adolescentes, quã Grammaticam mediocriter didicissent, & aliquẽ sermonis latini

latini usum haberent. Sed cum ætas adhuc rudior & nondum instructa cognitione Grammatices huc ueniat, & commendetur Magistris qui priuatim docent, mandamus talibus Præceptoribus seuerissime, ut fideliter officium suum faciant. Nam neglectio in illa prima institutione nunquam postea sarciri potest, & damnum non solum priuatim ad illos discipulos, sed ad totam Rempublicam pertinet.

Cumq; Deus horribiliter declarauerit iram suam aduersus parentum negligentiam in regendis filijs & filiabus, in pœna Sacerdotis Eli & filiorum eius, haud dubie punit Deus & puniet omnibus temporibus ignauiam eorum, qui adolescentiam, quam regere debebant, uolentes negligunt.

Sit ergo propter salutem Reipublicæ, & propter gloriam Dei, maior in omnibus cura faciendi officij, sint etiam discipuli obsequentiores propter suam & publicam salutem, & metuant Deum uindicem contumaciæ.

Vtriq; autem, præceptores & discipuli, eo diligentius faciant suum quiq; officium, quia non

hoc

hoc unum malum sequitur primæ ætatis neglectionem, quòd facti grandiores, sunt indocti & minus idonei ad præcipuas in Republica deliberationes, sed etiam sunt indociles, nec percipere possunt disputationes paululum recedentes à uulgi captu. Ita fit neglectione ipsa acies mentis hebetior, quod maius & perniciosius malum est, quàm inscitia.

Ordo autem assuefacit homines ad disciplinam, & ad moderationem, & iuuat discentes. Ideo adolescentibus præceptores recte distribuant tempora studiorum, cibi, & somni. Non concedant produci in multam noctem lucubrationes, aut ludos.

Quotidie mane cum surrexerunt è lecto adolescentes legant Caput in ueteri Testamento, uesperi ituri dormitum legant Caput in Nouo testamento. His lectionibus adiungant precationem, quæ accendi debet cogitatione alicuius historiæ tunc lectæ.

Nec propterea omittant hinc lectionem, quòd multa nondum intelligunt Necesse est enim à prima pueritia statim historiarũ seriem aliquo

modo

modo cognoscere. Et nisi prima adolescentia ad studium legendi adsuefacta fuerit, uirilis ætas, postea ferocior magis, abhorrebit à lectione. Omnia quæ prima ætas utcunque didicit, postea & familiarius nota & gratiora sunt, & quia altius egerunt radices, citius se in deliberationibus offerunt.

Cibum sumpturi prius dicant precationem. Poterat enim Deus naturam hominum ita condere, ut sine cibo uixisset. Sed sic condidit nos ut in multis rebus aliena ope nobis opus sit, ut commonefacti nostra egestate cogitemus, unde res oriantur quibus alimur, & Deum autorem agnoscamus, & petamus ab eo bona. Hæc fieri uult, cum cibus expetitur aut proponitur. Et quidem in precatione quam filius Dei nobis tradidit, ad petitionem cibi, ac uictus, adiunguntur petitiones de remissione peccatorum & rebus æternis, de quibus simul cogitandum est. Vult enim Deus promissiones bonorum corporalium commonefactiones esse de promissionibus rerum æternarum, & comminationibus, & de uniuersa diuina gubernatione.

A cibo agant gratias, deinde historiam aliquam aut aliud utile scriptũ legant, Decet enim ad men-

ad mensam accedere, & à mensa abire cum inuocatione Dei, & cum singulari modestia, ut fecisse inde usq; ab initio mundi omnes qui norunt ueram Dei inuocationem, non dubium est. Melchizedech pascens exercitum, prius dicit precationem. Seruat eum morem & Christus. Et Paulus clare inquit, sanctificatur cibus per uerbum & precationem, id est, Verbo Dei erudimur, naturam à Deo conditam esse & uoueri, & cibos esse dona Dei, & qui cibi hominibus concessi sint. Accedat autem precatio accensa fide petente uitam, uictum & gubernationem à Deo. Cum mentes ita Deum intuentur & eius uoluntatem cogitant, placet Deo usus ciborum.

Fuitq; mos precandi ad mensam adeo communis, ut homines bene morati etiam apud ignaros uere inuocationis, tamen ritum retinuerint. Non assident ad mensam Duces Homerici, nisi facta libatione, quæ fiebat cum precatione.

Et multæ admonitiones de modestia conuiuiorum extant in ethnicis, quale illud est, quod iubet ornare conuiuam suauitate & moderatione mensam, & sua quenque fortuna contentum esse.

ne maiora

ne maiora appetens, accersat sibi & Reipub. magnas calamitates, συμπόσιον κοσμῶν, ἢ τὸ σὸν ἐυ θέμενος. Certe non ornat conuiuia, quo ut porci irruunt in epulas sine modestia, & sine inuocatione Dei, & quia à talibus conuiuijs abest Deus, ideo sæpe exitus sunt similes conuiuij Centaurorum & Lapitharum. At nobis mensa sit, ut olim uocabatur sacra, hoc est, sit commonefactrix de Deo æterno fouente naturam, & gubernante inuocantes.

Diebus festis cogantur adolescentes interesse publicæ congregationi in Templis, & discant ibi coniungere suas preces cum Ecclesia Dei. Nam de hac communi precatione peculiaris edita est promissio, Vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, quidquid petent fiet eis.

Priuatim uerò diebus festis post publicas conciones domestici præceptores Catechesin doctrinæ Christianæ recitare discipulos cogant, & interrogent eos ordine de Articulis fidei & doctrinæ locis præcipuis, quod sit discrimen legis & Euangelij, quid interfit inter inuocationem Ethnicorum & ueræ Ecclesiæ Dei, Quid sit peccatum,

catum; Quomodo detur remißio peccatorum, quid sit fides, quæ sint in inuocatione necessaria, Quæ sint Sacramenta, & quis sit eorum usus, quæ sit Ecclesia Dei, & quomodo sit agnoscenda.

Huius amplißimæ doctrinæ semina inseri teneris animis necesse est. Cum enim dicit Christus, sinite paruulos uenire ad me, uult certe se monstrari tenellis mentibus, uult paulatim in eis accendi agnitionem Dei, quod fieri non potest, nisi doctrina assidue eis instilletur.

Deinde ad fidem domestici præceptoris pertinet, cogere pueros, ut discant, memoriæ mandent, & recitent regulas Grammaticæ, & poscat regulas præceptor in examine, cum declinationes, coniugationes, & Syntaxes inquiruntur.

Quod enim aliqui fugientes insuauem laborem inculcandi regulas, tantum usu & imitatione linguam latinam disci posse contendunt, error est perniciosus studijs & iuuentuti. Nam qui regulas ignorant, etiamsi utcunq; uerborum copia instructi sunt, tamen non semper norunt ea recte contexere. Et cum de Syntaxi dubi-

tant, hæc ipſa hæſitatio deterret eos, ne latine loquantur aut ſcribant, Ac multi tandem propter hanc ipſam cauſam deſperato fructu ſtudiorum, deſerunt ſcholas. Volumus igitur regulas Grammatices & proponi & diſci.

Sermo etiam formandus eſt, Ideo cogantur pueri latine loqui, & ſingulis ſeptimanis ſcribere aut Epiſtolas, aut narrationes ætati conuenientes.

Et quanquam non omnes naturæ pari fœlicitate carmen fundere poſſunt, tamen quia Grammatici meliores fiunt, qui uerſus mediocriter ſcribunt, & hic labor ingenia acrius exercet, & Poëtarum cognitio alit copiam ſermonis, & acuit iudicia, oſtendatur adoleſcentibus & ratio uerſuum faciendorum, & eruditiores miſceant hoc exercitium ſcribendi uerſus cæteris latinæ linguæ exercitijs.

Mittant etiam Præceptores domeſtici diſcipulos ad aliquas lectiones publicas, ipſis utiles, ut luce & frequentia auditorum, & uarietate rerum excitentur ad Dialecticen, Arithmeticen & Spheram.

Mores etiam infirmæ ætatis honeste & pie regant, quod quidem facient facilius, si ordinem lectionum & exercitiorum prudenter instituerint, & in docendo illecebras miscebunt ex quadam historiarum, sententiarum, fabellarum, dictorum & exemplorum uarietate, ut ipsa rerum suauitate teneri animi inuitentur, & detineantur, & se aliquo modo proficere ipsi intelligant. Ita doctrinæ dulcedo flectet animos ad uirtutis amorem, & ad moderationem.

VNDECIMA.

Mores omnium Lectorum sint honesti, pij, & inculpati, ac si qua suspicio uagarum libidinum, aut adulterij de aliquo erit, ex uerisimilibus orta coniecturis, Decanus eum indicet rectori, & re inquisita, reo damnato adimantur lectio & stipendium. Non enim tantum Ecclesiarum pastoribus, Sed nobis omnibus, etiam qui adolescentiam, in qua sunt Ecclesiæ seminaria, regimus & docemus, concionari Paulum statuamus, cum inquit, ἀλλὰ τύπος γίνου τῶν πιστῶν ἐν λόγῳ, ἐν ἀναστροφῇ, ἐν ἀγάπῃ, ἐν πνεύματι, ἐν πίστει, ἐν ἁγνείᾳ, πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει.

Inseruimus enim hanc sententiam his nostris legibus, quia breuis regula est omnium actionum nostrarum, quam utile est semper mente circumferre, semperq; in conspectu habere, tanquam normam totius nostræ uitæ & gubernationis.

Et quanquam multis in Collegio nostro in manibus sunt politici libri Aristotelis & aliorum, tamen hæc breuis tabella diuinitus proposita per Apostolum, nos de magis necessarijs uirtutibus commonefacit, quàm illa, quamuis diligenter & prudenter collecta Philosophorum præcepta.

Iubet Paulus hos qui præsunt, ita excellere uirtute, ut eorum exempla præluceant alijs. Non simus scandalo cæteris, non laxemus ipsi frenos disciplinæ, ne alij plus licentiæ sibi propter nostra exempla sumant.

Et quidem præcipit, ut simus exemplo fidelibus. Meminerimus quo in cœtu uersemur, non inter Cyclopas, aut Centauros, non in Platonis Academia, sed in Ecclesia Dei, in qua Deus æternus pater Domini nostri Iesu Christi, & filius eius Dominus noster Iesus Christus adsunt, & Spiritus

Spiritus sanctus uere in multorum adolescentum corda effusus est, ubi & spiritus angelici Deo chari, custodes sunt horum agminum. Hoc Dei Templum prophanare & polluere, & quasi Deum expellere ex hoc domicilio, magnum scelus esse sciamus. Quoties in auditorium, in consessum Scholasticum ingrederis, ueniat in mentem, te in conspectum Dei, Christi, & Angelorum uenire, ad quos non adferendus est contemptus iudicij diuini, Sed mens pia, & petens iuuari, & gubernari nostra studia, quæ non sunt fœlicia & salutaria nobis, Ecclesiæ & Reipublicæ, nisi à Deo iuuentur. Maior ergo diligentia regendorum morum à nobis flagitatur, quia ciues Ecclesiæ sumus, quàm in Schola Platonis aut Aristotelis flagitabatur.

Quas autem uirtutes nominat? Sitis inquit exemplo Ecclesiæ Dei, In sermone, id est, in toto genere doctrinæ. Sequitur infirma ætas uestra iudicia, uestrã interpretationem de rebus maximis. Quare sit uera & pura doctrina. Fugite falsas, impias, immanes opiniones.

Postquam de doctrina præceptum tradidit,

deinde concionatur de moribus in cõuersatione, id est, in externa disciplina honesta, iuxta omnia præcepta decalogi. Cum enim nominat conser= uationem, de toto genere externarum actionum loquitur, quod usitate uocamus in philosophia iusticiam uniuersalem.

Sed addit, in dilectione, id est, Non satis est actiones externas inculpatas esse, ut sunt in mul= tis hypocritis, sed sit uera cordis dilectio inter uos. Absint superbia, fastus, inuidentia, æmulatio Cainica, φιλονεικία, maleuolentia, liuor, κακοή= θεια, obtrectatio, studium nocendi, artificia pre= mendi collegas, insidiæ, cupiditas uindictæ. Sed sit uera beneuolentia inter collegas, tanquã fra= tres, quæ concordiam alat & tueatur, & pro= pter amorem mutuum inter ipsos priuatim, & propter Rempub. Nam Philosophicæ amicitiæ referri debent ad publicam utilitatem.

Ac nos quidem in Ecclesia propter Deum tueri concordiam debemus, ut Deus uere à no= stris auditoribus & alijs, uno pectore inuocetur, nec dissidijs turbetur uera inuocatio. Ideo dicti illius cogitatione semper nos ad studium concor diæ excusitemus. Qui manet in dilectione, in Deo

manet,

manet. Significat enim hunc in Deo manere, qui doctrinæ consensum tuetur, & mediocribus officijs concordiam collegarum alere studet, ut Deo obtemperet, & ut scandala caueantur, quæ lædunt gloriam Dei.

Addit, In spiritu, id est, zelo Spiritus. Sit dilectio in nobis, Sed tamen ita, ne uitia alamus aut confirmemus nostra indulgentia, sed petulantia ingenia seuere coherceamus, nec spargi prauas opiniones sinamus, nec morum turpitudines dissimulemus.

Rursus etiam iudicio spiritus negocia discernamus, ut ubi pugnandum sit, ubi lenitas utilior sit, consideremus. Hæc propria sunt iudicij spiritus. Nam homines prophani sæpe tum in mouendis certaminibus, tum in negligentia prætexunt publicas causas, priuatis cupiditatibus.

Addit Paulus, in fide, id est, fiducia & expectatione diuini auxilij, in periculorum tolerantia. Etsi multa sunt pericula in omnibus uitæ generibus, tamẽ nostri ordinis conditio durior est, quàm aliorum. Toleranda nobis sunt odia potentum, contemptus, inopia, & multæ iniuriæ, & pugnandum est cum multis difficultatibus. In his

miserijs tamen nos promißionibus diuinis consolemur. Sciamus Deum seruaturum esse Scholas & studia propter suam gloriam, etiamsi sumus imbecilles, & præsidia humana uel nulla, uel exigua habemus. Sic defendit Deus Sareptanæ uiduæ domum, cum ibi esset Eliæ Schola.

Non igitur abijciamus professionem, fracti miserijs aut metu, sed fide perferamus aduersa, & expectemus auxilium Dei in tota gubernatione, & periculis. Hæc fides conspiciatur ab alijs pijs, ut discant ipsi quoq; firmiora præsidia esse fidem & inuocationem Dei, quàm humanam potentiam.

Sequitur, In castitate. Accedere necesse est ad cæteras uirtutes cástitatem, ut sæpißime præcipitur, Non sis mœchus. Item, Nolite errare. Scortatores, Adulteri, &c. non posßidebunt regnum Dei. Excutiunt igitur Deum Rectorem uagæ libidines, Et comitantur eas pœnæ horribiles, cœcitas & multi furores, & tristißimæ calamitates, ut Dauidis Historia ostendit. Et plenæ sunt exemplorum omnes ætates, in quibus conspicitur ira Dei, ut sciamus uerè dictũ esse in Epistola ad Ebræos, Scortatores & Adulteros puniet Deus,

& in

& in hac uita, & æterno ſupplicio, niſi emendentur. Ideo etiam tueri caſtitatem neceſſe eſt, ne excutiatur inuocatio Dei. Donec enim laxatur frenum libidini, & uoluntas ruit contra conſcientiam, nulla poteſt eſſe Dei inuocatio. Nulla eſt autem reuera maior miſeria, quàm non poſſe Deum inuocare, nec habere eum cuſtodem & gubernatorem. Nec ſtudia fœlicia ſunt, niſi mentes caſtæ à Deo iuuentur.

Poſtremo etiam Ethnici tantum decus eſſe huius uirtutis dixerunt, ut cæteræ ſine hac uideantur eſſe uelut ſtatuæ ſine capite, ut eſt in uerſibus Bacchylidis:

Vt niſi ſit uiuo facies expreſſa colore,
Non decus in picto corpore truncus habet,
Sic reliqui mores ſpreti ſine honore manebunt,
Ni ſint ornati laude pudicitiæ.

Tueantur ergo caſtitatem & cælibes & mariti, & cum ſciant hoc docendi munus ad Eccleſiam Dei pertinere, & Deum uelle ſeruari literas & honeſtas artes, quæ literis continentur, ſeruire ſe Deo ſtatuant, & referant ſuos labores ad gloriam Dei, & ab eo auxilium petant,

& eum ueris officijs colant. Postremo & assiduitatem in studijs præcipit Paulus, cum ait. Sis assiduus in lectione. Cumq; hac breui sententia præcipuas uirtutes nostri muneris complexus sit, sæpe eam nobis tanquam monitricem proponamus.

DVODECIMA.

CVret Decanus utiles libros Philosophicos in Bibliotheca publica reponi. Et cum semper his qui studia literarum rexerunt, simul commendata fuerit cura colligendæ historiæ superiorum temporum, & rerum præsentium annotandarum, ut memoria earum rerum quas posteritatem scire prodest, propagaretur, Decanus sit monitor, ut perpetuæ Historiæ in Bibliotheca publica reponantur. Et sit in hoc Collegio liber, in quo singulis annis res magnæ & dignæ memoratu, ab aliquo in nostro Collegio perscribantur, qui & intelligat, quæ res literis mandandæ sint, & quomodo sint recitandæ. Nec tantum eventus narret, ut Germanici scriptores ueteres horride narrarunt, sed ut in Philosophia eruditus, inquirat fontes & causas negociorum,

gociorum, αἴτια & ἀφορμὰς, Eclipſes, Cometas, inſignes ſiderum poſitus, perſonarum naturas, ingenia, uoluntates & ſtudia, inuocationem Dei, ſigna auxilij & iudicij diuini. Non enim tantum propter euentuum memoriam expetenda eſt hiſtoria, ſed etiam propter hanc doctrinam, ut qui euentus, quæ religionum & imperiorum mutationes, quas cauſas ſecutæ ſint, conſideretur. Præcipue uerò recitet Eccleſiarum & doctrinæ certamina, & ſaniorum de controuerſijs iudicia, deinde addat ea quæ in gubernatione publica, tum harum regionum, tum uerò reliquæ Germaniæ memoratu digna acciderunt. Nam propter multas magnas cauſas memoriam rerum magnarum quæ geruntur, præſertim in Eccleſia Dei, ad poſteros propagari & retineri neceſſe eſt.

FINIS.

Iohannis 17.

Pater ſanctifica eos in ueritate. Sermo tuus eſt ueritas.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN